



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Johannis Meyeri S. Literarum Doct. & Prof. Uxor Christiana Sive De Conjugio Inter Duos Deque Incestu Et Divortiis, Dissertationes Tres

Meier, Johannes

Amstelædami, 1688

Dissertatio Theologica Prima De Conjugio Interduos Polygamiæ Patronis,
præcipue Theopilo Aletheo Athanasio Vincentio, atque Daphnæo Arcuario,
e Divino & Naturali Jure, modeste opposita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40272



DISSERTATIO THEOLOGICA PRIMA

DE

CONJUGIO
INTER DUOS

*Polygamia Patronis, præcipue THEOPILO ALETHEO
ATHANASIO VINCENTIO, atque DAPHNÆO
ARCUARIO, e Divino & Naturali Jure,
modeste opposita.*

PROLEGOMENA.



Um ad quietem & tranquillitatem conscientia, actionum nostrarum determinatio & constantia necessaria sit, ne opinionibus dubiis ac falsis adhaerentes in errorem aut vitium incurramus, quod in rebus agendis sive practicis eo majori cura cavendum, quo illæ passim majoris sunt momenti, quam contemplandæ & theoreticæ; operæ pretium non defuturum censui, si de *Conjugiis Illicitis* Leges Mosaicæ, divina assistente gratia, explanaturus, omnium primam Legem & Institutionem matrimonii prius excutiam, hacque occasione, quid de Polygamia simultanea statuendum, ex ea reliquaque Veteris atque Novi Fœderis Scriptura, & Jure Naturæ, breviter exponam, tum veritati asserendæ, tum abstergendis cavillis variis, quæ in Monogamiam ac Anti-polygamos a nonnullis congeruntur. Certum enim esse constat, nihil credendum aut agendum, quod non sufficienter attendentes, in Verbo Dei revelatum, aut sana ratione fundatum clare percipiamus,

A

mus,

DE CONJUGIO

mus, ut juxta Apostoli effatum, in mente nostra plene simus persuasi, ne bonum mali nomine dehonestemus, neque etiam malum boni titulo condecoremus. Curandum esse nobis, idque in omni vita sua quemque a recta conscientia transversum unguem non oportere discedere, duce natura Cicero rescribit *ad Atticum* L. XIII. Ep. xx.

II. Nullum enim datur mandatum, animæ quod legem figat, nisi a summo Legislatore profectum, qui tanquam Pater Spirituum cogitationi & conscientiæ solus imperandi, atque inobedientiam non minus in animabus quam corporibus, puniendi potestatem habet; secus ac homines, qui non nisi corpus lædunt, cui tantum leges scribere valent. Eum in finem creator sua imagine atque similitudine primos parentes ornavit, ac etiamnum post lapsum reliquias quasdam conservat, principia scilicet pietatis erga Deum, & justitiæ erga creaturas, quod Apostolo opus legis est scriptum in cordibus Rom. II. 15. unde sapientiam atque prudentiam hauriunt mortales, ut multa scire, invenire & docere, ut simul leges vivendi præscribere, virtutesque exercere queant. Quibus accedit verbum revelatum, quod, obductis menti tenebris, quid, salva pietatis & justitiæ conscientia, licitum vel illicitum sit, clarius edocet.

III. Quamvis igitur, qui errant, & ignorantes peccant, malitiæ ac nequitiae quidem argui & insimulari nequeant, conscientiam tamen exhilarantem, atque ab omni negligentiae & temeritatis accusatione, haudquaquam puram possident, cum vel veritatis non sint cupidi, vel non diligentissime inquirant, atque ad omnia, ea, qua par est, dignitate ac sollicitudine non attendant; præcipites corde, qui sat cito decernunt, definiunt, statuunt, judicant, atque ad falsa commenta prolabuntur, quæ certa, percepta, comprehensa, rata ac fixa esse volunt, de quibus nulla ratione pelli neque moveri possunt; & tamen tantum faciunt, quod sibi faciendum putant, etiam quando rem non sat bene examinarunt, unde vera conscientiae securitate, animique tranquillitate, quæ ex recte actis proficisci solet, frui nequeunt.

IV. Illi autem nullo modo excusandi sunt, qui verbo Dei abutuntur, ad audendum quicquam illicitum, ac perversum sacris literis sensum affingunt, sententiam, quam falsam esse in conscientia sæpe sunt convicti, pertinaciter defendentes, legemque, quam Deus ad-

strinxit

strinxit & adstrictam voluit, dissolvunt, eo saltem fine, ut ab adversario victoriam reportent, aut suæ aliorumve libidini & lasciviæ indulgeant, hacque ratione flagitiis ac flagitiosis fibulam laxent. Nos omni seposita vana gloria, vexatissimam quæstionem de Polygamia simultanea, quam alii prohibent & improbant, alii e diametro bonis operibus ac præceptis divinis annumerandam, omnibusque modis promovendam censent, ita in timore Dei, ad sacras literas, tanquam ad Lydium lapidem, jurisque naturalis normam exigemus, ut unicuique facile judicare integrum sit, quid hac in re licitum aut illicitum, quidve eligendum vel repudiandum, postquam cognoverit, cui fundamento, quibus columnis, nostra innitatur interpretatio.

V. Et si quem forte in admirationem rapiat nostrum institutum exercendi stylum in argumento, quod aliorum calamos occupatos tenuit, quemadmodum argutationes Bernhardi Ochini, qui jam aliis præivit, Eruditissimus refutavit Beza, *Tractatu de Polygamia & Divortiiis*, atque Nuperos alii tam Jurisconsulti quam Theologi, ut mari aquam, & soli lucem lucrari velle videamur. Is perpendat velim, Bezam magis incubuisse illi Polygamie speciei, qua soluto matrimonio alia uxor ducitur, quam cum Montano damnavit Tertullianus, prima speciei Polygamie, nempe simultaneæ, quatuor tantum foliis comprehensa. Et prout quotidie tortuosiora atque argutiora fungunt ingenia, a quibus nova magisque stringentia argumenta excogitantur, ne iis imponant, quibus hæc non statim obvia; laboris & operæ aliquid in hanc materiam, quam pro dignitate & momento suo, ut ingenue fateamur, quod res est, pertractatam hæctenus non invenimus, impendere duximus consultum. Accedit, quod in *Athanasium Vincentium*, & *Daphnaum Arcuarium* nullus, quod sciamus, calamum strinxerit. Quod igitur in vicissitudinibus naturalibus, ceu cometis aliisque sideribus, evenire solet, ut quamprimum apparent, in disquisitionem veniant, deinde vero ubi majori fulgore coruscant, de novo adspiciantur atque dijudicentur; id etiam aliarum rerum contemplatoribus in usu est, ut quæ aliis nondum visæ & objectæ difficultates, ab aliis accuratius & subtiliori lance examinentur.

VI. Ut autem recto procedamus ordine, & felicius hoc inceptum prosequamur, cum Salvatore nostro, qui verus & unicus est mundi in peccatum prolapsi restaurator, quæstionem hanc

matrimonialē ab ipso rerum initio exordiri, quidque licitum sit aut illicitum, e Creatione eruere atque producere animum induximus, quia multos a primæ creationis lege degenerasse palam est; ut ad primam matrimonii Institutionem recurrēdo, tanto majori cum desiderio, ad eandem perfectionem, qua per lapsum primorum parentum, post tot secula excidimus, rursus adspiremus, atque Mosē, ejusmodi leges conjugales enarrantem, quæ non hominum opinione susceptæ sunt, sed a sanctissimis naturæ principiis profectæ, rectæque rationi conformes comperiuntur, vatem divinum fuisse agnoscamus.

VII. Quemadmodum enim Deus Opt. Max. ab æterno omnia disposuit, & in seipso modum, quo mundi œconomiam ac politiam instituere, atque præsertim actus humanos moderari, Ecclesiamque colligere vellet, sapienter concepit: ita in prima creatione, quæ visibilis quasi & loquens rerum lex est, omniumque rerum fundamentales leges continet, omnibus & singulis creaturis leges immutabiles, quibus ad finem usque mundi consistere debent, prudenter indidit. Ut igitur ad fundamentalem rei naturæ cognitionem pervenias, eam considerare necesse est, qualis ab initio fuit, non antiquata, sed nova & incorrupta.

VIII. Atque hæc est ratio, cur visum nobis sit Institutionem conjugii, & naturam a Deo constitutam præmittere, eique argumenta ex Jure Naturæ deprompta subnectere, eademque opera utrum Jus Gentium in subsidium vocari debeat nec ne, & quanti illud ponderis sit ac momenti, justa lance trutinare; cum nemo neficiat, lumini rationis, post lapsum multis modis obscurato, lumen revelationis merito præferendum, secus ac se res habebat in statu integro. Et tandem ne quid desiderari possit in nostra disquisitione, omnia dicta, exempla ac præcepta, de numero conjugum, in sacro Codice, ante legem Sinaiticam, sub lege & post legem a Mosē & Prophetis, a Christo ac Apostolis exhibita & inculcata, ordine historico sub incudem revocabimus, ne quidem prætermisissis iis, quæ in Apocryphis scriptoribus occurrunt, ut ex his omnibus conjunctis per Inductionem judicare promptum sit, quid circa hanc rem, quæ alias non caret difficultate, justum vel injustum, æquum aut iniquum.

IX. Denique in confutando *Discursu Politico de Polygamia*, Londini Scanorum A. MDCLXXXII typis exscripto, cujus Auctores sub nominibus *Theophili Alethæi*, (qui Arcuario *Lyserus* appellatur)

tur) atque *Athanasii Vincentii*, latere voluerunt, hanc nobis libertatem deposcimus, ut eorum theses & argumenta, eodem hoc ordine præscripto, semper nostris subjuncta expendamus, & quæ illi sparlim atque hic illic scripserunt, aliquoties repetita, ea in unum omnia collecta & disposita, uno veluti obrutu lectoribus exhibeamus, missis ambagibus ac digressionibus, quibus illi utuntur, præcipue in suis *Notis Athanasius*, plurima adducens, quæ diffusam quidem lectionem ostendunt, lectoribusque risum movent, sed ad probandam Polygamiam nihil faciunt, ideoque sicco a nobis prætereunda pede.

X. Condonabit etiam *Daphnaus Arcuarius*, si non continuo quodam textu illius *Considerationem Matrimoniale[m] & Polygamice[m]* An. MDCLXXIX Germanico idiomate scriptam ac editam, eodem, quo tractavit, ordine persequamur. Auctor ille de Polygamia non tam suam quam aliorum mentem expressit, cujus argumenta, quia speciosa videntur, nec suo destituta colore, suasu Fautoris ac Amici, in inclyta quadam Germanica Academia Professoris Celeberrimi, una eademque opera examini subicere constituimus; ut nihil prætermittamus, quod ad illustrandum hoc thema facit.

SECTIO PRIMA.

DE INSTITUTIONE CONJUGII INTER DUOS.

CAPUT I.

De generali mandato crescendi & se multiplicandi Gen. I. 28.

I. **Q**uod Plato *lib. iv. & vi. de Legibus* existimat, ad civitatem & Rempublicam recte constituendam, primum ^{γερμικὰ νόμους} *leges de nuptiis* esse conscribendas & ponendas, matrimonium considerans tanquam fundamentum humanæ societatis; atque hunc modum tenendum ne populosa civitas nimis sit, quoad fieri potest, neque vacua, de *Republ. v.* Et Dionysius Halicarnassæus *Antiquit. Rom. l. II.* ad legislatorum curam pertinere, ut initium faciant a nuptiis, neque vagos ac promiscuos permittant concubitus, sed hanc insolentem & belluinam Venerem profligantes e civitate, copulent *ἀνδρα εἰς γυναῖκα μίαν* *Virum unica mulieri*: Id nemini mirum videri debet, quum

ipte Deus, sapientissimus & summus legislator ad Rempubl. mundanā constituendam, in ætate mundi non adulta, sed infantili, atque in ipso ejus exordio, statim post primi hominis creationem, primam *de Conjugio* legem tulerit, omnibus mundi civibus communem, quam Hebræi basin ac fundamentum sexcentorum & viginti præceptorum Mosaicorum statuunt, quot literæ in Decalogo reperiuntur; sive DCXIII quot nervos seu vasa & membra esse volunt in corpore humano creata, adnotante paraphraste Chaldæo Gen. I. 27. quorum scientiam necessariam, tanquam membrorum medicinam, Auctores *lib. Sobar in Exod.* passim commendant, *ne anima defectum patiatur.*

II. Hinc creatione animalium terrestrium & hominum sexto die absoluta, universis illis simul benedixit Deus, atque hoc pacto mutuū ad producendam prolem amorem impressit, sui concursū addicens ad productionem similis cum generante, & multiplicandum esse genus humanum, voluntatem declarans, quæ hominum naturæ primum perinde atque jumentis ac bestiis indita, citra ullam cognationis vel affinitatis rationem Gen. I. 28. פרו ורבו ומלאו את הארץ *fructificate & multiplicamini, ac implete terram.* Quod dictum universale non staturam Protoplastorum respicit, quasi parvi generati magni evadere iubeantur, quia non infantes, sed perfecti conditi, sicut & arborum fructus mox maturi comdebantur; verum multiplicationem generis humani, ideoque in historia Noachi recurrit Gen. VIII. 17. IX. 1.

III. Neque benedictionem duntaxat, verum etiam præceptum istis verbis contineri, evidens est; Deo non dicente תפוז ותרבו *crecsetis & multiplicabimini*, sed פרו ורבו *crecsete & multiplicamini*, quod verba sonant, in imperativo; quo modo & versiones antiquæ, Græca, Chaldæa, Samaritana, cæteræque orientales textum expresserunt, & Hebræi מצות פריה ורביה *præceptum de fructificatione & multiplicatione* vocant, quod omnes obligare tradunt, qui se ad generationem instructos esse sentiunt in terra, quam Deus filiis hominum dedit Psal. cxv. 16. incolisque repletam voluit Esa. XLV. 18.

IV. Dignæ memoratu sunt Rabbiorum in hunc textum commentationes. AbenEsra eum confert cum comm. 22. ubi Deus piscibus & avibus benedixit, quo ipso eis dederit רבו להולדה ברומה *generandi simile facultatem.* Cum autem verba illa benedictoria & im-

imperatoria ante hominis creationem non pronuncientur com. 28. quærit Jarchius, annon etiam bestia benedictione indigeant? respondet, propter serpentem, cui Deus erat maledicturus, istas benedictionem non esse adeptas, ne & ille sub ea comprehenderetur. Quæ tamen frigida est ratio, siquidem iudex terræ in genere omnibus bestiis, & in specie Adamo atque Evæ, non minus ac serpenti maledixit. Rectius R. Bechai in Pentat. fol. 8. col. 1. Cur, inquit, non benedixit Deus jumentis & bestiis sexto die? R. quia benedicendo piscibus ac avibus ex aqua productis, benedixit quoque animalibus terrestribus. Nam כל בעלי ארץ כל בעלי חיים שאינם מדברים דרך ארץ omnium animalium loquela destitutorum eadem est ratio.

V. Nos æque bestiis sexto die benedixisse Deum, credimus, ac piscibus & volucribus die quinto, quod etiam colligere promptum est ex repetitione Gen. VIII. 17. Sed evidens est differentia: Cum cap. IX. 1. Noacho ejusque filiis non modo benedixerit, verum etiam DIXERIT & mandaverit, fructificate & multiplicamini, & implete terram. Ideoque non est nullius momenti observatio R. Mof. Bar Nachm. inter duos istos sermones (cap. I. 22. & 28.) magnum discrimen observari, quod de creatis aquis legatur, & benedixit eis Deus dicendo, fructificate & multiplicamini, idque de facultate simile producendi ipsis indita convenienter explicetur, de hominibus vero, præterquam quod dixerit, & benedixit eis Deus, insuper addiderit, ET DIXIT EIS DEUS, Crescite & multiplicamini: id docere, ait, Deum cum hominibus locutum fructificationem & multiplicationem mandasse, juxta Sapientum רצון מן הארץ opinionem. Huic sententiæ subscribit R. Nissi, comma istud 28 benedictionem atque præceptum complecti statuens. Inde R. Salomo ben Melech comm. 22. imperativum loco futuri poni existimat, quasi Deus dicat, ego vobis vires indo, ut fructificetis. Abarbenel in Legem fol. 20. 4. benedictionem in concessa homini prosperitate, prolongatione dierum aliisque beneficiis collocat; mandatum autem in verbis, fructificate & multiplicamini, & replete terram בני בני filii & filiabus, addit Pseudo-Jonathan, Chaldaeus Paraphrastes.

VI. Singula Hebræorum dicta hic excutere nihil attinet, cum ad unum omnes præceptum soli homini applicatum eant, cui facræ literæ formaliter jus tribuunt, cum electione liberoque voluntatis motu. Neque id sine causa. Siquidem in brutis ratione destitutis actiones quidem observantur corporeæ, hominum actio-

nibus

nibus similes, quales sunt generatio, nutritio, defensio, id genus alia, non autem æqui & justæ perceptiones. Neutiquam ergo negamus, Deum ita hominibus fecunditate & multiplicatione generis sui benedixisse, ut simul præcepto eam imperaret, quod haud ægre largimur Polygamiaë patronis, idem frequenter inculcantibus; quin audacter asserimus, perperam nonnullos Judæorum mandatum istud ad mares restringere, fœminasque ab ejus obligatione facere immunes, sicut tradunt in *Jeveammoth fol. 65.2.* *האיש מצווה על פריה ורביה אבל לא הואשה* *viro præceptum datum est de fructificatione & multiplicatione, non autem fœmina.* Quod confirmat Maymonides *de Connubiis Cap. xv. 2.* *Propagatio generis viro præcepta est, non item mulieri.* Probatque Jarchius ex defectu vau in voce *כנשה* (quæ ob Kibbuts recte vertitur *subjicite eam*), viro non fœminæ propagationis præceptum imponi, cum tamen non fœminæ subjectio Adamo, sed terræ subjugatio utrique mandetur; ac R. Jochanan ben Baruka citato loco Talmudico fateatur, utrumque pariter teneri ex eo, quod Scriptura dicat: *& benedixit eis Deus, & dixit eis (utrique sexui) fructificate & multiplicamini.* Et fundamento caret, quod Mercerus arbitratur, ideo verba esse tantum benedictoria, ut hoc non teneantur omnes, nisi qui se continere non possunt juxta præceptum. Id enim per se constat, cum plura sint id genus, quibus non omnes tenentur, quæ tamen ideo non desinunt esse præcepta. Nulla regula tam firma, quæ non patiatur exceptionem. Sed in mundi exordio, & mox post diluvium, procul dubio omnes tenebantur.

VII. Inscitiam ergo non minus quam profanitatem suam prodit Ad. Beverlandus in *Tr. de Pecc. Orig.* p. 150. sq. quando audacter & impudenter asserere non veretur, verba illa *crescite & multiplicamini*, ad naturam non pertinere, & ante lapsum a Deo non fuisse prolata, sed per incogitantiam scribarum secundorum seu sequentium capiti primo Genesis fuisse inserta: Primum Protoplastorum, peccatum scortationem fuisse colligens ex pœna Evæ inflicta, gravi scilicet partu, atque similia, quæ tam putidæ sunt infusitates, ut eas se referre quoque pigeat. Neque ullus vel veterum vel recentiorum quæstioni locus est, an etiam conjunctio maris & fœminæ fuisset in statu integritatis. Quemadmodum nuper Jacobus Behmen, in sua *Aurora* sive *Rybedine Matutina*, cæterisque scriptis, somniavit, Paradisum

disum tam sublimem conditionem sive statum fuisse, ut concubitus cum mulieribus ei nequaquam convenerit, ideoque, Adamum ante lapsum Virginem fuisse, finxit, Matricemque in se habuisse, perinde ac virilitatem, & corpus Angelicum possedisse, nec intestinis præditum nec genitalibus, qui viro-virgo a se ipso magice propagare, ac posteritatem sibi sufficere potuerit. Visionem Mulieris Apoc. xii. 1. & seq. de Adamo exponit, quando suam veneris-matricem gestaverit in paradiso, quæ post lapsum & in quem injectus est, soporem, in Evam formata sit, quum nulla pars magis fuerit idonea, quæ ab eo auferretur ad constituendam mulierem, quam ea Veneris-matrix. Et quod postmodum intestina habuerint, id significare, statum hunc crassi cibi potusque & carnalis coitus, statum esse animarum lapsarum.

VIII. Quæ figmenta & errata maxime palpabilia sunt & intoleranda, quibus aperte in os Mosi contradicit, qui tantum abest, ut conjugium statui paradisiaco competere neget, ut etiam imperfectam fuisse, haud obscure innuat, Adami in amœno paradiso collocati felicitatem, priusquam mulieris nactus esset societatem, dicente Deo, *Non esse bonum, hominem esse solum.* Gen. 11. 18. Unde inter Judæos adhuc ante nuptias oportet hæc apud sponsum fundere conjugum preces: *Tibi gratias habemus, Domine Deus, quod hominem finxeris ad tui similitudinem; . . . Latere hac societate amabili in idem, ut quondam in Paradiso rebus a Te factis & constitutis latatus es.* Maym. de Connub. Cap. x. §. 10. Propagatio per se vitiosa non est, neque usus conjugii in se peccatum. Haud diffitemur, in isto statu locum non habuisse libidinem, sed commixtionis actus expers fuisset omnis libidinis & inordinati motus, qui post lapsum accessit, ut vel ablationes puerperarum, aliave nos edocere possunt. Hinc enim est, quod puerpera indigeret expiatione & holocausto Lev. xii. quia sine peccato non erat, nec reatu carebat; quo si vacasset Adam cum sua conjuge, ipse & tota ejus posteritas sine ulla cupiditate mala, mero naturæ instinctu, genuissent, quemadmodum arbores quotannis fructum suum reddunt, quarum rami vilitatem contrahunt a vilitate radicis. Quod etiam suo calculo approbant Hebræorum Magistri, quorum traditionem exhibet *Sohar in Genes. Edit. Lublin. col. 191.* אִמְלָא לֹא חָטְא אָדָם לֹא עָבִיד תּוֹלְדוֹת כּוֹנְנִיא דָּא דִּיצְרָהֳרַע אַבְל עָבִיד תּוֹלְדוֹת מִכְסְרָא רוּחַ קוֹדְשָׁא קְרִישִׁין תּוֹלְדוֹת כּוֹנְנִיא דָּא דִּיצְרָהֳרַע אַבְל עָבִיד תּוֹלְדוֹת אֵלֵא מִכְסְרָא דִּיצְרָהֳרַע: *Nisi peccasset Adam protoplastes*

plastes, liberos generasset non in forma illa prava concupiscentia, sed de genere & extremitate spiritus Sanctissimi; nunc autem non generat nisi de genere concupiscentia. Et Talmudici in Sanhedrin fol. 38. 2. in ipso paradiso non modo licitum coitum fuisse, sed actu & de facto coisse volunt. Ideoque sexus discrimen ad corporum decus & integritatem & ad majorem perfectionem generis humani pertinere, ut in paradiso, ita in resurrectione mortuorum, merito judicamus; major enim perfectio est, si seruetur sexus distinctio, quam si unus tantum sit, quem & Christus non negavit, sed adstruxit Matth. xxii. 30. ablato tantum post hanc vitam ejus usu, qui in cœlo cessat.

XI. Ex quibus omnibus evidens est, in statu integritatis ingratitude peccasse primos parentes, si conjugio & propagationi generis humani operam non dedissent, quia Adam citra commixtionem cum Eva, ex se masculum sibi similem, quicquid stolidi homines fingant, producturus non fuisset, generatione foetus utrumque sexum exigente, & utriusque femine concurrente, testibus Bartholino *Anat. lib. 1. c. xxvi.* Scaligero ad *Aristot. Hist. Anim. l. 1. c. 111.* Fernelio *Univ. Medic. l. vii. de Hom. procreatione. c. 1. de semine*, si generare debent, commisceantur, coeantque necesse est, ut inquit *Aristot. 1. de generat. anim. c. 11. ex ambobus quasi unum fiat animal.* Et cap. vi. variis rationibus probat, feminam semen proferre. Cui assertioni medicæ & philosophicæ ipsa Scriptura sacra adstipulatur. *Heb. xi. 11. Levit. xii. 2. Num. v. 28. Addit R. Bechai in Leg. fol. 12. 4. locum Gen. xlvi. 15. Hi sunt filii Læ, quos peperit Jacobo. Approprians filios femine docet, vires maris repositas esse in femina, juxta Lev. xii. 2. & approprians mulierem viro (& Dinam filiam ejus) docet, vires femina in mare esse repositas.* Post lapsum autem idem corpus & eandem animam, quoad essentiam & substantiam, hominem retinuisse, rectitudine sola, sive qualitatibus ac dotibus amissis, Scriptura abunde docet, extra quam nihil hic fingendum.

X. Deinde quis nescit ex historia creationis, primo peccasse Evam a serpente seductam, absente marito adhuc integro *Gen. iii. com. 1. & sq.* quod Apostolus confirmatum invenit *1 Cor. xi. 3. 1 Tim. ii. 2.* Supponit Pythagoricus Philosophus, Adamum lapsum esse ante injectum seiporem, nondum formata a Eva, cum tamen ipsi quæsierint *raucinia multa Ececl. vii. 29. Liber Apocalypiticus,*

lypticus, cui nugas suas affricare voluit, propheticus est, statum Ecclesiæ N. T. exhibens, quem fideles V. T. juxta cum adventu Messiae, ad prægnantis mulieris instar anxie desiderarunt. Sed quid opus est multa verba profundere in re adeo manifesta? Ostendit Clarissimus Scriptor Henricus Morus in *Censura Philos. Teutonice*, totum hoc figmentum ex eo provenisse, quod corticem & mysterium Mosaicæ narrationis confuderit.

XI. Hoc igitur certum & fixum manet, citra istam maris ac foeminae conjunctionem, multiplicari non potuisse genus humanum, absque qua multiplicatione nullum fuisset regimen in mundo. Et huic imperio mox parituri fuissent protoplasti, si quidem integri mansissent; sed haud diu proh dolor! in isto felicitatis statu permanentes, huic rei non nisi post lapsum operam dederunt Gen. IV. 1. ואדם *Et* (vel deinde, ut Trem. & Jun. vertunt; nempe post illa omnia peracta Gen. III.) *Adam COGNOVIT Chavvam uxorem suam, QUAE CONCEPIT ET PEPERIT Kainum.* Unde & ipsorum liberi in peccatis concepti & generati. Salomon Jarchi quidem verbum ירע per plusquamperfectum reddit & *cognoverat*, nempe ante prævaricationem, ut hic per recapitulationem illud narretur, sed nulla ratio sufficiens suadet, a serie textus esse recedendum. Non putarim, inquit Mercerus, nuptiis & conjugio locum in paradiso fuisse, donec inde primi parentes sunt pulsi, etsi aliud velint Hebræi. Hic operæ pretium erit clarius exprimere Talmudicorum mentem, quam deprehendimus in ante citato *Tractatu Sanhedrin. cap. IV. fol. 38. 2.*

XII. Traditio ita habet: אמר רבי אחא בר חנינא שנים עשרה שעות היו היום שעה ראשונה הוצבר עפרו שניה נעשה גולם שלישית נמתחו אבריו רביעית נזרק בו נשמה חמישית עמד על רגליו ששית קרא שמות שביעית נזדווגה לו חוה שמינית עלו למטה שנים וירדו ארבעה תשיעית נצטווה שלא לאכל מן האילן עשירית טרח אהרן עשרה גיון שנים עשרה נטרד והלך לו שנאמר אדם ביקר כל ילין
Dixit R. Acha filius R. Chanina: Duodecim hora diei cum sint, prima (scilicet diei sexti creationis) coacervatus est pulvis Adami, ex quo conditus; secunda facta est massa; tertia conformata sunt ejus membra; quarta anima ei indita est; quinta in pedes surrexit; sexta vocavit nomina; septima conjugio ipsi juncta fuit Eva; octava in lectum ascenderunt bini, descenderunt quaterni; (nempe Adam, Eva, Kain & ejus gemella foror.) nona praeceptum ipsi, ne comederet de

arbores; decima rebellavit; undecima iudicatus est; duodecima expulsus abiit, juxta id quod scriptum legitur (Psal. XLIX. 13.) Adam in decore non pernoctat. Sed quis credat, tot horas corpori formando insumptas? congressos conjuges, conceptos & genitos gemellos ante lapsum? quis credat, ante datam legem Gen. II. 17. lectum ascendisse? ne dicam, quod expulsio ex paradiso, quæ condonatione peccati posterior est, ab ipsis Judæis in septimum diem relata, commode sexto die adscribi nequeat.

XIII. Quod si ante lapsum liberis procreandis operam dedissent, isti nullo reatu gravati, nullave labe contaminati fuissent, quod tamen factum est. Et si vel integra fœmina e mare integro fœtum concepisset, eum tamen, peccato interveniente, integrum non peperisset; licet vita & sanitas fœtus non ita semper connexa sit vitæ & sanitati matris, ut hac depravata, istum quoque depravari oporteat, quemadmodum Sc. Africanum, Julium Cæsarem, & alios ex utero matris cæcos fuisse, historiarum prodiderunt monumenta; quia infecto matris sanguine, fœtus etiam inficitur, testibus Medicis, & anima Evæ maculata, non potuisset non etiam peccato contaminari anima fœtui juncta. Sufficit, Spiritum S. primum congressum, conceptum & partum primorum parentum, post lapsum demum nobis indicasse. Unde etiam colligere promptum, si non contigerit lapsus eodem die, quo homo conditus, quod cum Hebræis statuunt Irenæus, Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Cedrenus, Augustinus, Bernhardus; & Neoterici Broughon, Scharpius, Schotanus, Walkerus, Petrus de Witte, quorum sententiam etiam adoptavit Celeberrimus Scripturarum Interpres J. Altingius; non tamen diu in isto statu mansisse, quemadmodum Chaldæus interpres verba illa Gen. II. 25. *והיו תרווחון חכמים אדם ואנתיה ולא אמתו ביקרוון* *Erant ambo illi sapientes Adam & uxor ejus: sed moram non fecerunt in gloria sua.*

XIV. Atque ita alii Hebræi agnoscunt, ante lapsum, Adamum neque congressum esse cum Eva, neque liberos generasse, quemadmodum R. Isaac Lorientis, *de Revolutionibus animarum* cap. xxx. *Notum est, inquit, quod peccatum Adami prius commissum fuerit, quam generarentur Kain & Habel. Quamvis enim locis quibusdam Magistri nostri p. m. diversum sentiant; tamen in Sohar eadem opinio confirmatur Sectione Achare-moth. fol. 77. Jam enim nostri, quod*

quod Adam eadem die, qua creatus erat, quoque comederit, & eadem die congressus sit, & eadem die nati sint Kain & Hebel. Vide sis Ch. Knorrium *Kabb. denud. Tom. II. P. III. Tr. II.* Hi vero Kabbaliftæ volunt, Adamum primum illicito concubitu peccavisse, serpente cum Eva congressio. Postquam serpens spurcitiem suam injevit in Evam, hæc generavit Kainum, & ab eo originem habent omnes impii totius mundi, & simul demones. Quemadmodum videre est lib. *Sohar in Gen. Edit. Lubl. col. 133. & seq. 137. 146.* Ideoque Kainum vocant קן *nidum* impuritatis & spurcitiem serpentis. Sed hæc omnia præter scripturam ficta sunt, quæ serpentis atque Evæ colloquium ac negotium, & Kaini denominationem aliter tradit Gen. III. 1. sq. IV. 1. Quamquam verba *Sohar* non proprie ubique, sed mystice intelligenda.

XV. Adamus igitur, per peccatum paradiso expulsus, paruit legi de multiplicatione Gen. IV. 1. quæ confirmata mansit, exercente Deo longanimitatem, tolerantiam & benignitatem suam, ideoque eam repetit Gen. VII. 1. IX. ne post lapsum per incuriam vel neglectum mortales conjugium omitterent. Quæ etiam ratio est, quod adeo diligenter illud præceptum Hebræi inculcent. *Sohar ejus. edit. col. 5. in Lev. & col. 275. 573. in Num.* כל מאן דלא אשתכח דכר ונוקבא כל שבתא אעדין מיניה ולא הוא נכלל ראדם ולא עור אלא דלאו איהו כראי לאתכרחה *Quicumque non deprehenditur uxoratus, omni honore destitutus est, neque pertinet ad genus Adami, imo ne quidem dignus est benedictione.* Item: *Schechina non quiescit super eo, qui non inivit matrimonium col. 58. 157. 414. in Levit.* Homo non satisfecit præcepto de fructificatione & multiplicatione, nisi genuerit filium & filiam. Et quæ sunt id genus plura in *Schulchan Aruch Par. 1 v. num. 1. §. 1. Maimon. de Connubiis cap. xv. 1. 2. 3. 16.* וכין שעברו עשרים שנה ולא נשא אשה הרי זה עובר ומכבד מצות עשה *Qui exegit annum ætatis vigesimum, necdum uxorem duxit, is transgreditur & abolet præceptum affirmativum.* Nullum agnoscunt discrimen inter personas sacras & politicas, sed omnes pariter obligari volunt. Interim nimis rigide id urgent, ita ut qui hoc non observat, idem faciat, ac si effunderet sanguinem.

XVI. Dices, annon inde sequatur, multos peccasse. & quotidie peccare, qui apti & idonei generationi cœlibatuum conjugio præferunt? ab ipso Salvatore, Johanne Baptista, aliisque cœlitibus hoc præceptum non esse impletum? Verum enim vero quam diligenter & serio etiam inculcent Hebræorum Magistri istud præceptum,

suas tamen addunt exceptiones & limitationes. Ita Majemonides *Cap. XV.* libri citati subjungit: *Quem autem divina Legis intelligentia ac cognitioni egregie applicatum a re uxoria deterreat timor, ne, si quarat uxori, que ad vitam suppeditant, avertatur a legis studio, וזה מותר לדחוק omnino licet huic conjugium retardare: ut enim præceptum ad unum exequendum intentus cunctis aliis solvitur, sic etiam multo magis legis studio deditus. Nam si quis tanquam Ben Asai legis studio oblectatur usque, is, si se ad percipiendam legem penitus applicans, uxorem omnino nunquam ducit, extra noxiam est; modo hic idem libidinem habeat domitam; que libido si stimulat & pungit hominem, uxorem ducat necesse est, quantumvis liberos jam procreavit; quippe qui cœlebs fortassis in cogitationes obscœnas incidat & turpes. Idem subnectitur in שולחן ערוך: Si propter legis studium plane non ducit uxorem, אין בידו עון in ejus manu nulla est iniquitas. Addita ubique hac cautela שלא יהיה עליה יצר מותגבר עליו si concupiscentia ei non prævaleat.*

XVII. Sane Hebræi isti non longe abeunt a mente Christi Salvatoris nostri *Matth. XIX. 11. 12.* *Non omnes sunt capaces hujus sermonis (vel rei, sumpta voce λόγος, ut Hebr. דבר; Syrus vertit: לא כלנש ספק לה למלחא הווא non omnes sufficiunt huic rei, sed quibus datum est.) Sunt enim eunuchi, qui ex matris utero nati sunt ita: & sunt eunuchi, qui castrati sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui se ipsos castrarunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat. Vult igitur, ut homo se diligenter exploret, an donum hoc acceperit, ne se in tentationem conjiciat, ideoque tria genera eunuchorum refert; quosdam ab utero materno tales factos, id est castratos, seu omni calore privatos, ut non possint, aut non appetant congregari cum mulieribus: alterum genus sunt eunuchi hominum, qui ab hominibus vel voluntario, vel invito castrati sunt, dicti spadones; qui mos a Persis, secundum alios a Babyloniis, cœpisse videtur, in lege autem vetitus ratione hominis, imo etiam animantium *Lev. XXII. 24.* Syrus vocem eunuchi vertit מדימנא *fideles*, quia in Ægypto, Babylonia & Persia erant ministri regum plerumque castrati, ut de fide continentia minus essent suspecti. Vid. Suid. in σπαδονες, & Amm. Marcel. l. XIV. Tertium genus est per similitudinem de illis accipiendum, qui non revera castrantur, sed libidinis stimulo renunciantes, legis studio toti incumbunt, adeoque præcepto de multiplicatione generis humani non sunt obligati.*

Eu-

XVIII. Eunuchismus hic ergo accipitur pro singulari castitate & continentia, quæ non consistit in abſtinentia a nimio venereo actu, ut opinatur *Athanasius* pag. 147. sed ab omni; seu illa profluat ex naturali temperamento, seu a debilitate naturæ externa, sicut apud gentes illa in officiis obinebat, sive a firmo proposito voluntatis, assistente divina gratia ob ejus cultum, ut Evangelio expeditius inserviant. De hujusmodi *Eunuchis* mentionem quoque faciunt in Talmude אשת פרים שוטה *Eunuchi uxor ad bibendum cogi potest. Sota* cap. iv. §. 4. Distinguunt Talmudici inter פרים חמה *eunuchum solis*, sive spadonem natum, qui ab utero, a visceribus matris suæ talis est, nunquamque vidit solem, nisi eunuchus. Buxt. in *Lex. Talm.* eum esse putat, quem *Frigidum* Medici appellant, omni quasi calore castratum vel privatum; & inter פרים ארם *eunuchum hominis* seu *spadonem factum*, qui castratus est manu hominis, ex quo natus fuit integer. Vide sis *Jevammotb fol. 79. 2. f. 80. 2. Majem.* הלכות אישות cap. 11. & *Celeberr. Wagenfeil, de literis Orientalibus & Rabbinicis* longe meritissimum, ad *Sota Cap. I. §. 48.*

XIX. In illam distinctionem digitorum intendit Salvator, tertium genus addens per similitudinem, quale etiam agnoscunt Judæi. Neque enim Christi mentem esse, ut quis proprie se castrat, ex simili locutione Matth. v. 29. 30. satis evidens est. Huc etiam facit, quod habet *Sohar in Gen. col. 70. & col. 325. Futuro tempore (Messiæ) debilitabitur concupiscentia prava: nec quisquam desiderabit copulam cum uxore sua, nisi in finem fructificationis & multiplicationis tantum: quia scriptum est Ezech. xxxvi. 26. & dabo vobis cor carneum, id est, tale, quod carnem tantum productionem appetat. col. 308, in Gen. in mundo venturo prava concupiscentia plane abolebitur e mundo: tempore autem futuro Messiano non plane abolebitur, sed portiuicula quadam illius superstes erit.*

XX. Ex dictis jam liquet, nequaquam Paulum I Cor. vii. præsertim com. i. 7. 8. bonum esse viro, mulierem non attingere; se velle omnes homines esse sibi similes, id est cœlibes, cum Deo vel Mose committendum, Gen. i. 28. 11. 18. Apostolus enim bonum vocat, interpretante Beza, quod commodum, quod expedit propter aliud, com. 35, nec universaliter & sine exceptione, sed eorum tantum habitatione, in quos collatum est continentia donum. Accedit, quod finis naturalis, quem Deus

Deus in creatione mundi intendit, non subvertatur, licet ab hoc vel illo actus generationis non exerceatur, quia nonnulli ad illustriora pietatis officia tenentur, a quibus alii absunt sine peccato. Cum enim in homine semper esse debeat firmum & constans propositum suscipiendi & exequendi ea omnia, quæ voluntas meliora esse judicaverit, quod est perfecte sequi virtutem, certe multiplicato jam genere humano, aliisque procreationi liberorum incumbentibus, bona conscientia e duobus bonis Gen. 11. 18. 1 Cor. VII. 1. propositis, post lapsum, consideratis omnibus circumstantiis, maximum erit eligendum.

XXI. Futilia sunt, quæ hic Stapleton adnotat, ex ה demonstrativo אדם inferens personale illud esse dictum Gen. 11. 18. de solo Adamo. Nam con. 20. de eodem occurrit אדם sine ה ut & cap. v. 1. unde apparet, istud nomen simul universale & singulare esse. Accedit, quod Deus in primo conjugio conjugium posterorum sanctificavit, sicut in primo homine omnes condidit. Si igitur hic solum Adamum concerneret, ubi mansisset genus humanum? Falsum etiam est, quod Pererius vult, valere hoc præceptum Gen. 1. 28. 11. 18. tantum de V. T. de novo vero illud 1 Cor. VII. 1. quia Christus suo adventu leges illas generales de propagatione generis humani non sustulit, sed circa conjugium, tanquam circa primum institutum, primum suum miraculum fecit Joh. 11. Et qui tot filios debuit habere spirituales instar roris Psal. cx. 3. is sane non potuit matrimonium minus sanctificare. Eo autem fine hæc finguntur, ut stabiliant votum cœlibatus. Ideo miraculis adscribunt, quod plures conjuges cohabitaverint, vir & uxor uno lecto decubuerint, ultra decem & plures annos, corporibus intactis. Vid. *Simon Majo. in Diebus Canicul. de Muliere.* Nugæ gerris Siculis vaniores.

XXII. Neque Paulus vult simpliciter 1. Cor. VII. 7. 8. ut omnes maneat cœlibes; quid enim hoc aliud esset, quam humani generis interitum optare? sed suorum temporum, & Ecclesiasticæ vocationis habita ratione, propter instantem necessitatem, con. 25. & sq. qua non tam desolationem in Judæa, quam persecutionem & afflictionem imminentem intelligit, quæ tempore primitivæ Ecclesiæ, in tanto Ethnicorum & Judæorum odio, Christianis erat metuenda. Accedunt varix difficultates & molestiæ, in educatione liberorum devorandæ, quæ cultum Dei impediunt

1 Cor.

1. Cor. VII. 28. 32. Quibus cœlibes carentes expeditius verbo Dei ac precationi incumbere possunt comm. 32. 34. 35. Ideo Abarbenel in Pentat. fol. 40. 1. existimat, *Chanochum cum Deo quotidie ambulantiem divina voluntate ante tempus hac vita ereptum, quod gignendis & sustentandis liberis simul operam dederit, quo a perfectione, quam quaesiverit, abstractus fuerit.*

XXIII. Ex quibus omnibus palam est, utrumque vitæ genus Deo in sacris literis probari, & conjugium & vitæ cœlibis puritatem, sed toto cœlo errare eos, qui propter reditus, divitias, honores, otiosam & commodam vitam, non autem propter regnum cœlorum, cœlibatum tanquam onus suscipiunt, aliisve, profanis sæpe hominibus, imponunt, qui sui se potentes, & libidinem illam domandi capaces, nondum sunt experti, quod horrendam invexit scelerum colluviem & scortandi impuritatem. Erasmus ad Matth. XI. 12. vel arte, inquit, vel metu detruduntur in cœlibatum, ut scortari liceat, uxorem ducere non liceat. Et ad 1 Tim. III. 2. Nunc cœlibes habet mundus plurimos, castos perpaucos. Ecclesiasticum ordinem a matrimonio arcent, cui non satis convenire putant: quasi non providerit Deus, quid deceret suos ministros, & quibus ornamentis excellere deberent sacerdotes. De connubiis sacerdotum V. T. sive inferiores forent, sive summi, cautum erat legibus Levit. XXI. 7. 13. 14. Moses, Aaron, Eli, Samuel in matrimonio vixerunt. Ezechiel uxorem habuit cap. XXIV. nec non Esaias cap. VIII. Jeremiæ id interdicitur cap. XVI. 2. non absolute, sed restrictè ad eum locum, non ratione muneris, ut sanctior foret, sed tantum ob calamitates imminentes, quomodo omnibus illud dissuasit Apostolus 1 Cor. VII. 26. s. In N. T. Apostoli conjugati fuerunt, licet Paulus & Barnabas tales non forent, ille tamen utrique eandem libertatem vendicat, qua gaudebant cæteri Apostoli 1 Cor. IX. 5. 6. sicut ex hoc loco Tertullianus *Exhort. ad castit.* c. VIII. concludit, licuisse & Apostolis nubere & uxores circumducere. Paulus etiam inter Episcopi virtutes conjugium numerat 1 Tim. III. 2. non quasi eligendum ante vocationem necessario uxorem habere oporteat, quæ est Athanasii Vincentii expositio p. 120. 121. 539. sed quod non plures, quam unam habere debeat, quod ideo cautum, quia isto tempore & Judæi & gentes nonnullæ, quæ convertebantur, plures una habere consueverant.

C

XXIV. Aposto-

XXIV. Apostolici Canones Ecclesiasticis matrimonium permiserunt. Neque illud maculam ullam aspergere ministerio, a Patribus est creditum. Liberum fuisse conjugium clericorum Seculo I. II. tertio, ex Veteri Historia Ecclesiastica Celeberrimi Viri Spanhemius Fil. *Introduct. ad Histor. N. T. Sec. III.* & Heideggerus *Concil. Trid. Anat. p. II. ad Sess. XXIV. de Sacram. Matrim.* frequentibus probant exemplis, etiam Tertulliani, monogamiam, ut Episcopis, Sacerdotibus, clero, sic omnibus Christianis injunctam commendantis, in libris *de Exhortat. ad Castit. & Monogam.* Seculo IV. conjugium impune permiffum Episcopis, presbyteris, Diaconis. Synodus Nicena illud permisit, testibus Cyziceno in Historia ejus Concilii, Parisiis impressa cap. III. p. 170. Socrate, Sozomeno, aliis. Cui accedit Canon Ancyranus X. de permisso etiam Diaconis ordinatis conjugii voto, mansuris in ministerio & Diaconatu. Et Gangrensis Concilii Canon IV. contra Eustathianos, damnantes presbyteros *γυναικα ἔχοντες uxorem habentes. Si quis discernit Presbyterum conjugatum, tanquam occasione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideose abstinet, anathema sit.* Sunt ipsa verba Canonis IV. Eliberitani Canone XXXIII. prohibent Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis abstinere a conjugibus suis, dum positi in ministerio: supponentes eo tempore conjuges habuisse. Sed abstinere jubebantur in ministerio; sicut viri cum irent Hierosolymam sacrorum causa, abstinabant ab uxoribus, notante Drusio ad 1 Sam. I. 19.

XXV. Sequentibus demum seculis aliis Ecclesiis citius, aliis tardius Pontifices Romani legem cœlibatus obtruserunt, & magna vehementia Gregorius VII. a quo eam etiam Germani acceperunt, teste præter alios Lamberto Schafnaburgensi Monacho *de rebus gestis Germanorum.* Decrevit, inquit, ut presbyteri uxores non habeant, habentes aut dimittant aut deponantur, atque Episcopis Galliarum præcepit, ut ipsi quoque in suis ecclesiis similiter facerent. Adversus hoc decretum, pergit, protinus vehementer infremuit tota factio clericorum, hominem plane hæreticum & vesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini Matth. XIX. non omnes capiunt hoc verbum, & Apostoli, qui se non continent, nubat.... Et dum consuetum naturæ cursum negaret, fornicationi & immunditiei frena laxaret. Quod si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium, quam con-

conjugium deferere: Addit, nonnullis visum, ut Archiepiscopum Moguntinum iussu Romani Pontificis hoc urgentem, cathedra episcopali deturbarent, & merita morte multato insigne monumentum ad posteros transmitterent. Ex Lamberto hoc etiam refertur in *parte II. Tom. II. Concil. General.* Et quot malorum causa extiterit lex prohibens conjugium, non modo contra verbum Dei, sed etiam contra æquitatem, quia nulla ratione id prohibere licuit, quod Deus reliquit liberum, agnoscunt ipsi Romani Pontifices passim, atque Scriptores Pontificii; in ipso Concilio Tridentino acriter huic rei reclamatum esse, testatur *Historia Concilii Trident.* lib. VII. & VIII. *Sed longus fio, dum brevis esse volo.* Plura qui desiderat, legat eruditum *Beza Tractatum supra citatum de Polygamia successiva*, a quo hæc materia solide & facunde pertractata.

XXVI. Hoc saltem monemus cum Munstero, Christianis a Judæis objici, quod comburant filios & filias suas, hoc est, monachos & monachas, qui comburantur fornicatione: Fervent enim, inquit, & flagrant desiderio fornicandi, & non possunt exequi. Hæc combustio abominatio est Deo, quam ipse odit: & fornicatio apud minores prophetas vocatur combustio, contra ipsum Paulum, qui dicit, melius esse nubere mulieri, quam uri. Ita Christianos proprio gladio confodiunt Paulum ipsis objicientes. His & similibus offendiculis Romanenses, quantum in se, non parum istius gentis conversionem impediunt. Erasmus clementius tractare suos liberos putat parentes, si quos coelibatui destinassent, pueros etiamnum curarent exsecandos, quam si integros nolentes aut inscios conjicerent in hoc incendium libidinis. Tantum de generali multiplicationis & generationis mandato. Nunc ad alia festinamus.

C A P U T II.

De speciali mandato & conjugii prima Institutione, sive de norma Contractus matrimonialis in futurum a Deo sancita Gen. II. 23. 24.

NE autem post mandatum crescendi & se multiplicandi Cap. I. Geneseos a Mose narratum, hominum & brutorum eadem ratio videretur, & quælibet conjunctio, citra ullam semel conjunctorum obligationem, aut quorundam sejunctionem, honesta censeretur, pergit historicus sacer omnium anti-

tiquissimus clarissime demonstrare, quomodo Naturæ Auctor clarioribus verbis conjugium institui, & speciali lege homines circumscribi voluerit, quo unus mas non promiscue cuivis, sed uni fœminæ sibi delectæ, per totam vitam, fide data matrimonii, potestatem sui corporis faceret. Quam voluntatem naturæ hominis impressam Dominus Deus per Adamum enunciavit, & per Mosem consignari curavit Gen. 11. 24. על כן יעזב איש את אביו ואת אמו ודבק באשתו והיו לבשר אחד. *Ideo derelinquet vir patrem suum, & matrem suam; & adhaerebit uxori suæ, eruntque in carnem unam.* Non solum Adamo & Evæ, primis conjugibus, verum etiam sequentibus omnibus posteris hæc verba attemperata sunt, quandoquidem priora accommodari nequeunt ei, qui nec patrem habuit nec matrem, quos uxoris gratia defereret, sed solum Deum, quem deferere nefas. Absurdum enim est & ridiculum, quod Sabæi Adamum volunt virum fuisse ex viro & fœmina, more reliquorum hominum progenitum. Maym. *More Nevoch. lib. III. c. XXIX. in libris, ait, de religione Nabathæa fit mentio Janbuschari, Zeruhi & Romani, dicuntque* כי הם קורם אדם ושינבושאר היה רבו של אדם הראשון *quod fuerint ante Adamum, quodque Janbuschar Magister fuerit primi hominis.* Quam sane opinionem non hauserunt e sacro Codice, sed libris supposititiis Sethi & Enotchi, teste Majem. loc. cit. Ideoque sine ictu nostro mole sua præceps ruit.

II. Non est quidem hoc præceptum in natura Dei fundatum, sicut tria priora Decalogi præcepta, & quartum de Sabbatho, quod quoad cultus substantiam, naturali æquitate nititur; a quibus præceptis deviantes directè divinæ naturæ contrariantur: sed ex natura hominis a Deo condita fuit, & in sola Dei auctoritate fundatur, cui non alia de causa obsequium debetur, quam quia Deus sibi vult morem geri: adeo ut qui illud transgreditur, non quidem impingat in Dei naturam, sicut qui Deum blasphemat, vel aliud Numen adorandum ponit, sed resistat voluntati Dei manifestatæ, & naturæ rei a Deo constitutæ, atque ita per consequens naturæ Dei, quia sine essentia concipi nequit ejus voluntas, a cuius libertate multa dependent & procedunt præcepta, quæ per naturam Dei etiam aliter se habere potuissent. Siquidem natura Dei non mutatur, aut quidquam fit, quod cum ejus perfectione aut sanctitate pugnet, sive plures uxores habeas, sive unam, modo Deo summo Legislatore aliter instituire vitum fuisset, qui certe nusquam

magis quam in matrimonio *ὅπως ἔθηκε τῆ φύσει fines & terminos præfixit natura*, ut præclare Chrysoſtomus.

III. Ab arbitrio Dei fluxit modus humanæ societatis, homini præſtitutus, & a principio potuiſſet creariſſe Evam non unam; ſicut potuiſſet multitudinem hominum creare: & ſicut meræ poteſtatis eſt, hominẽ, cum non eſſet, facere, ita meræ poteſtatis eſt, hoc vel illo modo creare. Sed vero deſponſationi conjugũ Adami & Evæ ſubjicitur Lex ſupra memorata, de indivulſa ſocietate; quæ quamvis minorem immutabilitatis gradum obtineat, quam ea, quæ immediate & directe fuit a natura Dei, qualis erat lex de obediendo Deo, eumque ex omnibus viribus diligendo, hominis cordi inſcripta, qua Deum creatorem ſuum, utpote a quo dependebat, diligere & revereri jubebatur; mutari tamen nequit, ex hypotheſi voluntatis divinæ, quæ immutabilis eſt, qua ſemel ſtatutum non poteſt fieri non-ſtatutum.

IV. Cæterum qualis hæc ſit lex de conjugio, poſitiva ſola, an ſimul naturalis vel moralis, dubium videri poſſet. Ideoque operæ pretium erit heic accuratius indagare, an Adam naturæ beneficio, ſuppoſita hac creatoris ordinatione rerumque conſtitutione, conjunctionis maris & tœminæ modum cognoverit, & utrum Deus hic, ſicut in reliquis ſuis operibus, legem naturæ dederit, juxta quam ea regeretur & gubernaretur. Si quis per legem poſitivam intelligat jus mere poſitivum, certo legis arbitrio inſtitutum, vel *δὲγμα*, quod variari poteſt atque temporarium eſt, quale a Deo poſitum de circumciſione, de die ſeptimo ſabbathi, de diſcrimine ciborum, de Paſchate, de lotionibus, & ſimilibus rebus indifferentibus; nemo non videt, hanc legem non eſſe poſitivam dicendam. Hujusmodi enim præceptum poſitivum & arbitrium unicum tantum homini integro datum Gen. 11. 16. 17. Sin vero per poſitivam hic intelligas, quæ externo mandato tradita, omnes tamen homines, Adami filios obligans, facile largimur uſum hujus termini, quia hac ratione & præceptum fructificationis datum Gen. 1. 28. 1x. 1. quod tamen naturale; atque totus Decalogus, præcepta moralia comprehendens, quæ de moribus & officiis hominum agunt a Deo poſita & ſcripta, juxta quæ vitam omnes inſtituerent. Quemadmodum D. Arcuarius pag. 3. concedit, jus naturæ etiam poſitivum poſſe vocari, quatenus moralitas a voluntate legislatoris proficiſcitur. Neque Adamo per naturam creatione tantum tradita ſunt officia pietatis erga Deum, verum

etiam honestatis erga creaturas, ut cognosceret, quid deberet superiori, quid æquali, quid inferiori, & omnino quid agendum, quidve fugiendum, quia factus est ut princeps cæterorum hominum. Ut taceam, qui Mosem historiam naturalem tantum scripsisse, & conjugium natura notum proposuisse rentur, ob mentis nostræ tenebras, & rationem depravatam, comprobante Daph. Arcuario p. 63. Ita Mercerus Mosem ex Spiritus S. afflatu comma 24. ut cætera attulisse judicat, sicque Spiritui Sancto hæc verba tribui posse, & Deo ipsi, ut hæc sit conjugii institutio & ordinatio & lex inviolabilis, quam Spiritus S. deinceps hominibus proponat ad imitationem primorum parentum.

V. Et revera quod cognovit Adam mulierem, adjutorium sibi conveniens Gen. 11. 23. quale inter cætera animantia non repererat comm. 20. id naturæ beneficio cognovit, non autem positiva aliqua sanctione edoctus fuit, aut edoceri necessum habuit. Nam postquam Deus ipsum consopivit, & profundo sopore, quem vox ^{הסגרת} denotat, quadantenus stupefecit, sive secundum LXX. *ἐπέβαλεν ὁ Θεὸς ἐκστασιν ἐπὶ τὸν Ἀδὰμ Adamum in ecstasi conjecit*, ut exemptam sibi costam non sentiret, ex qua mulierem extruxit, (Abarben. in leg. f. 28. 2.) hujus ille tanquam amabilissimæ sponsæ originem statim agnovit, non conjectura, sed certissima notitia. Talmudici tradunt, *Adamum ad omnes bestias venisse & animantia, sed non refrixisse mentem ejus, donec coierit cum Eva. Jevammoth. fol. 63. 1.* Quod vulgo sinistre interpretantur contra Judæos, quasi Adam prius cum omnibus animalibus coierit, antequam Evam uxorem attigisset. Est autem in editione Basileensi explicatio in margine posita, quod animo & intellectu consideraverit naturam ipsorum, sed cum non satisfaceret ipsi, convertens se ad Evam dixerit, Hoc est hac vice os ex ossibus meis &c Verba editionis Basileensis hæc sunt: *שכא ברעתו והחבונותו על טבעתם*.

VI. Si jam comma 24. cohæreat cum præcedenti, continuetque sermonem Adami, uxorem agnoscentis, quæ Aben Esræ sententia est, etiam naturæ beneficio modum conjunctionis maris & foeminæ, à Deo præstitutum cognovisse, & ex hac mulieris formatione, unam uxorem uni viro jungendam, collegisse videtur. Ut ita thesi ad hypothésin accommodata, omnibus suis posteris secuturi mundi leges conjugii edixerit. Alii tamen cum Chrysostomo Adamum, multiplicatum irigenus humanum per congressum viri, & mulieris, prophetia sua & spiritualibus oculis prævidisse putant.

VII. Si

VII. Si vero verba illa com. 24. sint verba ipsius Dei, legem perpetuam de conjugio sancientis, quod non Moses, sed Christus determinavit Matth. XIX. 4. 5. *Opificem (Deum) ab initio masculum & foeminam fecisse & dixisse, propterea relinquet homo patrem &c. quemadmodum R. Sal. Jarchi fatetur, quod נח לאכור שריות לבני נח ויהי הקודש אומרת בן לאכור שריות לבני נח* Spiritus S. hoc dicto nuditates Noachidarum prohibeat. Celebrerrimus Morus scribit, Adamum visione præmonitum continuo pronuntiare potuisse, Hoc quidem os est ex ossibus meis, & caro ex carne mea. Quam vilescunt reliqua animantia ad hanc comparata? congruumque nomen ipsi indidisse, *virissam* appellasse, quod ex viro sumpta sit. Tunc dixisse Dominum Deum, Recte narras, Adame: Et ob hanc ipsam causam derelinquet unusquisque patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & illi duo una erunt caro.

VIII. Inde tamen nondum sequitur, hanc legem mere positivam esse dicendam. Cum Deus Opt. Max. in creatione non solum naturam omnium rerum produxerit, verum etiam leges naturæ dederit, juxta quas ea gubernaretur, quæ post lapsum & promissum semen, vim suam non amiserunt; quales sunt, quæ post diluvium repetitæ, cursus siderum, quæque hinc pendent dierum & noctium vicissitudines, & tempestatum anni varietates Gen. VIII. 22. Jer. XXXI. 35. 36. cap. XXXIII. 20. nec non conservatio ac multiplicatio hominum per generationem Gen. I. 28. atque hoc sine observatio conjugii cap. I. 24. Matth. XIX. 5. 6. Etsi enim homo per peccatum facultate vitam naturalem communicandi, & generando propagandi, merito excidisset, Dei tamen longanimitate & benignitate hoc beneficium propagationis redditum continuatumque fuit, Deo matrimonii nexum ante institutum rursus, & quidem duriore mulieris conditione, adstringente. Gen. III. 16. 17.

IX. Adeoque lex illa cap. II. 24. Geneseos ad totum genus humanum manavit, cujus infitas & quasi consignatas in animo notionem illa zelotypiæ affectio, quæ tam viris, quam foeminis inest, indicat. Quemadmodum ipse Ath. Vincentius *Discursu de Polyg.* p. 95. instinctum illum naturalem quidem negat, quo maritus unus una debet esse uxore contentus, de mulieribus tamen concedit, quod illis sit concreatum, uno viro esse contentum, quanquam post lapsum in multis ex mala educatione quasi extinctum. Sed rogo, cur magis foeminis

minis id sit concreatum, quam maribus, una uxore esse contentum? & quidni post lapsum in multis maribus id exstinctum dicamus? ita ut si vir plures uxores, contra primam institutionem duceret, a naturali lege deviaret: haud secus ac si homo jam aliter formetur, ac formatus est primus homo, v. gr. biceps, vel quatuor oculis, deviatio foret monstruosa, & exorbitatio naturæ.

X. Lege illa matrimoniali teneri totum genus humanum, inter alia probatur hoc argumento. Quod primis parentibus, qua primis parentibus, injunctum fuit, id omnes homines absolute obligat. Ratio minime obscura est, quia in horum lumbis omnes fuerunt Act. xvii. 26. Ita autem limbo majorem, quia deinde qua fidelibus, & ad fœdus gratiæ pertinentibus, aliquid potest esse injunctum, quod ex ipsis natos non obliget. Neque speciale & symbolicum præceptum cibarium, quod experiundæ obedientiæ legis naturalis inferviebat Gen. ii. 16. 17. deque colendo paradiso com. 15. constrinxisset totam posteritatem, si homo mansisset integer. Conjunctionem vero unius maris & unius fœminæ esse a Deo injunctam primis nostris parentibus, qua parentibus, asserit Salvator loco supra citato.

XI. Cui argumento & explicationi calculum suum addit Abarbenel, quem operæ pretium est audire in *Pentat fol. 29. 2.*

כפי פשט הכתוב פשוטו מבואר שאמרה תורה שמפני היות הדבר מופלא שנעשה בתחלת הכריאה להיות האשה נעשית מגוף האדם וכשרו הטביע הקרוש ברוך הוא לזכרון זה טבע בכל יוצאי חלציו של אדם שכל איש מהם כשישא אשה יעשה כמעשה אביו הראשון כי כמו שהאדם לא נשאר לו אהבה עם הארמה שהיא אמו ולא עם המטר שירד עליו ונתערב בה בענין תולדו שהוא היה במדרגת האב המוליד ועוב אהבתם ודבק באשתו כן כל יוצאו חלציו יעוב את אביו ואת אמו וידבק באשתו כאלו היו בשר אחר לזכרון אביהם הראשון ואשתו חוה שהיו מבשר אחר:

Simplex & literalis sensus hujus textus evidens est: Lex enim pronunciat, quod initio creationis, fœmina ex Adami corpore, mirabili modo producta, & ex carne ejus facta, Deus Sanctus & Benedictus hanc naturam omnibus, ex Adami lumbis egredientibus, impresserit, ut unusquisque illorum, qui uxorem duxerit, factum illud primi sui parentis imitaretur. Sicut enim Adami amor non amplius ferebatur in terram, quam pro matre agnoscebat, neque in pluviam, qua super eam descendit, eique immixta est in negotio generationis ejus, atque in eodem gradu cum patre gignente erat, sed amore in ea relicto & neglecto, adhesit uxori suæ: Eodem modo quicumque lumbis ejus egrediuntur, deserant patrem suum &

matrem

matrem suam, & adherescant uxori sua, ac si essent una caro, in memoria primi patris sui, ejusque uxoris Eve, qui fuerunt ex una carne. Expressis verbis testatur Abarbenel, hunc esse omnibus insculptum instinctum naturalem, ut primum genitorem suum, in deserendis parentibus, & ducenda una uxore imitarentur. Adeoque concludimus, illud institutum ab initiis naturæ, in creatione homini inditis, esse ductum, cujus vis etiam ad totum genus humanum manarit.

XII. Denique hujus legis vel institutionis ratio ex Decalogo facile probari potest, quia quod lege naturali præscriptum est, nusquam post peccatum Adami perfectius reperitur expressum, quam in Decalogo, unde ita argumentari licet: Ad quam legem pertinet adulterium, ad eam etiam conjugium spectat. Quia contraria sunt sub eodem genere, & præcepta negativa, actum vitiosum interdicens, complectuntur contraria affirmativa, actui vitioso oppositum jubentia, sicut conjugio adulterium opponitur. Quis autem dubitabit, quin adulterium pertineat ad legem moralem, non mere positivam? Cum omnia vitæ officia, quæ septimo Decalogi præcepto continentur, ex principiis & fundamentis naturæ duci queant. Quæ etiam ratio est, quod Judæi illud præceptis Noachidarum annumerent, ad quæ tamen perperam legem naturalem restringunt, & hanc sola traditione constare, & augmentum capere statuunt: Cum sit ex æterno autographo quasi perpetuum chirographum, vitæque nostræ regula sempiterna. Eiusdem igitur erit naturæ conjugii institutio, cujus est adulterium, septimo Decalogi præcepto prohibitum.

XIII. Quibus ita expensis, non video, cur Illustris Auctor magni Operis *de Jure B. & P. lib. 11. c. v. s. 1x. 3* & ad Marc. x. 8. commentario existimet, ex prima illa conditione, qua uni mari foeminam non nisi unam Deus attribuit, satis apparere quid optimum sit, Deoque gratissimum, & hinc sequi, semper id fuisse egregium & laudabile: non tamen ut aliter facere nefas esset, quod lex ea de re nulla illis temporibus extiterit, sed nova a Christo condita sit. Atqui sana ratio, sive dictatum rectæ rationis, quod ipsi est jus naturale, suadet & jubet, ut homo semper in tota vita sua exequatur omne id, quod optimum esse judicat: Qui igitur placere & gratus esse potest Deo, qui aliter facit, & non quod optimum, Deoque gratissimum est, sectatur? Neque Servator

conscientiam Judæorum provocaret ad primum illud principium, si non semper illud optimum esse judicaret. Deinde falso supponit, conjugii Institutionem, quam admittit, vim legis non habere, sicut nonnulli distinguunt, inter institutionem & præceptum, sive legem, quod institutio tantum, quid Deo placeat, ostendat, nihil autem jubeat aut vetet, quod tamen falsum esse hic cum Musæo agnoscit D. Arcuarius p. 66. 67. omnem institutionem vim legis habere statuens. Quæ enim est, si hæc non est lex, quam Deus in creatione rerum dedit, & cui conformem vitam tot gentes instituunt? Adde, supponi, non probari, nova præcepta a Salvatore esse addita præceptis legis, cum quæ ad hoc stabilendum adferuntur, omnia jam olim in lege præcepta sint vel prohibita, quod solide & erudite demonstravit magnus Theologus Frid. Spanhemius in *Dubis Evangelicis*, unde hic abstinemus a digressionem.

XIV. Quæ cum ita sint, ad ipsam jam institutionem sive legem veniamus, & singula verba accuratius examinemus ac enucleemus. Imperavit Deus 1. conjunctionem *איש ואישה* *vir & uxor*, sive *virisse* (si has voces latina lingua patiat) sive viri & mulieris: non viri cum bestia, specie diversa; neque etiam viri cum viro, sexu eodem, sed viri cum foemina, ejusdem speciei & conditionis, sed sexus diversi. Hinc *masculum & foeminam creavit eos* Gen. 1. 27. Additur Gen. v. 2. *vocavitque eorum nomen אדם hominem*. Vatablus non male observat, eo ipso individuum mariti & uxoris societatem commendari; hoc enim dicendi genere significari, post ordinatum conjugium fuisse virum & uxorem instar unius hominis. Hisce igitur nominibus, quando conjuges dicuntur *vir & uxor*, interdicta est bestialitas & Sodomia, a Sodomitis & Romanis olim perpetrata, & gentium Apostolo damnata Rom. 1. 26. 27. & cum ambo vocantur *אדם homo*, Polygamia prohibita est; qui se mutuo tanquam unam personam considerant, dum maritus uxorem considerat tanquam seipsum in foeminino genere, ipsaque maritum tanquam seipsam in masculino, quod suo loco porro discutiendum.

XV. 2. Conjunctionem mandat unius viri & unius mulieris, non virorum & uxoris eorum, neque maris & uxorum ejus. *איש ואישה* enim dicitur *איש vir & mulier*, uterque in singulari numero. Non masculinum & multas foeminas (ait Chrysostomus in *Matth. hom. xxxii.*)

ut

ut uni masculino liceat plures fœminas possidere; neque masculos & fœminam, ut uni fœminæ liceat plures viros accipere, sed masculum & fœminam, ut una fœmina nullum masculum putet factum esse in seculo præter unum: ut unus masculus nullam putet fœminam esse factam in seculo nisi unam. Probant hanc argumentandi rationem Talmudici *jevammoth*. Cap. vi. fol. 59. 1. ex Levit. XXI. 13. Sacerdos יקח אשה אחת ולא שתי. Sacerdos accipiat, nempe singulariter, designari volunt, unicam ei duntaxat ducendam וְאִין נִשְׂא שְׂרָי נָשִׁים לְעוֹלָם כְּאַחַת שְׂנֵאֲמֵר אִשָּׁה אַחַת וְלֹא שְׁתֵּי. *Scriptum quidem est hic uxor seu fœmina una seu singulariter & non bina.* Pariter Majemon *Hilch. isure bia* cap. XVII. וְאִין נִשְׂא שְׂרָי נָשִׁים לְעוֹלָם כְּאַחַת שְׂנֵאֲמֵר אִשָּׁה אַחַת וְלֹא שְׁתֵּי. *Non omnino ei ducenda erant uxores due simul. Nam dicitur uxor seu fœmina singulariter, & non bina seu plures.* Quidni liceat nobis ex hisce nominibus in singulari numero positis idem concludere? Quia duo in carnem unam junguntur, qui ad imaginem Dei conditi, non veluti bruta, excellentia destituta, cuicumque alterius sexus sociari debent.

XVI. Pulchre de etymologia אשה *vira* a voce אש, & differentia hominis ac brutorum Abarbenel *in leg. f.* 29. 1. *Primi homines Adam & Eva וְאִשָּׁה אִישׁ vir & vira vocantur, quia vira facta est e costa viri, ideoque nomen ejus derivatur a nomine viri, quemadmodum corpus ejus derivatur a viri corpore.* In reliquis speciebus id observari negat, aut si nomen fœminæ derivetur a nomine maris, sicut ברר *juvenca* a בר *juvencus*, id ex eo contingere, quod destituantur individuis nominibus, quibus animalia singula designentur. Addit, in omnibus linguis unum nomen specificum homini tribui, diversa autem nomina viris seorsim & fœminis assignari, tanquam individuis ob dictam rationem. AbenEsra mysterium invenit in hisce nominibus וְאִשָּׁה אִישׁ non asperrandum. Nam in אש & אשה, inquit, contracte nomen אשה *fehovah* continetur, nempe ה' inest enim eis & ה'. Quamdiu ergo maritus & uxor in Dei timore amoreque mutuo vivunt, Deum cum illis est, perinde atque in nominibus eorum; quod si Deum relinquant per inobedientiam, nec illud sibi mutuo præstent, quod alter alteri debent, tunc conditio eorum ea est, quam extrito Dei nomine nomina eorum ipsis denotant, scilicet אש & אשה *ignis & ignis*; ignis nempe discordiæ in hac vita, & æternus gehennæ ignis in futura. Pium hoc sane ingeniosumque commentum est ingeniosi Rabbini, quem præ aliis רב חכם *Sapientem* appellare solent.

XVII. 3. Lex conjunctionem liberam non coactam indigitat, verbo יִגְנוֹבֵב i. e. *deseret* libere domum paternam, non יִגְנוֹבֵב cogetur deserere; & *adhærebit*, libera pariter voluntate, non autem cogetur adhærere. Igitur neque bruto & cæco impetu concurrant, neque a parentibus liberi sine causa cogantur. *Quia uxor est fœderis tui* Mal. 11. 14. Fœdus autem est pactio mutua, liberissimo consensu inita, quæ deliberationem & consultationem postulat cum amicis. 4. Non indefinite cuique obviæ adhærebit, aut alienæ, aut promiscuæ, aut multis uxoribus, ideo notanter & signatius dicit וְאִשָּׁתָּא *uxori suæ*, non uxoribus suis. Quod procul dubio dixisset Deus, si Polygamiam approbasset in posteris Adami, de quibus hæc lex intelligenda. Si enim *suæ* adhærescat, quam eligendo suam fecit, ergo non promiscue, cui vult. Ut ita rursus Polygamiam, scortationes & adulteria hic prohibita esse constet.

XVIII. 5. Conjunctionem exigit arctissimam, verbo קָדַח *glutinis* & bituminis instar adhærebit, seu agglutinabitur, quam emphasin etiam expressam dederunt LXX voce προσκολληθησονται, sicut κόλλα & gluten res duas adeo arcte conjungit, ut non duas, sed unam esse putes; uti de polypo refert Ulysses Aldrov. quod ita rebus adhærescat, ut inde avelli non possit, & quamcunque rem apprehenderit, tam firmiter teneat, ut agglutinatus videatur, quo nonnulli amoris firmitatem intelligendam contendunt. Arctissima hæc adhæsiō non tantum est interna cordis Deut. x. 12. 20. Psal. LXXIII. 9. verum etiam externa corporis 1 Cor. VI. 16. 17. de utraque videtis Gen. xxxiv. 3. *adhæsit animus Schechem ad Dinam filiam Jacobi, quam compressit concumbens cum ea*, com. 2. Vox Hebræa קָדַח talem rerum coadunationem denotat, qualis est in metallis, quæ ferruminantur Esa. xli. 7. conf. 1 Reg. xxii. 34. 2 Par. xviii. 33. Psal. cii. 6. cxxxvii. 6. Job. xix. 20. xxix. 10. Prov. xviii. 24. 2 Reg. v. 27. Ruth. i. 14. ii. 8. Ex quibus judicare promptum est, præter dilectionem uxoris, & amorem conjugalem, quo maritus uxorem tanquam os & carnem suam complecti, fovere & nutrire tenetur Eph. v. 28. 29. simul individuum adfociationem, nec non corporum conjunctionem intimari, quod & sequentia verba, *erunt in carnem unam*, clare demonstrant. Quam indivulsam copulam Deus etiam innuit Gen. ii. 18. *Faciā ei auxilium כְּנֶגְדוֹ juxta ipsum*, jugiter consistens coram ipso, quod ipsi conveniat, ut id diligat tanquam se ipsum.

ipsum. Quomodocunque interpreteris, ex hac & conglutinationis phrasi, quæ teste R. Sel. in *Michlal* מִיחְלָל *consociationem* & *conjunctionem* denotat, abunde liquet, Polygamiam, divortium, stuprum & adulterium iterum esse interdicta. Quia conjugia foederum instar sunt inviolabilia.

XIX. 6. Imperavit Deus conjunctionem tam arctam, & tam firmum foedus matrimonii, ut vir parentis familiam relinquere debeat quoad cohabitationem, quo novam cum uxore constituat, & vice versa Psal. XLV. 11. *Obliviscere domus paterna tua*: Magna licet sit conjunctio inter liberos & parentes, quorum pars illi sunt, major tamen est ex instituto divino inter conjuges. Ex qua tam arctæ amicitiae institutione non tantum apparet, Deo gratissimum esse, ut perpetua sit ea conjunctio, concedente Grotio, verum etiam eo evincitur, jam tunc a Deo imperatum, ne illa amicitia, alias superinducendo, violaretur, aut foedus illud solveretur, quod ille negat. Neque tamen illud præceptum juri naturali & divino de honore parentum contrarium centeri debet, siquidem patrem & matrem deserere, non est debitum honorem, amorem, reverentiam, obedientiam & operam parentibus denegare, sed quoad domicilium se separare, & familia parentum deserta, uxori cohabitare, exemplo Judæ Gen. xxxviii. Recte Aristoteles 1. *æcon.* 111. *Uxori post parentes vir honorem habet præcipuum.* Quo sensu intelligendum illud Ecclesiastici 111. 17. *tanquam blasphemus est, qui derelinquit patrem suum*, scilicet non quotidianæ cohabitationis, sed dilectionis, curæ, sustentationis, & reverentiæ ratione. Quoad reverentiam & obedientiam impensius & intensius diligendi sunt parentes, quam uxor, vi juris naturalis & Decalogi v. præcepto. Sed quoad domesticam societatem, & cohabitationem, adfectuum, corporis, prolis, vitæ denique totius communionem, maritus plus diligere tenetur uxorem, vi hujus præcepti, tanquam suum ipsius corpus, atque adeo tanquam semet ipsum. Quod Paulus urget Eph. v. 28. 31. 1 Cor. vi. 16. & 3. Esdr. 1v. 25. Si vero parentes hunc nexum sine causa impedire aut dissolvere conentur, illis etiam hac in parte renunciandum, cum potius & antiquius sit hoc vinculum, quam præceptum v. Decalogi.

XX. D. Arcuarius p. 69. 70. amorem viri erga uxorem præ-

D 3

ferri

ferri quidem fatetur amor erga parentes, sed non amor parentum erga liberos; hunc esse multo vehementiorem contendit, ex Esa. XLIX. 15. & tamen a parentibus amari posse non modo unum, sed plures plenissime. Neque hic præceptum dari autumat de deserendis parentibus, sed Adamum tanquam Prophetam prædicere, virum hoc facturum, non autem probare, ut fiat; non enim esse deserendos parentes, si desertio de filiali amore & obedientia intelligatur. Ad quæ respondemus primum, quod propensi quidem sint parentes in prolem, præcipue matres, non tamen æquali amore filios omnes complectantur. Maximus amor est, cum in uno solo occupatur. Qui enim plures habet liberos, minus singulos diligunt, cum æqualiter in omnes amor illorum effundatur; qui vero in unicum tantum confertur, longe est vehementior, quod Poeta in comparatione expressit: sicut pater suum filium amplectitur, venientem ex longinqua terra, sic Telemachum Eumæus. *Hom. Odyss. lib. XVI.* quemadmodum Penelope Homericæ ἀγαμία sua tam diuturna comprobavit, quia novis nuptiis filium suum deserere, imo quodammodo amorem illum suum exuere cogebatur, ut in aliam prolem illum conferret, ideo in ea viduitatis conditione remanere maluit, ut Homerus loco citato pluribus refert.

XXI. Quod alteram objectionem attinet, præceptum non datum esse, sed meram prophetiam de re futura sive bona sive mala, id supra aliter demonstravimus ex Matth. XIX. & Hebræorum interpretatione. Futurum in lingua Hebræa passim pro eo, quod debet fieri accipitur, sicut Malach. I. 6. *honorabit, timebit*, id est, honorare, timere tenetur. Conf. Gen IX. 6. Si ergo tanta sit vis conjunctionis viri & uxoris, ut fas sit propter eam parentes relinquere, & eis non servire, non potest non esse injustum, si quod uxoris est corpus, alii sceminae tradatur. Si enim pater & mater uxori non faciet controversiam, quo minus integre adhærescat vir uxori suæ, qui id faciet secunda tertiave scemina, aut concubina?

XXII. 7. Iisdem verbis *אמו ואת אביו את יעוב את אביו ואת אמו* idcirco deseret *patrem suum & matrem suam*, interdixit Deus conjunctionem in linea ascendente, quod observant Chaldæi paraphrastæ ad unum omnes. Onkelosus hoc modo interpretatur: *על כן ישבוק גבר בית משכני אביו ואמו*: *propterea relinquet homo cubile patris sui & matris sue*. Pseudo-Jonathan. *על כן ישבוק בגין כן ישבוק גבר ומתפרש מן בית נדמכיה דאבוי ודאמיה*: *ideo relinquet vir &*

se-

separabitur e domo ipsius cubilis patris sui & matris sua. Hierosolymitanus: *ידעו לבר אחר ודיו לבשר אחר* & *מאמר דאבוי ומאמר דאמו* *patris sui & matris suo.* Nam liberi nondum nupti apud Judæos cum parentibus in eodem cubili dormivisse videntur, juxta illud Luc. xi. 7. *Καὶν* cubile, & lectum significans respondet Hebræo *משכב*. Deinde per metonymiam adjuncti honeste sic congressus viri cum muliere exprimitur Rom. xiii. 13. notante etiam Stephano, a Gregorio pro concubitu accipi. Innuunt igitur veteres illi interpretes, hanc esse legem conjugii, ut vir illud legitime obire nequeat, quin familiæ patris & matris suæ renunciet, & a parentibus discedat, ut cum uxore habitet; quemadmodum usus ipse interpretatur, & dictum Esd. iv. 20. *Vir patrem relinquit, qui educavit eum, & regionem suam, ut adjungat se mulieri.*

XXIII. Denique 8. individuum & indissolubilem conjunctionem mandat *והיו לבשר אחד & erunt* (duo scilicet, ex Matth. xix. 5. & reliquis Interpretibus) *in carnem-unam.* Hoc enim Mosem voluisse, Christus ex LXX. significat. Unde *Matrimonium* Thalmudica lingua *שני* vocatur ex *שן* corpore & *ו* duo, & Hebræi ajunt, *præstat sedere TANDU* i. e. in conjugio, vel cum marito, quam in viduitate. Particula illa *duo*, nisi quis contentiosus esse velit, accipi non potest, quam cum exclusionem plurium. Et cum *una* jubentur esse *caro*, eam non est fas divellere, ne unum corpus mutiletur, argumento loci 1 Cor. vi. 16. 18. postquam ita sunt conjugati, ut unus factus sit alterius. Injurius est in creatorem, qui, quod ejus ordinatio unum fecit, dividit, quemadmodum si quis partem corporis præscinderet, se per malitiam deformem redderet.

XXIV. Adeoque hic una caro non tam liberos respicit, qui sint una patris & matris communis caro, nec cognationem, ut Esa. lviii. 7. utramque explicationem D. Arcuarius etiam rejicit p. 76. nec amorem mutuum, qui per conglutinationem & desertionem parentum jam expressus est; sed corporum conjunctionem carnisque commixtionem significat, vi loci modo citati 1 Cor. vi. 16. & unum hominem, quia caro pro toto homine ponitur Gen. vi. 3. Lev. xiii. 18. Deut. v. 20. 26. Esa. xl. 5. Joh. i. 14. Quemadmodum Arabs vertit illud Gen. i. 26. *לנעמל בשרא* *faciamus*
car-

carne, id est hominem, qui Rabbiniis בשר דמי perque Rabbiniſimum in N. T. σαρξ και αιμα *caro & sanguis* dicitur Matth. xvi. 17. Heb. 11. 14. Atque ita Æthiopica verſio eleganter locum noſtrum exprimit. Matth. xix. 5. *Erunt ambo* אֶחָד: שָׂרָא: וְאַחַד: דָּם: *una caro & unus sanguis*, i. e. unus homo. Arabs & Perſia vertunt: *erunt ambo corpus unum*. Inde vetuſtiores Karæi nomen apud recentiores forſati ſunt תּוֹךְ הַכּוֹבּוּץ *Magiſtrorum inſitorum ſeu unione conjunctorum*, quoniam conjugum perſonam alteram in alterius ſic inferi, ſeu utramque in unicam conſari voluerunt, unde & מְרַבֵּים *inferentes aut unione conjungentes* ſæpius dicuntur. Pariter in *Sohar* col. 158. in *Levit. Conjunctio maris & fœmina vocatur Unum*. Quomodo Polygamia, divortia, & ſimilia ante notata hic rurfus interdicta occurrunt.

XXV. Quibus omnibus probe penſitatis, ſatis, opinor, clarum eſt, non niſi conjugium inter duos hic tanquam licitum declarari, & inceſtum unum hac lege ita deſcriptum & vetitum, ut plures iisdem verbis contineantur. Hinc neutiquam probanda eſt Hugonis interpretatio, ſenſum verborum Gen. 11. 24. eſſe, cum omnibus, præter patrem & matrem, conjugium poſſe copulari. Si ita reſtringenda forent, ſequeretur, interdictum eſſe viro patrem ſuum in uxorem accipere; de ſolo enim viro ſermonem eſſe, liquet; Quod omnino abſurdum eſt. Ideoque ſicut idem de uxore per conſequentiam intelligendum, quemadmodum Chriſtus in genere de ἀνθρώπων *homine* explicat Matt. xix. 5. nec non Paraphraſtæ Orientales, ita per conſequentiam plures inceſtus prohibiti cenſeri debent.

XXVI. Neque ab hac noſtra explicatione abludunt Hebræorum Magiſtri. Jarchium ſupra audivimus, *Verbis illis uſum eſſe Spiritum S. ut Noachidis, ſeu univerſo generi humano interdicerentur concubitus inceſti*. Idque ad mentem Veterum, *Bereſchit Rabba* f. 12. 3. *Agglutinabitur uxori ſua, non autem uxori proximi ſui, neque beſtia*. Pluribus id exprimunt *Talmudiſtæ Gem. Babyl. tit. Sanhedrin. c. vii. f. 8. 1.* על בן יעוּב אישׁ את אביו ואת אמו רבי אליעזר אומר אביו אחות אביו אמו אחות אמו רבי עקיבא אומר אביו אשת אביו אמו נמשׁך ודבק ולא בזכר באשתו ולא באשה חבירו והיו לבשר אחד מי שנעשין בשר אחד יצאו בהמה וחיה שאין נעשין בשר אחד *Propterea deſeret vir patrem ſuum & matrem ſuam: Rabbi Elieſer inquit, Patrem ſuum, id eſt, ſororem Patris ſui; matrem ſuam, h. e. ſororem matris*

matris sua. R. Akiba ait, Patrem suum, i. e. uxorem patris sui (nempe novercam) matrem suam, i. e. matrem absolute dictam: & adhærebit, non autem viro; uxori sua, non autem uxori proximi sui; & erunt in carnem unam, qui nempe sunt caro una. Unde excipiuntur jumenta & fera, quæ non sunt una caro. Suffragatur Maymon. hilch. melach. c. ix. Neque multum diversus est Abarbenel in Leg. t. 29. 1. 2. Cum ergo e numero præceptorum Noachidarum erat, ut abstinerent ab incestis, & vagas libidines fugerent, quisque suæ uxori adhæreret, non bestiarum more, in quamlibet fœminam exardescerent, hoc adversus Polygamiam etiam facit.

XXVII. Hic tandem quæstio moveri posset, annon Deus hanc ordinationem naturæ abrogaverit, servum jubens anno septimo e domo herili solum egredi, uxoremque & liberos domino relinquere, si herus ei ancillam in uxorem dederit Exod. xx. 4. Verum enimvero considerari oportet, hanc legem, licet varia instituta politica inveniantur Exod. xxi. xxi. xxi. quæ pleraque æquitate naturali nituntur, ad Judaicam spectare duntaxat politiam, & ex earum esse numero, quas Christus ob duritiem cordis datas esse pronunciat Matth. xix. 8. Etenim isto in matrimonio aliquis defectus erat, & displicens quid Deo. Herus servo alienigenam in uxorem dabat, jureque domini jungebat, non ut familiam constituerent, sed ut liberos hero suo generarent. Hinc ei tale jus in servum. Non potuit uxor illa, de qua agitur, esse e filiabus Israelis; tunc enim hero eam nec nuptui dare, cui vellet, nec eam sibi cum liberis mancipare, abeunte marito, integrum fuisset, quia idem jus Hebræo & Hebrææ Deut. xv. 12.

XXVIII. Sententiæ huic suppetias adfert illa expositio Abarbenelis in Pentat. fol. 178. 3. Quod si servus non sit uxoratus, hero integrum est, ipsi ancillam Cananeam dare, ut ex ea filios gignat; ideoque si Dominus ei det uxorem, nempe Cananeam, quæ ipsi pariat filios aut filias, non exhibunt cum ipso, quia hujus Domini servi sunt. Atque de servo & serva Cananeis scriptum legitur, quod debeant servire omnibus diebus suis (Levit. xxv. 46.) Et propterea hac uxor cum natis suis erit domini ipsius, quandoquidem sunt Cananei. Ille vero scilicet servus Hebræus, exhibi solus corpore suo. Et exinde cognoscis, illud (comm. 3.) si corpore suo venit, corpore suo exhibit, esse intelligendam de uxore Hebrææ vel Israelitide, sed (com. 4.) intelligitur Cananea. Hujusmodi ergo conjugium legitimum non fuit, neque Deo gratum.

oia

E

Ideo-

Ideoque mirum non est, permittere Deum, ut talis deseratur uxor, & maritus ab ea ac liberis, tanquam propriis visceribus, in pœnam divellatur, ne genus sanctum cum profano permisceatur Deut. xxv. 10. Neh. xlii. Esr. x. Si vero Judæus eam omnino retinere voluerit, coram magistratu, post libertatis suæ renunciationem factam, perforata aure, perpetuo servitio defungi debuit, quod iterum grave accidit. Quo alludi videtur Psal. xl. 7. Tantum de genuino institutionis sensu, qui tamen infra clarius, discussis adversariorum objectionibus.

CAPUT III.

Utrum Gen. I. 28. conjugium sit institutum, ut contendunt Polygami, an vero Cap. II. 24.

I. SENSU legis investigato, instituti ratio postulat, ut argumenta, quibus sanctam hanc institutionem Polygamix patroni supra nominati impetere non cessant, discutiamus, & munimenta ac præsidia, quibus Theophilus, inde a Thesi xvi. usque ad xxxii. *polygamiam simultaneam virilem*, sive conjunctionem unius mariti cum pluribus uxoribus, divinæ creationi, seu primæ conjugii institutioni non repugnare, magno molimine probatum ivit & stabilire conatus est, subruamus. Dissimulatis enim fere verbis primi instituti Gen. II. 24. quæ nobis ubique, ipsis nunquam sunt præsidio, solummodo inculcat legem illam generalem Gen. I. 28. *Crescite & multiplicamini*, in qua propugnaculum omnium firmissimum se habere putat, aliaque id genus, quæ propugnandæ suæ hypothese maxime inservire judicat.

II. Cum quibus conspirant, quæ Athanasius fusius edisserit ad thesin secundam p. 17. & sextam decimam p. 100. 145. 146. 493-496. nimirum illam conjugii institutionem non esse demum factam cap. II. sed I. 28. Geneseos; ex secundo capite tantum colligi mutuam adhæsiōem, & indissolubile vinculum conjugii, ex cap. III. dominium mariti in uxorem absolutum, illimitatam uxoris subjectionem, & partum dolorosum, ex cap. IV. numerum uxorum pluralem, Deo non ingratum, sequentibus capitibus, Abrahami, Nachoris, Esavi & Jacobi exemplis confirmatum. Addit Simeonis, Elkanæ, Gideonis, Saulis, Davidis, Salomonis exempla polygamica, atque ex his omnibus naturam conjugii explicandam esse.

esse docet. Unicum exemplum Adami Gen. 11. non sufficere, quasi esset unica totalis & adæquata norma omnium de conjugio occurrentium controversiarum. Neque ex eo, quod Christus Matth. xix. alleget Caput. 11. Geneseos, & primum conjugium Adami, consequi, esse tum institutum, quemadmodum ex eo, quod Petrus conjugium Abrahami, & Paulus fidem Abrahami Rom. iv. allegent, non sequitur, illa tempore Abrahami demum institui cœpisse. Huc omnia redeunt, quæ urget, ad probandum, capite 11. Geneseos conjugium non esse institutum: quibus tamen subruendis munimentis, machinis non est opus, ut quæ mole ruant sua.

III. Ut igitur primum intelligamus, ex quo Capite norma conjugii explicanda sit, expendatur, quæso, & paullo diligentius inspiciatur historicus ordo Mosaicæ narrationis, quam ipsa temporum ratio exhibet, quo pacto, quid veritati consonum, quid dissonum sit, manifestum fiet; siquidem ex non observata Mosaicæ narrationis serie hoc figmentum pullulare videtur. Exactum ordinem Moses observavit in iis, quæ primis septem diebus mundi facta sunt, quia singulis diebus sua sigillatim opera, suosque eventus adscripsit. A capitis 1. com. 1. ad cap. 11. com. 3. series immutanda non est. Quæ sequuntur, a capitis secundi commate 4. usque ad finem capitis, citra ullam temporis notationem scripta sunt, ut liqueat, non eo ordine gesta, quo recensentur, sed primo illi septiduo, convenienti loco, singula interserenda.

IV. Notandum itaque, sexto die creationis, post animalia terrestria, hominem productum, secundum utrumque sexum, quæ productio in genere facta traditur Gen. 1. 27. sed particulariter mox describitur productio viri cap. 11. 7. 8. 15. 18. & mulieris comm. 21. 22. cum annexa lege matrimoniali comm. 23. 24. quam ordine excepit id, quod legimus capitis primi commate 28. saltem quantum ad homines attinet; Deum nempe illis benedixisse, fructificationis & multiplicationis præceptum dedisse, dominium in animantia concessisse, de cibo providisse comm. 29. 30. & eum fructus arboris scientiæ boni & mali utrique prohibuisse cap. 11. 16. 17. ut ex filo narrationis sequitur. Evidens enim est ex contextu, verba Gen. 11. 21. 22. 23. 24. quibus Evæ productio, ejusdem ad Adamum adductio, & lex matrimonialis exprimitur, tam arctò inter sese cohærere vinculo, ut divelli, aliæque intercedere nequeant. Neque etiam benedictio solum Adamum

respicit, sed simul Evam, quæ præcedenti commate 27. producta legitur.

V. Catharinus putat die septimo conditam, quia Gen. 11. 2. complevit Deus opus die septimo. Id autem contra cap. 1. 27. statuitur. Cl. Burmannus, qui nunc *εν αἰγίοις*, existimavit quidem, Evam die sexto non esse creatam, eo quod animalibus prius nomina imposita, aliaque augusta & varia opera peracta sint Gen. 11. 8. 15. 19. quæ uno die fieri non potuerint. *Synops. Theol.* l. 1. c. XLII. §. 115. Ast hæc difficultas facile removetur, si perpendatur, quod licet non omnia momento, brevissimo tamen tempore, expedita sint Psal. xxxiii. 9. & sex dies, quibus omnia condita, non artificiales, sed naturales lucidi fuerint; animalia quoque, quorum exactissimam naturæ cognitionem habuit, iussu creatoris prodierint, neque somnus Adami, & Evæ fabricatio aliquot horas duraverint. *Abarbenel in Pentat.* fol. 38. 4. *eodem*, inquit, *die, quo Deus creavit Adamum, etiam uxorem ejus condidit, eis benedixit & nomen collectivum Adam ipsis imposuit.* Ex quibus omnibus satis apparet, frustra supponi, mandatum illud *crescendi* Gen. 1. 28. sicut in narratione Mosaica antecedit, revera antecessisse institutionem, sive verba illa Gen. 11. 24. Hæc est una solutio.

VI. Huic accedit, quod capite primo omnia Dei opera strictim continua ferie a Mose percenteantur, secundo autem exegetica instituatur *ἀνακεφαλαίωσις*, non omnium, quæ dixerat, sed eorum duntaxat, quæ hominem concernebant, & ad ejus historiam contextendam faciebant. Sive igitur cum nonnullis dicas, verba illa Gen. 1. 28. esse benedictionis potius quam jussionis, quod tamen aliter demonstratum; sive cum Hebræis distinguas mandatum solis hominibus datum, ut Deus tam nobilem creaturam affatu & manifestatione sui dignatus, brutis autem animalibus solummodo benedixisse statuatur; sive leges tam brutis, quam hominibus, istis verbis latas censeas: hoc saltem evidens est cuique textum inspicienti, capite primo enarrari benedictionem communem, sive leges generales, cum homines tum bruta concernentes, quarum prima est lex de multiplicatione per generationem, in qua Deus concursum suum promisit sua benedictione, quæ generalis admodum est, quemadmodum comm. 11. 12. ipsis arboribus Deus benedixit, & virtutem se multiplicandi attribuit. Lex secunda est dominii ab hominibus in bruta exercendi com. 28. Tertia cibaria com. 29. 30.

VII. Sed

VII. Sed vero capite secundo Geneseos ea, quæ hominem attinent, amplificat & specialius enarrat, atque ea occasione etiam nonnulla non sexto, sed & præcedentibus diebus facta, a com. 4. ad finem. Expositæ igitur hominis creationi com. 5. 6. 7. subjungit gubernationem com. 8. seqq. quæ speciales leges indicat, quarum duabus prioribus, de labore & cibo comm. 15. 16. 17. occasionem dedit paradus comm. 8. seqq. Tertiæ vero speciali legi de conjugio, quod describit a modo contrahendi, scilicet consensu contrahentium, & a norma contractus in futurum sancita a Deo comm. 24. occasionem præbuit creatio mulieris, cujus causa erat indigentia hominis, comm. 18. ac modus creationis, si- ve formatio mulieris ex viro com. 21.

VIII. Ut ergo generalem legem cibariam Deus homini dedisse, & omnes herbas, omnesque fructus arborum ordinasse dicitur Gen. 1. 29. Capite 11. autem com. 16. 17. illam limitasse, & unius arboris fructum prohibuisse legitur; ipsaque lex amoris erga creaturas connata, post lapsum restrictionem accepit, Deo quorundam odium præcipiente Gen. 11. 15. ita quoque legem multiplicationis generalem, capite primo datam, Mo- ses enarrat: sed secundo capite lege speciali homines circumscriptos, testatur, dum creator generi humano conjunctionem unius maris & unius foeminae, eamque liberam, arctissimam & indissolubilem imperavit, qualis non est conjunctio brutorum, de quibus latius theses superiores.

IX. Quod autem conjugii naturam explicandam esse autemet, non tantum ex capitibus primo, secundo & tertio Geneseos, verum etiam ex capite quarto & sequentibus, nec non exemplis Abrahami, Nachoris, Esavi, Jacobi, aliorum, id falsissimum esse, nemo non videt. Confundit enim principium, quod ultra tertium caput Geneseos non est extendendum, cum principiatio, reliquis capitibus comprehenso. Origines rerum, earumque leges & gubernatio capite primo & secundo recensentur, sed capite tertio origines restitutionis, & quadantenus nova gubernatio; atque ita hisce tribus capitibus prioribus, omnium operum Dei *Principium* exhibetur, quod Christus respicit. Matth. XIX. 4. 5. Atque hæc ratio est, quare illud alleget, nobisque sufficere debeat unicum exemplum primi hominis, quod naturam conjugii explicet, ejusque normam constituat. Quod clarius est, quam ut longa demonstratione uti necesse sit.

E 3.

X. Sed

X. Sed enim quarto, & reliquis capitibus Geneſeos, nihil legitur de constitutione naturæ, vel nova a Deo introducta gubernatione, cum a Mose recitentur, quæ post dies principii (quos *tempora secularia* Rom. xiiii. 25. 2 Tim. i. 9. excipiebant) facta sunt & inventa in mundo; & potissimum quæ in Ecclesia gesta, sicuti cap. iv. 17. seqq. propagatio feminis serpentis, quod Gen. iii. 15. fundatum narratur, a quo deducti filii Dei cap. vi. 3. Peccatur ergo Elencho parium, Dei & Adami integri exemplum norma, non Lamechi & aliorum. Neque valet consequentia a facto cum mandato ad factum sine eo. Exempla hominum, etiam sanctorum, semper sunt exigenda ad exemplum Dei & Christi Salvatoris, antequam ea secure & bona conscientia imitari liceat, docente Apostolo Eph. v. 1. 1 Theſſ. i. 6. 1 Cor. xi. 1. Facti sunt, non juris, praxeos, non legis, nec regula esse possunt, uti esse debent præcepta. Unde intelligitur, quo jure *Athanasius* simbriam legis hac in parte extendat, velitque a Deo præcepta vel probata, quæ minime talia.

XI. Si quærat de natura & norma cultus divini, & justitiæ erga homines exercendæ, ad leges illas Exodi xx. xxi. xxiii. aliisque in locis enarratas, recurrendum, quia non desunt Sanctorum exempla, qui verum licet Deum coluerint, habuere tamen suos nævos, ut multis demonstrari posset. Sufficiat nobis allegasse unicum exemplum Aaronis, vitulum aureum, contra expressas leges recens latas, formantis & colentis Exod. xxxii. De lege Israëlitarum regibus præscripta Deut. xvii. 14. seqq. 1 Sam. x. 25. non est judicandum ex facto nonnullorum, qui eo sunt abusi, dominium vertendo in tyrannidem, potestatem in licentiam, sicut prædictum 1 Sam. viii. 11. Et manifestum est, quo longius abfuere mortales a primo initio constitutæ Ecclesiæ tam in V. quam in N. T. eo graviore irrepſiſſe errores; quod multis illustrari posset exemplis cum sacris tum exoticis, sicut seculo quinto, & sequentibus post Christum natum, nova sensim Christianismo facies inducta. Neque prima mundi ætate & infantia, negari potest in actionibus & operibus impietas, in cultu idololatria, tyrannis in politia, in societate libido, promiscua Venus, unde Sethitarum ad Cainitas defectio Gen. vi. 1. quibus procul dubio vitiis annumerari debet Lamechi Cainitæ Polyga-

Iygamia Gen. I v. de quo sicut & reliquis allegatis exemplis, postea plenius & prolixius.

XII. Mirari subit, *Ath. Vincentium* ausum esse dicere, ex eo, quod Christus Matth. XIX. 4. 5. alleget primum principium Gen. II. 24. non sequi illud tunc esse institutum. Id extra controversiæ aleam positum est, dictionibus istis ἀπ' ἀρχῆς a principio, Salvatorem initium mundi, naturæ a Deo institutæ, & rerum omnium ortum indigitare: neque enim aliter locus iste explicari potest, si audiatur Syrus interpres, qui voces illas per מן בראשית expressed, digitum intendens in primam vocem מן בראשית in principio Gen. I. I. qua principium generale omnium rerum denotatur. Syriace autem Christus locutus est. Apud Marcum cap. X. 6. hanc addit explicationem, ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως a principio vero creationis, sive rerum conditarum, marem & fœminam fecit Deus; idemque ἀρχὴν κόσμου, principium mundi vocat Matth. XXIV. 21. quod est מן בראשית principium via ejus Prov. VIII. 22. cum ad opera externa progressus est Deus. Id autem late sumitur de sextiduo integro Gen. I. quo producta cœlum & terra Neh. IX. 6. & jacta mundi fundamenta Eph. I. 4. Apoc. XIII. 8. cui accedebat septimus dies Gen. II. 2. quo finito, a principii descriptione Moses abstinuit.

XIII. Christo igitur ad illud principium, ad illum ordinem Dei, hæc personas, Adamum & Evam, desponsantis, Gen. II. 24. conscientiam Phariseorum provocante, quis dubitet, conjugium tunc esse institutum? quod etiam non negat *Daph. Arcuarus* pag. 59. seq. cum primis pag. 65. 66. verba multiplicationis Gen. I. conjuncta esse cum verbis institutionis Cap. II. quamvis diversis capitibus narrentur, non posse tamen seorsim intelligi, quemadmodum a nobis id supra demonstratum. Neque quisquam inficias iturus est, plerasque leges omnium rerum, ex primis legibus creationis petendas esse, quia *opera illa omnia Deus sapienter fecit* Psal. CIV. 24.

XIV. Et facile poterit quivis non omnino hebeti ingenio præditus intelligere, longe aliam esse rationem exempli Abrahami & Saræ, quod *Athanasius* ex I Petr. I. 1. 6. producit, cum illud Apostolus non proponat tanquam normam conjugii, aut tanquam principium & institutionem, sed ad Judæos dispersos scribens, mulieribus inculcet subjectionem, quo fine non poterat magis conveniens

niens exemplum citare, quam Abrahami & Saræ, in quod intueri jubentur *Jes. LI. 2.* ut quorum facti essent & esse vellent filii & filia, unde Abraham totius generis parens appellatur *Rom. IV. II. 12.* sicut Sara mater *Jes. LI. 1. 2.* quæ viri potestatem agnovit, & suam subjectionem professâ, virum Dominum appellavit *Gen. XVI II. 12.* idque juxta principium & institutionem *Gen. I II. 16.* Quamvis illic conjugium non institutum, sed major mulieri subjeçtio mandetur, marito ampliore dominio tributo, quod onus conjugio accessit, cum a nativa perfectione degenerans variando regimini causam dedit.

XV. Mulier enim docendi provinciam usurparat, hinc Deus novas in eam leges tulit, pœnam definiens, qualis præter alias hæc est, quod non amplius societas, sed subjeçtio futura sit, quæ ante voluntatis, nunc servitutis. Hæc est *תפוש* *discursatio tua*, ut cum desiderio, quemadmodum vertit Onkelos, ad mariti placitum movearis; vel *appetitus tuus*, qui ante erat meri amoris, nunc etiam servitutis erit, cum molestia conjunctæ, nec sine lucta & repugnantia, qua mulier dominium viri tolerare, seque submittere tenetur, siquidem, recte notante Grotio, libertatis ejus imminutio ista locutione significatur. Inter homines Deus dominium partitus erat *Gen. I. 26. 27. 28.* muliere constituta socia, utpote quæ tunc nondum fuit vas infirmius, quod demum post lapsum evasit, peculiaribus infirmitatibus, & huic pœnæ obnoxia, ut maritus ei dominaretur & imperaret, pro eo, quod huic præceperat comedere de fructu vetito, quæ pœna est mensura pro mensura, sicut interpretatur vocem *תפוש* R. Bechai in *Legem* f. 13. 4.

XVI. Fallax ergo consequentia: Si allegante Christo *Matth. XIX.* caput secundum *Geneseos*, & primum conjugium Adami, sequatur, hoc tunc esse institutum, etiam allegante Petro conjugium Abrahami & Saræ, quod illa (juxta *Gen. I II.*) maritum vocaverit Dominum, sequetur, conjugium tempore Abrahami, aut *Gen. I II.* institutum. Cum Petrus mulieres adhortetur, ut sint imitatrices Saræ, Deo morem gerentis, atque novam legem in sexum muliebrem post lapsum latam observantis, haud secus ac Apostolus Gentium volebat, *Corinthios* sui esse imitatores, sicut ipse Christi *I Cor. XI. 1.* Sed *Matth. XIX.* gravior quæstio erat decidenda ex prima lege, a primo omnium conjugio Adami, qui primus maritus in mundo, quo tempore Deus leges rerum dedit.

dedit. Puto sic argumento factum satis, & rem illam omni dubio carere, penes æquum rerum æstimatorum.

XVII. Neque magnopere eum juvat, quod prætexit, allegatum a Paulo exemplum fidei Abrahamicæ Rom. iv. quod inde non sequatur, fidem in Abrahamo, aut illius tempore demum institui cœpisse. Siquidem, ut dictum, Christus expresse, & quidem bis, provocat ad principium rerum omnium, atque ad illud primum exemplum in mundi principio, cum quo non debent alia comparari exempla. Quamvis enim fides in Messiam jam ab initio Ecclesiæ obtinuerit ex prima promissione Gen. iii. 15. cum Adam & Eva, Abel, Seth, Lamech, Noach, aliique crediderint, docente Mose Gen. iii. 20. 21. Cap. iv. 1. 14. Cap. v. 21. 23. 28. Cap. vi. 7. 8. & Paulo Heb. xi. non tamen sine ratione prima fidei mentio in Scriptura sacra capite xv. 16. Geneseos occurrit, & quidem fidei Abrahami, quoniam solemne illic fœdus memoratur, quod fuit gratiæ, quam Abraham amplexus, & fidei, qua illud ratihabuit; qualis solemnitas hæctenus observata non erat. Usque ad Abrahamum Messias, qua homo, non fuit notus, nisi sub nomine *seminis mulieris*. Tunc vero Deus Abrahamum Patrem credentium constituit, simulque patrem Messias, ex semine ejus nascituri, quæ est Abrahami paternitas Gen. xvii. 9. Rom. iv. 11. 12. 17. 18. At Abraham non fuit primus fidelis in mundo, sicut Adam & Eva primi conjuges.

XVIII. Id quidem largimur Ath. Vincentio, quod hoc primum conjugium Adamicum homini post lapsum solum norma esse nequeat omnium, quæ de conjugio in quæstionem venire possunt, quæ ratio est, quod summus legislator legi huic connubiali varias addiderit limitationes Levit. xviii. xx. quemadmodum legi domini, laxata postmodum subjectionis obedientia Gen. ix. Fallit tamen vehementer, quod sibi & aliis persuasum velit, non sufficere illud exemplum ac præceptum, ad hanc quæstionem de monogamia vel polygamia decidendam; cum Salvator, quo nos non debemus videri sapientiores, cum pharisæis in arenam descendens, non aliud adducat Matth. xix. 4. 5. 6. illisque allegantibus mandatum Mosis, ab hoc principio non recedat, quod *a principio non fuerit sic*, com. 8. Leges enim istæ in statu integritatis externo mandato simul traditæ, obligant, ut supra visum est, omnes Adami filios, nisi quando & quantum iis derogavit Deus.

XIX. Demonstrari igitur oportet, huic legi de conjunctione unius maris & unius foeminae a Deo aliquid esse derogatum. Quod quia fieri nequit, nemo, hanc institutionem normam esse, dubitaverit, cum Christus nihil aliud intendit, quam perfringere pharisaeorum malitiam, duritiemque cordis Iudaeorum, atque inculcare omnino hanc faciendorum legem ac regulam. Et quia Deus unus est legislator omnium mandatorum suorum Jac. 1v. 12. totius verbi sui auctor, unicum illud dictum Gen. 11. 24. auctoritatem habet nos obligandi, ut qui unum vilipendit praecipuum, jam vilipendat auctoritatem omnium Jac. 11. 10. *Sohar in Exod. col. 287. 292. omnia praecepta legis estimantur pro uno; & si quis vel unicum minuit, idem facit, ac si totam legem destrueret.*

XX. Id Hebraei, numerantes sexcenta tredecim praecipua, quot literas habet Decalogus, eaque in CCXLVIII affirmativa, quot in corpore humano sint ossa, ac CCCLV. negativa, quot in uno anno Solari dies sunt, dividentes, significant, ut quemadmodum ex recta membrorum humani corporis, quae legis divinae symbola sint, constitutione totum corpus se habere debet, sic ex legum observatione tota anima recte se habens, sanitatem, vitam, pacem, & Deo placitam perfectionem consequatur. Contra si vel unicum ex CCXLVIII deficiat vel male habeat, totum corpus languet & in operationibus suis deficit; pariter anima si vel unicum in lege praecipuum transgrediatur, praevericationis omnium rea efficitur. Monentque ut homo nullum diem transeat sine praecipuorum divinorum contemplatione, juxta Psal. cxix. quemadmodum quotidie adspicit lumen solis. Si sacrificia primitus citra praecipuum divinum ultro sint oblata, ut nonnulli existimant, & tamen igne coelitus demisso, auctoritatem & institutionem acceperint; multo magis hoc factum & dictum divinum a nobis considerari oportet, tanquam institutum auctoritatem habens nos obligandi.

XXI. Unicum illud dictum Gen. 11. 24. agendi normam non constituere, Athanasius illustrat exemplo a promissione Messiae desumpto Gen. 111. 15. unde concludere nesciverint fideles, illum ex virgine nasciturum, a Spiritu S. concipiendum, passurum sub Pontio Pilato, aliaque quae nos hodie credere tenemur. In promptu responsio est, illam promissionem radicem fuisse omnis verbi gratiae, quod in Ecclesia unquam audiri debuit, ac fun-

fundamentum & normam fidei, salutisque Adami, & sequentis in omne ævum Ecclesiæ, non minus ac institutio matrimonii radix & norma omnium legum fuit, in posterum de conjugio latarum. Ut ex promissione colligere facile erat Messiam semen mulieris unicum fundamentum salutis, ita ex institutione intelligere promptum erat conjunctionem unius viri & unius feminae.

XXII. Interim ex illa promissione satis animadvertere potuere Patriarchæ, Messiam filium virginis futurum, sicut primis seculis non aliter notus fuit, quam qua *semen mulieris*, quomodo non magis dici potuisset, quam semen viri, nisi sine opera viri intelligeretur; hinc illa appellatio hominis fidelis *נתי משה* nati ex muliere Jobi xiv. 1. qui forte tunc aliam promissionem Messia non novit. Quo etiam facit, quod hoc Evæ adhuc virgini, ut supra probatum, promitteretur, ab Adamo nondum cognitæ: idemque miraculum, Messiam ex virgine nasciturum, nativitate Haadi ex sterili matre, aliisque adumbratum fuit. Passionem & mortem Messia declarabat *contritio calcanei*, ut haberent abunde fidei & obedientiæ normam, sed pro ratione infantilis Ecclesiæ. Variæ autem Prophetiæ, quæ illustrandæ, & corroborandæ primæ promissioni inservierunt, æque Deum habuerunt auctorem, ideoque paræ sunt auctoritatis, non autem exempla hominum, qui errare possunt. Ostendat nobis Vincentius, Deum aliis Scripturæ locis mandasse & confirmasse Polygamiam, sicut confirmavit adventum Messia.

XXIII. Ejusdem commatis objectio est pag. 152. Sicut pluralitas festorum, inquit, a Deo mandatorum, ut sunt Pascha, encæna, & neomenia, non præjudicat unitati septimæ diei a Deo institutæ, ita nec unitas uxoris Adamitiæ pluralitati uxorum, non a Diabolo, sed a Deo ipso sanctissimis patriarchis adductarum, ullum præjudicium adferre potest. Infirma enim valde consequentia est a mandato & facto divino ad factum humanum; dicit enim non probat, a Deo plures uxores patriarchis esse adductas. Et quæstio est de lege morali non de ceremoniali. Nemo facile inficiatus fuerit, aliam esse rationem Sabbathi septimi diei & festorum cum reliquis ceremoniis abrogandorum Colos. ii. quæ sapientissimus legislator non sine causa adjecit Num. x. 10. Lev. xxii. xxv. peculiaria populi Judaici beneficia, & varia N. T. bona

concernentia. Doceat nunc Athanasius, Deum pariter antiquissimo illi instituto Gen. 11. 24. derogatum voluisse, & polygamiam mandasse. Sed vero sicut hisce festis divino jussu institutis, accefferunt alia nonnulla, ab hominibus introducta, quales fuerunt dies quidam jejuniorum, quarti, quinti, septimi & decimi mensis Zach. vii. 3. 4. 5. Cap. viii. 18. 19. similiter festum Purim Esth. 1. x. & templi encaniorum 1 Maccab. iv. 59. Joh. x. 22. quæ omnia humano consilio cœperunt: ita Polygamia ab hominibus introducta. Hæc de ordine Mosaicæ narrationis, & institutione tanquam norma conjugii, sufficiant.

CAPUT IV.

An eodem modo se habeat creatio monogamica hominis & brutorum.

I. **M**Issis argutiolis Ath. Vincentii ad tempus instituti conjugii, & seriem Mosaicæ narrationis, protinus nos ad Theophili argumentum, ab animalibus petitum, examinandum componimus, quo persuasum nobis vult, Polygamiam divinæ creationi seu primæ institutioni non repugnare. Ita enim infit *Thesi xvi.* Sicut in quovis genere animalium par & par Deus creavit, ipse vero non prohibuit, quo minus masculus ex. gr. aries cum pluribus ovibus misceatur; ita Deus in genere quidem humano, etiam primitus par creavit, ipsi vero, quod displiceat, quando unus maritus cum pluribus uxoribus consentiat, nuptiam legitur. Sufficit quidem ad conjugium, ut ad amicitiam ad minimum duo, ad collegium tres, nil vero prohibet, quo minus in conjugio, in amicitia, in collegio, possint esse plures. Eadem alia occasione repetit *Thesibus LIX. LX. LXI.*

II. Athanasius Theophili mentem fusius exponens ita ratiocinatur: si creatio paris facit universalem legem, ex qua monogamia exclusiva possit probari, non tantum Polygamia humana, sed & brutalis erit contra primam creationem, adeoque peccarent plerique patresfamilias contra creationem, quando ariet, hædo, gallo, plures oves, capras, gallinas admittunt, & propter abusum hunc creaturarum, gementium ad Deum, juxta Paulum (*Rom. viii.*) grave judicium in die pantocritico necesse haberent (quæ etiam verba Theophili *Th. LIX.*) Vim ergo argumenti non esse

in

in comparatione bestiarum & hominum, subjungit Athanasius, quam tamen dein satis prolixam instituit, sed in paritate, seu in eodem modo se habente creatione monogamica.

III. Quamvis hæc magnifice primo intuitu dicta videantur, & prima specie se commendent, propius tamen considerata evanescent. Recte Seneca *de beneficiis lib. 11. Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum potestas penes nos est? quicquid nobis negatum est, dari non potuit.* Ideoque tales vocat iniquos æstimatores fortis humanæ. Simile enim hic admodum dissimile esse, e superioribus satis est manifestum. Quandoquidem Naturæ Auctor, dato præcepto multiplicationis, sive benedictione tam brutis, quam hominibus concessa, clarioribus verbis conjugium instituit, & speciali legē creaturas rationales circumscriptit, qua unus mas uni tantum fœminæ potestatem sui corporis faceret Gen. 1. 24. *Num ita Deo cura sunt boves?* merito hic cum Apostolo interrogare liceat 1 Cor. ix. 9. lex propter nos omnino hoc dicit, propter nos hoc scriptum est. Hanc curam & providentiam, ne promiscua esset conjunctio, Deus, prudentis ad instar hortulani, plantis adhibet optimis. Ideoque aliis operibus, solo nutu & verbo productis, homo solus tanquam majoris momenti opus communi S. S. Trinitatis consilio & voluntate, & plastis quasi manu factus est & formatus. *Sohar in Num. col. 403. Explicatio elegans dicti illius Sapientum: Tres sociari in producendo homine, Deum nempe cum patre & matre Gen. 1. 26.*

IV. Deinde si quis propius expendat primam creationem, facile perspiciet, non eodem modo se habere creationem monogamicam hominis & brutorum, quia nondum probatum, bina vel paria in omni animantium genere, quemadmodum cum homine accidit, esse condita. De piscibus saltem contrarium habemus, quod nempe in magna copia sint producti Gen. 1. 20. 21. *ישרו המים aqua copiose producant*, sive scaturiant, verminent, & magno numero effundant pisces. Quemadmodum R. D. Kimchi in *Hebr. Lexico* hanc vim vocis observat, quod *הולרה עם הרבו* generationem in multitudine significet, quam Chaldæi paraphrastæ Onkelos & Pseudo-Jonathan verbo *רוח* eructavit, expresserunt. Etiam si R. Jannai, Jarchius & Bechai ex hac voce *שר* Exod. 1. 7, recurrente, probare nequeant, inter Israelitas, qui reptilium intar quasi verminantes leguntur multiplicati, sex eodem partu edi-

tos esse, hoc tamen certum, novo ac insolito modo propagatos, atque gemellos pluresve una vice genitos juxta AbenEfram, quia paucos intra annos ad tantum numerum excrefcere potuerunt.

V. Neque obscure ex pellibus animalium, ab Adamo procul dubio mactatorum, & in typum satisfactionis ac mortis Christi oblatoꝝ Gen. 111. 21. conjicere licet, reliqua terrestria animalia non tantum bina, sed plura esse condita. Singularem modo pelles esse conditas, non fit verisimile. Nunquam enim miraculum ponendum sine necessitate, recte monet Tostatus Abulensis, quamvis de sacrificio non cogitet, occisa tamen animalia judicat, ut eis pelles detraherentur. Aug. Torniiellus in annalibus dictas tunicas non immediate a Deo factas, sed ab ipsismet, Adamo & Heva fabrefactas opinatur, Deo inspirante & docente, occisis & decorticatis animalibus, ut se mortales esse recordarentur, & similes jumentis factos. In quam sententiam Cl. Morus etiam propendet *Cabb. Mor. C. 111. & Defens. Cabb. Mor. C. 111.* Divinam Sapientiam tunicis ex pellibus ferarum confectis primos parentes induisse & increpasse dicendo: apagete nunc ambo, pecudum ignobile par. Ut ita Adami, cujus voluntas & affectus ad brutalem vitam ferebantur, contumelia fuerit significata. Nosram tamen conjecturam Abelis & Kaini factum confirmat Gen. 1v. Ab omnibus, qui Scripturam vel a primo limine salutarunt, intelligitur Abelem & Cainum (Adami forte vestigiis insistentes) victimas obtulisse, ait Celeber. Spencerus *de Leg. Hebr. Rit. Lib. 111. Diff. 11. C. 1v.* quas tamen ille non lege aut revelatione divina motos, sed ex mero suo arbitrio & rationis ductu, obtulisse contendit. Illis igitur cæsis ab Adamo animalibus, vel uno saltem destructo, aliud extitisse oportuit par ejusdem generis, ne illud interiret, quod mihi hic erat demonstrandum. Sed dispar erat ratio speciei humanæ, in qua duos tantum creatos esse, scriptum est, apud quos mutuus amor naturali consanguinitatis vinculo colligandus erat.

VI. Postremo posito, non dato, bina tantum esse creata animalia, de quo tamen nihil extat, nisi quod *secundum species suas* (Addit Pseudo-Jonathan *mundas & immundas*,) producta legantur, quod de distinctione sexus, vel potius, quia plantis etiam tribuitur, de speciebus distinctis est intelligendum; quid hoc ad hominem, summi opificis manu singulari modo formatum, & artificiose

tificiose confectum? Aliam enim disparitatis rationem ostendit formatio Evæ, ex costa Adami, unde ipse collegit, esse illam sociam carnem de carne sua, & os de ossibus suis, sicut *mulier ex viro* esse dicitur 1 Cor. xi. 8. ideoque illi erat adhærendum. Ubi id dicitur de brutis? an eorum par una erat caro & unum os? Huic mex causæ non leve momentum adferunt Doctores Hebræi. Optime *Gemara Babylon. Sanhedr. c. vii. f. 58. i.* והיו לבשר אחד כי שנעשין שאין נעשין בשר אחד Erunt in carnem unam (*Gen. 11. 24.*) *idem est ac si dicat, qui fiunt caro una; unde excipiuntur jumenta & fera, qua nequaquam una fiunt caro.* Quod suo calculo comprobatur Majemon. *Hilch. Melach. c. ix.* והיו לבשר אחד להוציא בהמה חיה ועוף שאין הוא והם בשר אחד *Verba illa, erunt in carnem unam, adduntur ad excipiendum jumentum, feram, volucrem, quoniam horum animalium & hujus caro una non est.* Quibus persimilia tradidit Abarbenel *in Pent. f. 28. 4. 29. i.* *Evam appellatam a viro, quia membrum e membris ejus.* Deum multos asinos, multos equos, multos pisces simul produxisse, non abs re arbitratur Abulensis, unicum autem individuum naturæ humanæ, scilicet virum, fuisse totale primum principium naturale omnium individuorum speciei humanæ, etiam ipsius mulieris principium materiale, ut cognoscens foeminam ex se sumptam diligeret tanquam seipsum.

VII. Non est ergo, quod metuat Athanasius, ne peccaturi sint patresfamilias contra creationem, quando uni hædo plures oves, uni gallo plures gallinas admittunt, neque tamen uni viro plures mulieres concedunt: siquidem dispares eatenus brutis homines sunt, quibus id interdictum. In eo potius peccare videntur mortales, quod non contenti simplici naturæ cursu, cum Ana, qui primus mulos invenisse, vel procurasse, vel saltem progenitos observasse creditur *Gen. xxxv. 1. 24.* mixturas diversarum specierum excogitent, quarum commixtio populo Dei interdicta *Lev. xix. 19.* לא תרביע בבהמתך *pecus tuam non promiscue concumbere facies.* Sive cum Josepho, Philone, Maymonide, Talmudicis, aliisque, vocem pecoris latissime sumas, sive cum *LXX.* quorum versionem approbat Cl. Spencerus *de Leg. Hebr. Rit. lib. 11. c. xx.* animalia domestica, jugum subire solita, intelligas, heterogeneorum mistura, hominum vitio & ingenio facta, hac lege prohibetur. Quia, notante Bechai *in legem fol. 143. i.* *negatur creatio; vel accusatur Deus, quasi non absolvisset creationem,*

nem, neque omnia perfecisset, cum aliquid humana ratione addendum foret. Nec satis causæ datur, cur hæc atque id genus alia solis Israelitis vetita, quamvis huic præcepto mera ceremonialia conjungantur, sicut per totum caput diversa miscentur præcepta; quemadmodum Act. xv. 20. plurimi interpretes legis moralis & ceremonialis interdicta commisceri volunt.

VIII. Confundi nolebat Deus animalium species, sed ordinem, quo creata sunt, conservari jussit, ne homines talia curantes & spectantes, similia imitarentur. Ideoque hanc legem illicitam etiam fuisse Noachidis, R. Eliezer in *Gemara Babyl. Massechet Sanhed. c. vii. f. 59.* & Maym. *hilch. Melach. c. x.* unanimiter statuunt, quibus assentitur Philo *lib. de creat. princ.* docens tales *Naturalis contra justitiam e medio tollere.* Idem Aristoteles ex jure naturali didicerat, ut animalia ejusdem generis secundum naturam coirent l. 11. *de Gen. c. vii.* Ideoque Cl. Hottingerus istam legem ex R. Levi Barzel. adducens hanc addit stricturam; ratio præcepti est, ut omnia primo creatoris ordini, quo perfectioni creaturæ consultum voluit, respondeant. Vid. *Juris Hebr. Leg. CCXLIX.* Falluntur ergo meo judicio, qui Mosis interdictum de admittendis heterogeneis ad literam intelligi negant. Quamvis enim foetus, qui ex illis nascebatur, ad usum fuerit concessus Israelitis, teste Maymonide, copulare tamen ea nefas fuit. Nusquam autem animalium ejusdem speciei commixtionem interdictam esse legimus. Sed vero Deus ab hominibus rationem exiget, quod bruta nimis continuisque laboribus & oneribus, vel pabuli subtractione, vel alio quovis modo crucient & affligant, contra Exod. xxiii. 5. Deut. xxii. 6. xxv. 4. Prov. xii. 10. atque creaturis, Dei gloriæ hominumque commodo destinatis, ad cupiditatem & libidinem abutantur, quæ vanitas illa, sub qua *gemit* quasi angustiam sentiens Rom. viii. 19. & sq. Vocem enim *κτίσις creatura*, cum Augustino, Cajetano, Ligtfooto, Knatchbull, non ad gentes restringendam, sed ad omnia, quibus Deus maledixit, propter hominum peccata Gen. i. 11. extendendam esse, judicamus.

IX. Haud ægre largimur Theophilo, non tantum inter duos, sed & plures intercedere posse amicitiam, quod eidem thesi xvi. inferere voluit, quia aliæ sunt leges amicitiae, conjugii aliæ. Nulla est amicitia aut sodalitas, quæ cum conjugio honesto, fidei,

deli, concordique sit comparanda, testatur Grotius ad Sirac. xxxvi. 23. Neque enim amicus propter amicum deserere tenetur patrem & matrem, & adhærere amico; neque diminuitur amicitia, si secundus aut tertius amicus adsciscatur, sicut mulieri aliquid derogatur, si maritus plures sibi jungat mulieres. Si tamen amicitia vel fœdus duos inter instituat, exemplo Davidis & Jonathanis 1 Sam. xviii. 2. xx. 39. 41. 42. plures non admittuntur, & firmiorem esse amicitiam inter paucos, quam plures, Athanasius negare non audeat p. 174. Ecclesiastes meliores dicit duos quam unum cap. iv. 9. Ego facile existimarim cum Aristotele, amicum neminem multis esse posse; adeo quæ amicitia exempla proponuntur, de duobus tantum meminerunt, ut Orestis & Pyladis, Damonis & Pythiæ, Nisi & Euryali, Thesei & Pirithoi, Achillis & Patrocli, quos Dion Chrysostomus *Oratione LXXIV. ἡμιθέος semideos* vocat. De quibus Hom. *Odyss.* l. iv. Ovid. l. iii. *Pontic. eleg.* 2. iv. *Tristium, eleg.* 4. Horat. l. iii. *Carm.* Ut ut nonnulla fabulosa videantur. Sic Menelaus multis quidem amicus fuit, uni tamen maxime omnium fuit talis, nimirum Ulyssis vere & integre amicus, quod docet aliorum casus obliviscendo, Ulyssis nunquam. Hinc proverbium Anglicanum durabilem amicitiam comparat *annulo finem non habenti*. Neque peccat contra charitatis legem, qui omnes homines eodem amicitia loco non habet, sed selectum amicorum facit, ad quos fructus benevolentia suæ vult pervenire, neque reliquos tamen oderit, sed communi charitate prosequatur. Deus in V. T. unum populum Israeliticum, missis aliis, in fœdus recipiens, satis significavit, se nolle habere plures, ideoque plures esse non poterant fœderati Dei, quia Israelis, sive Ecclesie solius, sponsus & maritus erat Dominus Esa. l. v. 1. & seqq. conf. 4. Esdr. v. 26. 27. c. vi. 58.

X. Idem de *collegio* sentiendum, quod est legitima non tantum trium, sed & plurium personarum consociatio. Quemadmodum apud Judæos collegia erant instituta, Triumvirale, Viginti triumvirale, Septuagintauniusvirale, de quibus consulesis Talmudicos in *Sanhedrin*, & Seldenum de *Synedriis*. Apostolorum erat duodecimvirale, & discipulorum septuagintavirale. Quæ collegia augeri minui non poterant absque auctoritate & arbitrio eorum, a quibus dependebant. Collegio Electorum Septemvirali post Fridericum I. moribus introducto, & postmodum

dum a Carolo IV. lege confirmato, quod Celeb. Politicus, Her. Conringius *Exerc. v. de Rep. Imp. Germ.* egregie demonstravit, accessit per Instrumentum pacis Octavus; si Imperio Romano visum fuerit, accedere possunt plures. Nullo autem Instrumento Deus conjugium trium, vel septem, vel viginti trium, vel septuaginta personarum instituit. Quamvis præceperit vel permiserit Pseudo-propheta Muhammed homo, libidinosissimus, *Alk. Sur. VIII.* qui præter concubinas, teste Abulfarajo p. 14. septendecim, juxta Abulfedam, aliosque, quindecim, juxta alios, plures quam viginti uxores habuit. Si vero lex lata sit, quod duo debeant esse una caro, futuro *¶ Erunt* pro imperativo posito, ut supra probavimus, quemadmodum Romanis legibus duo consules creati, *bini sunt*; regio imperio duo *sunt* Cic. I. III. *de leg. §. 7. 8. 9.* qui possint esse plures, salva hac lege & institutione, non video.

CAPUT V.

Quæ & qualis comparatio hominum cum brutis admittenda.

His præmissis, Athanasius Vincentius prolixam inter homines & bestias comparationem instituit, ut polygamiam creationi conformem esse evincat, sicut ei non repugnat conjunctio unius bestię cum pluribus. Tametsi nugarum congerie lectores onerare piget, nonnulla tamen, quæ adducere sibi visus est, tanquam magna munimenta, diluere operæ pretium erit. Primo quidem discursum instituit, quo ipso jugulum petit suæ causæ, quando p. 102. animalia, quorum foeminae alendis pullis sufficiunt, vagam quidem venerem sectari, & promiscua libidine uti, alia vero, quorum foeminae solæ huic operi sufficere non possunt, matrimonium quodammodo imitari, demonstrat; quemadmodum videmus, omnium fere avium mares uni foeminae adhærere, & foeminas uni mari, atque inter eas esse matrimonii simulachrum. Si hæc, inquit, indigentia inter aves maris & foeminae conjunctionem necessariam flagitavit, quidni & propter eandem rationem inter homines matrimonium perpetuum voluit esse natura? Quod auctoritate Thomæ confirmat, maximam esse determinationem masculi ad foeminam asserentis l. IV. *Sent. dist. 26. q. 1.* Eadem repetit p. 337. 338. Optime. Hominum ergo mares perpetuo

tuo uni foeminae adhæreant, & una foemina uni mari. Hoc ipsum est, quod nos hic imus demonstratum, quod ab Auctore Naturæ institutum, cujus in ipsis brutis animantibus expressum simulachrum.

II. Et certe hunc brutis nonnullis natura instinctum indidisse videtur, ut unus mas uni foeminae copuletur. *Turtur & palumbes marem unum habent, nec alterum admittunt*, teste Aristotele *Histor. anim.* l. ix. c. vii. Et tam sancte servare columbas hanc legem, ibidem Philosophus docet, *ut neque pluribus copulari velint, neque mutuum consortium unquam deserant nisi per viduitatem.* Chrysostramus *Hom. de turt.* ita castitatis studiosam foeminam turturis tradit, *ut si marem suum ab aquila, aut ab aucupe capi contingat, alieri non misceatur, sed hunc unum desideret & expectet, ejusque adeo recordatione commoriatur.* Quibus alii patres & Hebræorum Magistri consentiunt, quorum verba non adscribam, ne fiam prolixus, cum multorum testimoniis id sit comprobatum. Videfis Plinium l. x. c. xxxiv. & Clem. *Strom.* ii. Ulysses Aldrov. de Sepia foemina refert, quod si percussa fuerit, mas ei auxilium adferat, amorem conjugalem firmum significans. Nec aspernanda est Bocharti observatio *Hieroz. Par.* ii. l. i. c. iv. hanc esse rationem, quod Salomo Sponsam toties *columba sua* nomine indigitet *Cant.* ii. 14. v. 2. vi. 8. quo significare voluerit, hanc a se unice diligi, seque illi vicissim unice charum esse; quomodo in columbis mirus est amor inter conjuges, & conjugii lex firmissima. Quod si in typo, i. e. Salomone minus verum, tamen verissimum est in Christo, qui unam habet Ecclesiam, quam sibi in æternum desponsavit *Hof.* ii. 19. *2 Cor.* xi. 2. Nec desunt, qui secundum literam, non de Salomone & Sponsa ejus Ægyptia, sed de Christi amore erga Ecclesiam, in toto Cantico agi existiment.

III. Similitudinem & convenientiam brutorum ac hominum amplissimam, quoad animam vegetativam & sensitivam, quam Athanasius p. 102. 103. fuse exponit, hic facile agnoscimus, in quantum naturaliter homo vivit ac moritur secundum corpus. Communem homo cum brutis habet instinctum naturalem per generationem propagandi speciem humanam: modus tamen propagationis diversus est, cum ille ratione omnes suas regat actiones, & legitimum matrimonium instituat. Si homo nil aliud sibi proponeret, quam voluptates, sui conservationem & proles curam,

ad bestias denuo esset relegandus. Porro ut uni jumento in sylvis nato contigit libertas, alterum domi natum servire cogitur; unum laute, alterum parce sustentatur; unum plures & duriores, alterum fere nullos labores ferre cogitur: ita hominum unus liber, alter servus nascitur & vocatur 1 Cor. VII. 21. 22. unus laute, alter misere victitat; hic durum, ille benignum nactus est magistratum. Et tandem homini & brutis idem est eventus, idem locus, quo pergunt, si statum corporeum & irrogenitum consideres; sed eandem esse rationem totius complexi, idem esse sentiendum de Spiritu hominis, & nobilissima mente, deque statu regenitorum & piorum, non nisi carnalis judicii hominum deliramentum est. Quæ omnia Ecclesiastes commemorat cap. III. 19. 20. 21.

IV. Quinimo multa animalia nos facultate sentiendi superare fatemur, juxta tritum illud, *Nos aper auditu* &c. Siquidem subtilioribus prædita spiritibus animalibus, quæ flammæ instar continuo moventur, quam homines sunt; quibus varia nervorum constitutio, brevitudo, multitudo & intensio accedunt, quemadmodum videmus, chordas, quo magis sunt tensæ & breviores, eo acutorem dare sonum, quo tenuiores, eo facilius impressum tremorem recipere, & quo plures, eo constantius actionem sibi impressam ad cerebrum ferre. Qui organorum usus præclarius emicare videtur in brutis animalibus, quam hominibus, qui propter rationem & intellectum, ea non adeo accurata requirere videbantur, ut superiorum facultatum exercitio relinqueretur locus.

V. Subjungit *prærogativas unius præ altero*, hominis quidem exiguas, brutorum vero plurimas, quibus refutandis non immorabor. Satis erit ostendisse, iis, quæ bruta cum hominibus communia habent, perperam annumerari loquelam p. 103. quæ tamen unicum est cogitationis in corpore latentis signum certum, qua utuntur omnes homines, etiam quam maxime stupidi & mente capti, ideoque pro vera inter homines & bruta differentia sumenda est. Unde Chaldæus paraphrastes verba illa Gen. 11. 7. *factus est homo anima vivens*, transtulit ודיה באדם לרוח במללא *fuit in homine spiritus loquens*, quia indivulsa hæc sunt, rationalem esse & loqui. Neque hæcenus observatum fuit, ullum brutum animal eo perfectionis devenisse, ut, licet organis non destituatur, vera loquela uteretur, hoc est, ut aliquid vel voce vel nutu indicaret, quod ad solam rationem sive cogitationem, non autem ad impetum naturalem referri posset. Quod

Quod certo argumento est, omni ratione & conscientia, ac vel minima rationis umbra privari.

VI. Athanasius tamen asseverare audet, bestias nos intelligere, nos loqui ad illas, & illas ad nos, & si nos non invicem perfecte intelligamus, cujus sit culpa, illarum aut nostrum, hoc esse divinandum. Quæ omnia vana sunt cerebri figmenta. Quod sermonis usum quidam animantibus in Paradiso attribuerint, fabula est, ex alloquio serpentis & Bileami orta. Gen. III. Num. XXI. Quas addit *miraculosas & inimitabiles quorundam animantium proprietates*, de Remora pisciculo, & torpedine, vel fabulosæ sunt, ut ostendit A. Kircherus *de Arte Magnetica lib. III. par. VI. c. II. §. 3. 4.* navem fisti non pisciculi virtute, sed maris æstibus contrariis & currentibus. Videbis Aristot. *Histor. Anim. II. c. XIV.* Plin. l. IX. & torpedinem narcotica facultate stuporem inducere; vel non tanta dignæ admiratione, aut si tales sint, saltem probant, Deum in bestiis aliquid posuisse, quod non sit in homine, quemadmodum Job. XL. & XLI. videre est.

VII. Deinde observari velim, Theophilo sermonem esse de hominibus & animantibus in statu integritatis, cum prærogativis multis bestiarum nondum esset locus. Post peccatum vero *similis homofactus jumentis, que intereunt* Plal. XLIX. 13. non modo naturæ, verum etiam passionum & morum respectu, ita ut homo naturaliter consideratus inferior sæpe sit omnibus animantibus ad partem abjectis, vel similem saltem sortem experiatur, & iisdem casibus ac eventibus subiaceat, ut non raro homo homini sit lupus, debiliores deglutiantur a potentioribus, haud tecus ac pisces se invicem devorant Hab. I. 13. 14. Quibus tamen in ordinatis affectibus nuncium mittunt pii, & quotquot sunt vere regeni & fideles. Quin ipsi gentiles vera fide & pietate carentes, quoad externam virtutum speciem, se superari passi non sunt a brutis.

VIII. Denique prærogativas commemorat Athanasius, quas hominem quidem prætere bestias arbitratur, a nonnullis tamen adhuc disputari docet. Cujusmodi sunt 1. Facultates animæ rationales, discursus, ratiocinatio, disciplina, judicium, prudentia. 2. dominium & potestas in animalia. 3. plena libertas. 4. virtus. Hæc omnia brutis cum homine communia esse contendit. p. 104. 105. 106. Quo ipso non irreverenter duntaxat de religione Christiana, & Orthodoxa fide sentit, verum etiam hominem

minem humanitate exuit. Quam enim sit hæc opinio non modo in se falsa, omnique rationi adverſa, verum etiam immortalitati animæ, & Scripturæ S. auctoritati contraria, paucis demonstrare conabor.

IX. Nulla mortales ratio movet ad credendum, bruta ratiocinari ac judicare, niſi quod animadvertentes actiones & motus varios a noſtris non multum differentes, unum in nobis eſſe principium ſibi imaginentur, quod corpus moveat, atque ſimul cogitet, judicet, ac bonum a malo diſcernat. Cum tamen magnum ſit diſcrimen inter motum & ſenſum corporeum, brutis communem, ac motum ſenſumque voluntarium, homini proprium, atque a diverſis principiis, mente ſcilicet & corpore, proſectum. Inde enim eſt, quod bruta ſe non determinent ad agendum, ſed mero naturæ impetu agant, quod eorum motus ac ſenſuum principium tantum ſit corporeum & materiale, ac per totum corpus diſfuſum, quemadmodum videre eſt in nonnullis animantibus, in duas plureſve partes diſſectis, quod ſingulæ aliquamdiu vita & motu præditæ conſpiciantur, ut ita animam in pluribus locis ſimul eſſe liqueat, quod nemo de mente humana ſomniabit, quæ ut cogitans eſt ſubſtantia, intellectu & voluntate prædita eſt.

X. Ipſe Ariſtoteles ambigue, varie & obſcure licet paſſim de anima hominis locutus fuerit, cognitionem quidem brutis tribuit, ſoli autem homini cogitationem I. *Hiſt. Anim. I. fine. βλ. λευτικὸν δὲ καὶ μόνον, εἶον ἀνθρώπος ἐστὶ τῶν ζώων e numero animalium ſolus homo cogitandi facultatem habet.* Addit, memoriam & diſciplinam pluribus animantibus competere, ſed remiſcendi facultatem nulli præter hominem; diſtinguens inter memoriam intellectualem homini propriam, quam remiſcentiam vocat, quæ in certa perceptione mentis conſiſtit, & veræ cogitationis ſpecies eſt, atque corpoream brutis communem. Scaliger quidem verba interpretatur: *ſolus homo conſilii capax eſt.* Quia *cogitare* putat latinis eſſe, quod in animo habeas, repetere, coactis hinc inde rerum momentis. Hoc autem brutis commune eſſe, ait, quod ſine deliberatione tum nos, tum bruta ſæpe cogitent. Sed Henr. Stephanus in *Theſ. ling. Græca* loca citat in quibus βλ. λεύεσθαι, per *cogitare* ſimpliciter vertit, & βλ. ἡ ac βλ. ἡσις, teſte Suida, conſilium & voluntatem animæ ratione præditæ notat. Quemadmodum

dum

dum etiam Cicero 1. *de leg.* §. 22. ex tot animantium generibus atque naturis solum hominem asserit participem rationis & cogitationis.

XI. Difficillimum esse explicatu non negamus, quomodo tot miræ actiones brutorum, sine intellectu & voluntate, a solo corporeo principio proficisci queant, neque tamen propterea ratio ipsis assignanda, aut medium inter materiam & spiritum fingendum, ab utroque extremo diversum. Ipsum Cartesium Naturæ consultissimum hic hæsitasse legimus p. 1. *Epist. cv. ad Sorb. Doct.* quantum ad animalia, inquit, videmus quidem in illis motus quosdam eorum similes, qui imaginationes nostras sive sensus consequuntur; imagines vero aut sensus utrum illa habeant, ignoramus. Et p. 1. *Epist. LXVII.* Quamvis autem pro demonstrato habeam, probari non posse, aliquam esse in brutis cogitationem, non ideo puto posse demonstrari nullam esse, quia mens humana illorum corda non pervadit. Ignorantiam ergo nostram hic profiteri nos oportet, ut in multis aliis rebus, neque tamen ulla causa dari potest, quæ suadeat, brutis aliquid cogitationis, aliquid veræ animæ vel rationis inesse.

XII. Sacra Scriptura bestiis cognitionem adscribens Esa. 1. 3. Jer. VIII. 7. improprie intelligenda est; nisi cum J. G. Pardies (*in Disc. de la connoissance des bestes, cap. LXXVI. & seqq.*) distinguere mavis inter cognitionem spiritualem sive intellectualem, quam vocat intimam rei perceptionem, ac cognitionem reflexam, qua mens sola ita rem percipiat, ut se eam animadvertisse vel percipisse animadvertat; & sensitivam, simplicem scilicet objecti apprehensionem, sine certa reflexione, quam brutis tribuit, & homini quandoque in rem attentius defixo. Quæ forte melius receptio appellari posset. Quatenus enim apprehensio vel perceptio est species cogitationis, vox illa non nisi abusive brutis accommodatur, secus enim absurde speciem posueris, negato genere. Rationalibus solis datum est scire, quare, quatenus, quemadmodum, ait Seneca *Epist. cxxiv.* In verbis sumus faciles, ut tribuatur brutis cognitio & sensus, modo istud principium cognoscendi in brutis a materia diversum non concipias, & non confundas, quæ diversissima sunt, mentem & corpus. Quod autem Pardies libri citati cap. CCXI. formas substantiales tanquam diversum principium a mente & materia supponit, figmentum esse, omnibus constat sanioribus

bus Philosophis, postquam formæ illæ satis superque sunt exploræ.

XIII. Neque illa de facultatibus rationalibus in brutis sententia parum lædit animæ nostræ nobilitatem, quæ in immortalitate consistit. Si enim bruta cogitarent & ratiocinarentur, ut nos, animam etiam, ut & nos, immortalem haberent, aut nostra æque ac illorum anima foret mortalis, quia hominum & brutorum animas tantum quoad perfectionis gradus differre volunt; quod utrumque falsissimum est. Fluit enim animæ immortalitas immediate ex essentia animæ, nullas partes habente, in quas resolvi possit, veluti corpora, quæ licet non annihilentur, quando in sua principia & particulas resolvuntur, ex quibus sunt conflata, nec ratio datur, quare unquam sint annihilanda, destruuntur tamen & corrumpuntur, neque manent eadem corpora, quod de anima cogitare & absurdum & impium est. Spiritum dicere mortuum, est dicere ventum non flantem. Nisi sublata spiritus natura, omnia jubeamus esse materialia, quæ sane proxima est ad Atheismum via. Cum quibus faciunt, qui animas post mortem dormire volunt, quos profligavit Celeb. Morus *Oper. Theol. lib. 1. c. VI-X.*

XIV. Sacrarum literarum auctoritati repugnat ista sententia, quia creator imperando terræ, ut producat animantia Gen. 1.20.24. eorum terream naturam haud obscure indicavit, homine facto ad imaginem & similitudinem Dei, comm. 26.27. quæ in animæ spiritali essentia, & in rectitudine, sive justitia & sanctitate consistit. Hoc discrimen a Mose observatum volunt R. Sel. Ben Melech in *Michlal*, & Abarbenel in *Leg. f. 20. 3. 4.* quando de homine loquens בריאה לשון *vocabulum*, quod creandi significationem habet, de brutis vero יצירה ועשייה לשון *verba formationem & factionem denotantia adhibuit*; quia materia, ex qua brutorum anima formata, jam creata erat, sed substantia animæ rationalis de novo nunc creabatur. Fuge igitur, merito dicit Basilius ad hunc locum, nugas arrogantium philosophorum, qui non erubescunt suas ipsorum animas & caninas ejusdem inter se speciei statuere.

XV. Accedit, quod Deus homini *inspirasse* dicatur *spiraculum vitarum* Gen. 11.7. quando ipsi non modo vitam corporis, quæ in motu sanguinis & spirituum consistit, largitus est, verum etiam vitam rationalem & mentem cogitantem, seu potius genus illud vitæ concessit, quod ex arcta utriusque unione surgit, hominemque constituit, in motu voluntatis, sensit utque tam internis quam

consistens, quod genus vitæ in terrestribus hæctenus non fuerat; atque hoc sensu juxta cum aliis Rabbinis Abarbenel *in leg. fol. 26.3. omnem vitam vegetativam, sensitivam & intellectualem sive æternam*, hic comprehendit; AbenEfra & Sal. Jarchi *intellectualem & cœlestem* solam innuit, autumant, nuptiam bestiis concessam, quæ tantæ quantæ sunt, ex aqua & terra sunt productæ.

XVI. Mox post diluvium, mundo restaurato, illud discrimen apparet Gen. ix. 4. 6. *Anima carnis, sive bruti, in sanguine est*, collum Lev. xvii. 14. Ne autem animam, quia *in sanguine* esse dicitur, hic tanquam a carne & sanguine diversam proponi putes, en tibi explicationem, com. 14. *כל בשר דמו כנפשו הוא* quia *anima cujusque carnis est sanguis, qui est in anima ipsius*: & paulo post, *nam cujuscunque carnis anima sanguis ejus est*. Pariter Deut. xii. 24. *כי הדם כי הנפש הוא* *nam sanguis est anima*. Non ergo tantum anima in sanguine bruti esse dicitur, sed anima est sanguis, & sanguis est anima. Adde Psal. xxxii. 9. *Equus & mulus nihil intellectus habent*. Kimch. interpretatur: *לא תדע הבהמה אם יעשה רע* *neque novit bestia, an faciat malum*. Unde facile intelligi datur, quo sensu Esa. i. 3. bubus & asinis cognitio tribuatur, quibus tamen nihil est stupidius, quod Perfarum isto proverbio innuitur: *Asinus Jesu licet Meccam eat, etiamnum est asinus*. Conf. loca Psal. xlix. 21. Ecclef. iii. 21. xii. 9. 2 Pet. ii. 12.

XVII. Frustra ergo est Athanasius, quod facultates spirituales bestiis tribuat, a principio, quale in nobis est anima rationalis, proficiscentes, cum ad illas, quæ in iis observantur, actiones, instinctus naturalis, acquisiti habitus, crebra experientia, memoria, exempla, imitatio, institutio; id genus alia media sufficient. Cicero in ipso ethnicismo melius & accuratius de anima hominis philosophatus est i. *de Leg. §. 30.* una ratione, inquit, præstamus belluis, per quam conjectura valemus, argumentamur, refellimus, differimus, conficimus aliquid, concludimus. Et Seneca *Epist. Lxxvi.* In homine optimum quid est? Ratio. hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est: cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Quæ tamen Athanasius confundit & brutis communia facit. Et ne eo, quod non tam bene ac perfecte ratiocinentur, inferiora hominibus videantur, alium subjungit discursum, nimirum prætensam istam prærogativam intellectus, & cæterarum facultatum spiritua-

H
lium

lium, plus apportare mali, siquidem scaturigo sit principalis omnium malorum & vitiorum, inquietis, passionum & similibus, a quibus bestiae sint immunes.

XVIII. Observet lector versatile ingenium Polygami, modo hoc modo illud commincentis, ne quid ad copiam nugarum deesset. Quis enim non videt, peccari hic fallacia a dicto, secundum quid, & accidentis? plus apportat mali hominibus facultas intelligendi, non simpliciter & universaliter, sed secundum quid & particulariter; non in usu legitimo, sed abusu, non in se, sed per accidens. Ideone damnabis cor a Deo hominibus creatum, quod ex eo egrediantur cogitationes malae Matth. xv. 19. ideone linguam, caeteraque membra, quod illis abutaris ad maledictionem, effusionem sanguinis, aliave peccata ab Apostolis designata Rom. iii. Jac. iii. & divitias, quod iis abutentes praecipitentur in gehennam 1 Tim. vi. 9. Ideone desierunt esse praerogativae & privilegia Judaeorum, quorum meminit Apostolus Rom. iii. 1. 2. cap. ix. 4. 5. quod illorum plurimi impegerunt & occalluerunt? bi d. com. 32. 33. cap. xi. 7. Nobilis illa intelligendi facultas non est res intrinsece & per se mala aut noxia, sed data a Domino, ut intelligas justitiam & jus, & tranquillus sis a pavore mali Prov. 1. Et vanitati adscribendum, quod scientia, cum primis rerum humanarum & artium profanarum sit afflictio spiritus Eccles. i. 17. 18.

XIX. Contra prava usus & excessus passionum, fluctuationis, morsus conscientiae, desperationis, quae sua natura bonae sunt, optimum remedium est, de omnibus rebus, quae sese offerunt, assuescere formandis judiciis certis & determinatis. Omnes illi tumultus, qui aliunde veniunt, nullam vim habent nocendi animae nostrae, modo virtutem exacte sequatur, & legem custodiat a Deo praescriptam. Qui nunquam negligit facere ea, quae justa attentione & diligentia adhibita, meliora judicaverit, inde percipiet internam satisfactionem & bonam conscientiam, quae tam felicem eum reddit, ut motus affectuum nunquam sat virium habeant, ad tranquillitatem animae ejus turbandam. Sunt Passiones bonae, inquit Cl. Morus *Enchirid. Eth. lib. 1. c. 6.* maximaque vitae humanae complementa, modo haec duae leges observentur. Prima, ut Affectus ferantur ad objectum debitum, quae *εὐθουαδεια* sive *rectus passionum impetus* d. ei potest. Secunda, ut Affectus sit commensuratus objecto & fini, hoc est, ut summo affectu optima maximaque, mediocri mediocria, minimoque mi-
nima,

nima, prosequamur; sed ut nusquam in tantum commoveamur, ut Affectus violentia lumen Rationis intercipiat aut minuat, quo minus finem assequamur, ad quem collineat Natura in singulis Affectibus, quos animabus nostris indidit: Quam proinde legem *μετροπρωταειαν* sive moderatum passionum impetum appellare poteris. Confer Cic. *Quest. Tuscul. lib. 14. Calamitates & erumna*, post peccatum homini infligitur, *dulces sunt homini*, Sohar in *Gen. col. 408. & col. 396. initium justorum est dolor, sed finis tranquillitas*. Conf. Rom. v. 3. 2 Cor. vii. 4. Prov. i. 33.

XX. Dominium porro & potestatem in animalia, quam homo tanquam prerogativam pretendat, Athanasius albis dentibus ridet, meramque chimæram esse censet: homines enim magis timere bruta, quam bruta homines, præesse non autem dominari bestiis. Idem gentiles objiciebant Chrysofomo, qui recte respondet, non absolute id verum esse, cum mox ut apparuerit homo, feræ fugam capiant, & ab initio terribiles non fuisse, probat a colloquio serpentis cum Eva. Id omni caret difficultate, creatoris liberalitate, homini non quidem naturale, sed adventitium dominium esse collatum Gen. i. 26. 28. *וירדו ודברו וימלאו וימלאו וימלאו וימלאו* *dominamini in pisces maris, in aves caelorum & bestias agri*. Kimchius *עין הממשלה וירדו* *Verbum illud radah dominium significare docet, sive jus & potestatem in alterum usurpare & exercere, quo modo communiter cum ב construitur. Cujus domini symbolum erat nominum impositio Gen. 11. 19. quemadmodum Pharao Josephum Gen. xl i. 45. Ahasverus Esteram Est. 11. Nebucadnezar Daniele & socios Dan. 1. 7. Christus discipulos Matth. xvi. 18. novi nominis impositione sibi arctius obstrinxerunt; cum servis Domini apud Orientales in signum domini nomina dare consueverint. Neque minus in statu instituto cæti & elephantis hominis mandato obnoxii erant, quam nunc equi & muli.*

XXI. Sed imagine Dei perdita, rerum hoc dominio excidit homo, *brutis assimilatus, eorumque Dominio subjectus* Psal. xlix. 13. *עין הממשלה וירדו* enim & *dominandi & assimilandi* significationem habet. *Sanhed. Babyl. cap. iv. f. 38. 2. Dicit Rami filius Chama: אין חיה רעה שולטת באדם: אלא אם כל נרמה לו כבהמה שנאמר וימלא bestia, nisi totus similis factus esset jumento, juxta id, quod scriptum legitur Psal. xlix. 13. Age nunc, Athanasi, refer animum sis ad veritatem, & considera primum hominis statum. Post lapsum*

illud majesticum imperium in bruta Gen. 1. 28. mutatum est in coactivum, quale mox post diluvium restitutum legimus Gen. 1x. 2. *omnia in manum vestram tradita sunt.* Servilis brutorum subiectio *ex metu & terrore* proficiscens, verbis istis מוראם & חתם manifesto innuitur. Et quamvis nonnulla animalia propter molem non facile capi & subjugari queant, de quibus Job. xxxix. 12. xl. 20. non tamen plane hominum potestate eximuntur, sed vi subji-
ciuntur.

XXII. Tertia prærogativa, quam hominem non possidere, sed prætere tantum putat Athanasius, est plena libertas. Bestias dicit esse hominibus liberiores, qui suam libertatem vendant, aliorum mancipia fiant, & vi quandoque detineantur. Quo tamen discursu ostendit, se non intelligere, in quo vera hominis consistat libertas, quæ facultas est agendi, quod lubet, præeunte iudicio & consilio, ita ut a nulla vi externa & creata nos determinari sentiamus, sed a solo Deo. Animus liber habitat, sunt verba Senecæ *Epist. LXV.* Quod enim hodierni Athei etiam actiones liberas motus Mathematicos esse dicant, a corpore oriundos, & absurdum est & impium; cum ego meam libertatem proxima conscientia sentiam. Brutalis autem ἐρμῆ & impetus non modo omni caret consilio, sed ne libertatis quidem umbram habet; quum externi tantum motus sint, nostris similes, sed per solos spiritus animales producti, non a spontaneitate profecti. Quod si accurato examine expendisset noster, secus procul dubio iudicasset, de nobilissima illa libertate, quæ nos quodammodo Deo similes reddit, & intelligentibus æque naturalis est, ac ea carent bruta; post lapsum homo eam retinuit *Esa. LXVI. 3. Rom. 11. 15.* amissa morali, omnique rectitudine, respectu Dei & spiritualium *Joh. viii. 34. Rom. vi. 16. viii. 7. Gen. vi. 5. viii. 21.*

XXIII. Itaque adhuc liberæ causæ hoc gaudent privilegio, ut in eas nulla creatura, seu directe seu indirecte, ullam potestatem habeat; quamvis in summa ista libertate a Deo tamen semper determinantur; haud secus ac navis ocysime vectorem abripiens versus occidentem, nil impedit, quo minus in navi ipsa deambulet versus orientem. Et qui vendunt tuam libertatem, vel cupiditate & libidine contemptive inducti, sicut Esavus primogenituram *Gen. xxv.* vel paupertate moti, ut servi & ancillæ *Exod. xxi.* liberrima voluntate agunt. Neque vo-
luntas

luntas eorum, qui vi detinentur, cogi potest, quoad actus elicitos, etsi cogi, & vim pati possit in suis actibus imperatis, exemplo Petri Joh. XXI. 18. velut malefici ire in malam crucem, nautæ projicere merces, & honestæ mulieres stupratoris libidini se subicere coguntur, actu elicitio libero manente, & sine ulla culpa. Tunc qui cogunt, non qui coguntur, id facere censentur Rom. VII. 19. Sed bruta ad libertatem nihilo propius accedunt, quam simiæ æmulatio ad id, quod ratione & consilio faciunt homines.

XXIV. Tandem ne quid eorum, quæ homines possident, deesse videatur brutis, virtutem, quartam & maximam, quam illi prætant, prærogativam, Athanasius his communem facit, imo majorem assignat; cum homo nil aliud sit, quam mundus malorum Jac. I. 11. 6. Sed respondeo, per concessionem dato, hanc esse corruptam hominum naturam, ut cum deberent operam dare virtuti, in varia scelera prolabantur, & bestiarum induant naturam, quam corruptionem & miseriam docet Philosophia moralis, & quæ ei ignota, Theologia. Polybius *Histor. lib. 1. Nullum animal inveniri posse, testatur, quod impietate atque crudelitate homo non superet. . . nullum est tantum nefas, nullum scelus tam abominandum, quo se non obligent homines: cum talem audaciam ducant laudi: donec tandem exuant hominem, & in feras evadant.* Sed addit: *Non est autem dubitandum, provenire hunc animorum habitum a malis moribus, & prava a teneris educatione.* Similia invenies *lib. xv.* Adde Job XI. 12. Prov. I. 32. xxx. 2 Tit. III. 3. Eph. IV. 17. sq. Psal. CVII. 17. Ergone bruta homines excellunt vera virtute? sunt hostes virtutis, mancipia Diaboli, servi peccati, mundo addicti, an inde inferre licet, omnes esse tales, nullo excepto? Scitissime ille apud Plutarchum Gryllus ratiocinatur, dum homines affirmat, si ab eorum vita semel absit religio, non modo brutis pedibus nihil excellere, sed multis partibus longe esse inferiores, ut qui tot malorum formis obnoxii, tumultuariam & irrequietam vitam perpetuo trahant. Sola enim virtus, teste Seneca *Epist. xxvii.* præstat gaudium perpetuum, securum. Sed quicumque cuticulam curat, ab eo virtus & artificium non est expectandum. Musladinus Sadus *in Rosario polit. cap. viii.*

XXV. Fallit autem Athanasius, quando virtutem consistere dicit in moderatione appetitus & refrenatione voluptatum; quasi

facultas sit circa solam brutam & animale partem versans, cum in interna mentis dispositione ad amorem justitiæ constet, nihilque sit aliud, quam actio fluens ex dictamine rectæ rationis, & firmum ac constans propositum semper agendi id, quod secundum legem Dei revelatam aut naturalem, optimum esse judicaverit; sive prosequendi constanter illud, quod rectæ rationi nunc ex verbo Dei illustratæ visum fuerit optimum; quale non cadit in ullum brutum, quod non propter finem, sed per impetum naturalem agit, suum tantum quærens commodum sui que conservationem. Cl. Morus *Enchir. Eth. lib. 1. c. 111.* ait, Virtus est intellectualis vis animæ, qua impressionibus animalibus sive passionibus corporeis ita dominatur, ut in singulis actionibus illud facile prosequatur, quod absolute & simpliciter optimum est. Ita ille. Ideoque voces istæ recognitionis, fidelitatis, humanitatis, innocentiae, culpæ, deceptionis, juris, dubitationis, prudentiæ, & quæ sunt id genus aliæ bene multæ, proprie bestiis non competunt, quia non sunt perceptionis, virtutis, juris & injuriæ capaces. Et cum Scriptura S. tale quid ipsis tribuere videtur, quomodo Sapiens ablegat nos ad formicas, id factum est admonendi hominis causa. Quibus consonant, quæ habet Cicero *1. de leg. §. 25.* virtus eadem in homine ac Deo est, neque ullo alio ingenio præterea. §. 45: nec arboris nec equi virtus, quæ dicitur, in quo abutimur nomine, in opinione sita est, sed in natura.... est enim virtus perfecta ratio. Et Suidas, *ἀρετὴν virtus est affectio rationi manifeste consentanea, & ipsa per se ipsam experienda, non ob aliquem metum aut spem, aut aliquod commodum.*

XXVI. Atque sic satis mihi videor demonstrasse, sententiam de ratione, plena libertate & virtute brutorum, a veritate maxime alienam esse, ut non opus sit ejusmodi absurda fusius excutere. Nec quenquam desiderare reor majora machinamenta, quibus illa destruat. Soli angeli & homines lucis & divinæ sapientiæ sunt consortes; animalia vero cuncta luce privata in regione tenebrarum collocanda. Kirch. *Art. Magnæ Lucis & umbræ lib. x.* Argumentis igitur excussis, lectori jam promptum fuerit opinionis hujus momenta omnia perpendere, &, quænam similior sit vero, judicare. Dabit autem veniam, quod hisce paullo diutius immoratus sim, cum in hoc argumento, a primo mandato crescendi, hominibus ac bestiis communi, desumpto causæ suæ arcem posue-

posuerint Theophilus atque Aletheus. Sed Daph. Arcuario pag. 42. & seq. hoc argumentandi genus non admodum probatur, eo quod lex soli homini data, adeoque falsa sit definitio juris naturalis a Justiniano data. Fatetur etiam, ex ista sententia multas sequi absurditates, licitam scilicet esse polygamiam muliebrem, licitas esse nuptias inter proximos consanguineos, matrem & filium, patrem & filiam &c. sicut coeunt animalia nullo cetera dilectu. Nec habetur turpe juvenæ ferre patrem tergo: fit equo sua filia conjux. Ovid. *Metam. lib. x*. Et posito, animalia in propagatione generis humani esse imitanda, improbat tamen exemplum a foetidis hædis desumptum. Tandem concludit p. 46--49. ea opera, quæ homo cum animalibus habet communia, tamdiu licita habenda, donec ostendatur alia lex, alia causa, aliud fundamentum, quo Polygamiam homini prohibitam esse constet; quod si non detur, huic Polygamorum sententiæ subscribendum esse putat. Nos illud fundamentum ostendimus supra ex primo instituto Gen. 11. 24. & ulterius ostendemus.

CAPUT VI.

An formatio & constructio Eve e costa Adami, ejusque associatio Gen. 11. 18. 21. 22. 23. Polygamiam insinuent.

Conjugium mariti cum pluribus uxoribus Deum insinuasse, contendit par Polygamorum, cum ex costa, quarum plures sunt in corpore humano, foeminam efformavit, eamque Adamo instar sociæ & adjutorii adjunxit. Sicut enim, pergit Theophilus Thef. xvii. costarum pluralitas ad motum, meliorem proportionem, conservationem & protectionem totius corporis non modo conducit, sed fere est necessaria, ita & pluralitas uxorum, non tantum prodest ad mariti sustentationem & defensionem, sed etiam necessaria quodammodo est, non tantum necessitate mediæ, sed & præcepti. Et Thef. xxx. Quod est instar costæ, ejus pluralitas præstat unitate. Atqui foemina est instar costæ.

II. Sed respondemus *κατὰ τὸ εἶδος*, quia Deus ex una tantum costa Adami unam formavit uxorem, insinuare potius voluit mariti conjugium cum una. Si enim Theophili commentum insinuare voluisset Deus, ex pluribus costis procul dubio plu-

plures uxores exstruxisset. Cum igitur sapientissimus creator, qui optime novit, quid homini utile & necessarium, unicam fecerit Evam, ex una costa Adami, judicare promptum est, ejus solius conjunctione, bono naturæ communi decenter propagandi genus humanum, abunde esse prospectum. Cui enim, amabo, magis necessariæ fuissent plures uxores, quam Adamo, ad sustentationem & defensionem corporis, præsertim post lapsum, quem prævidit Deus? Et si procederet Theophili ratiocinatio, sequeretur uni viro jungendas esse uxores viginti & ultra, tot nempe, quot sunt costæ hominis, siquidem in utroque latere ut plurimum, testibus Medicis, duodecim reperiuntur, tam in viris, quam in mulieribus, raro tredecim, & rarius undecim utrinque. Barth. *Anat.* l. iv. c. xvii. Neque propterea mancus fuisset Adamus, sicut talis non evasit, ablata una, quia Deo facile fuit, alias substituere; neque costæ in viro superfluæ fuissent, quemadmodum semen in homine non abundat, ex quo datur generatio.

III. Abarbenelem virum eruditum & acutum inter alios Hebræorum & hic audiendum censeo, qui hoc modo commentatur ad nostrum textum *Comment. in pent.* fol. 28. 2. *Visum est Deo, ut crearet mulierem e costa hominis: neque eam seorsim ac separatim condere voluit, sicut ceterorum animantium fœminas, & ipsum Adamum, propterea quod ceterorum animantium fœmina maribus nisi procreandi ergo duntaxat, non conjungantur, ac nihil præterea illis cum maribus sit, ut qua seorsim vitam agant. At vero homini fœmina est opus, cum ad alia multa, tum ad cibos parandos, & alia domestica officia, ideoque homini subjaceat obediatque necesse est. Oportuit idcirco mulierem partem esse illius corporis, ut ceu pars suo toti conjungeretur, adhereretque firmiter, ipsum amaret, tuereturque, quoad posset. Et paulo post: neque vero creavit Deus mulierem ex pedibus, qua abjectior in homine pars, ne illam haberet pro ancilla; neque ex capite, ne illa sibi videretur Domina, sed ex costa, qua medio in corpore jaceret, ut doceretur, utrique parem in domo locum competere.* pergit: *ולא היה צלע מפני זה כותר ולא דבר בטל כי הנה יש דבר שהוא כותר אצל האיש הפרטי והוא הכרחי כפי המין כמו הלחות הורעי שהוא כותר כפי האיש והטבע יאהבו וישמרו לענין ההולדה להשארות המין כן ולא היה צלע נוסף כפי האדם והכרחי להולדה אשה* *Neque tamen costa illa superflua fuit aut otiosa; est enim aliquid inutile cuiusdam singulari, quod tamen*

tamen est necessarium speciei: sic semen superfluum est ratione individui, ipsum tamen charum habet natura, conservatque ad procreationem, generisque propagationem. Similiter statuendum de costa illa, fuisse inutilem primo homini, ast necessariam ad mulieris procreationem.

IV. Quærit Arcuarius p. 53. utrum ex eo, quod una costa ad Evæ formationem adhibita a Deo plures ducere uxores prohibitum fuisse, sequatur, an vero inde tantum concludere liceat, Deum plures facere noluisse? ille posterius eligit, cujus hanc adfert rationem, quod Deus ex uno sanguine omne genus humanum propagari voluerit Act. xvii. 29. pariter Athanasius p. 162. ideoque Evam nominatam matrem omnium viventium. Sed non video, qui negari queat, quod Adamus & Deus ipse sua approbatione inde concludit Gen. 11. 24. על כן ideo erunt duo in carnem unam, nempe quia mulier ex una viri costa facta. Ut enim hanc conjunctionem maris & foeminae, cujus Deus auctor fuerat, placere sibi, testaretur, hac lege, Adami ore prolata, individuum societatem jubente, homines circumscriptit, quemadmodum supra satis superque demonstratum. Ita consummavit Deus opus suum septimo die, & quievit eo על כן בריך ייחיהו ideo benedixit Deus diei Sabbathi, & sanctificavit eum. Gen. 11. 2. 3. Exod. xx. 11. Conf. Pf. 1. 5. xl. 11. 7. Similia multa invenis passim in Sacris. על כן super sic, super hanc basin & hoc firmamentum (ex כן) cum res sic se habeat, propterea hoc factum vel futurum est. Qui ergo hanc illationem & conclusionem negat, is negat conclusionem ab ipso Deo & Adamo factam. R. Bechai ad comma 23. notat: Hac vice tantum assumpta est mulier os ex ossibus meis. Sed deinceps haud necesse erit, extrahi mulierem e costa, sed procreationi liberorum studebunt homines, nasceturque mulier secundum morem mundi.

V. Quod rationem illam attinet, a libidinis & polygamiae advocatis allegatam, quæ concernit generis humani propagationem, ea valet quidem Adami, non Evæ respectu, ita ut non obstante regula Apostoli Act. xvii. 26. ex pluribus costis plures foeminae formari potuissent, manente uno sanguine, sive una origine ac cognatione ex femine unius Adami. Et Evam ratione folius vitæ naturalis ita dictam, quod illi contendunt, falsum est. Appellaverat eam antea Adam אשה ischah viram Gen. 11. 23. ratione ortus passivi, quia ex viro desumpta formataque fuerat, non quidem secundum totum sui, quod Calovius aliique volunt, qui animam instar furculi ex arbore propaga-

ri statuunt, sed tantum secundum corpus, anima Evæ eadem ratione, qua Adamo, per sufflationis modum, a Deo indita. Nunc autem dicit חַוְּוָּא *Chavva*, i. e. *vivam* seu *vividam* Gen. III. 20. propter ortum activum, quia ex ipsa ad omnes victuros vita erat derivanda. Quæ non est vita mere naturalis per generationem communicanda, quia hæc facultas die sexto, non mulieri duntaxat, verum etiam Adamo & omnibus animantibus, jam data erat, quam si attendisset Adam, se potius isto nomine indigitasset, qui vere pater erat omnis viventis, ex cujus sanguine genus humanum propagatum Act. XVI. 26. Sed erat vita spiritualis, & per hanc gratiam simul communicata hujus temporalis vitæ prolongatio.

VI. Ex hoc fundamento, si non concessa fuerit Polygamia simultanea, Arcuarius creatorem neque secundas nuptias, etiam defuncta uxore, permisisse Adamo concludit p. 54. 55. 56. Quæ cum hodie permittantur, cessante causâ illa fundamentali, etiam recte, vivente adhuc uxore, ad secundas pluresve nuptias transiri censet, cessante eadem causâ, quod scilicet unam vellet Deus originem extare generis humani, quam manere, ait, si vel viginti quis hodie simul ducat uxores omnes viventes, aut successive post mortem prioris. Ut ita tam polygamia simultanea, quam successiva sit licita. Qua ratione cadere putat fundamentum, adhuc illicitum esse, quod tale fuit in statu innocentia. Verum enimvero quemadmodum modo negavimus, ideo Adamo non potuisse plures ex pluribus costis formari mulieres, quod ex uno sanguine totum genus humanum derivandum foret; ita nunc quoque Arcuario non concedimus, ob hanc rationem non licuisse Adamo transire ad secunda vota, post mortem prioris maritæ; alia enim erat ratio, videlicet incestus, quia filiam ducere debuisset in linea descendente, quod Gen. II. 24. consentientibus Hebræis Doctoribus, prohibitum est ad dies usque Messia, sive in perpetuum, sicut supra cap. II. §. XVI. XIX. demonstratum. Ergo quemadmodum Deus locum, ex quo desumpsit Evam, opplevit carne, quidni pariter restitui velit, mortua uxore, costam illam, ut adhuc plures uxores ducere liceat, non simul, sed successive, necessitate auxilium exigente?

VII. Valet ergo hic quoque, quod profundæ eruditionis Theologus Fr. Spanhemius respondet Maldonato, insolubile vinculum matrimonii, etiam ratione infantis, ex Matth. XIX. elicienti, quod Christus argumentetur, Deum non plures, sed unam tantum foeminam uni fecisse viro, & inde colligere non

non debere plures habere, i. e. unam dimittere & aliam ducere. Idem valere, ne propter fornicationem aliam ducere liceat, quod uni viro una tantum foemina facta sit. Regerit inter alia Spanhemius, *Dub. Ev. p. III. D. CL.* uni unam habendam, opposite ad polygamiam simultaneam, & ad divortia levia, illegitima, non opposite ad polygamiam successivam, ad quam legitimis de causis & legitime itur. Questionem quidem motam fuisse de successiva, sed illegitima, non legitima, qualis inter Judæos obtinuerat, quæ introducebatur uxoribus dimissis *κατα πᾶσαν αἰτίαν.*

VIII. Quod autem Arcuarius p. 51. argumentum ex B. Pontio Legionensi adducit, e dominio uxoris, ex latere viri desumptæ, dominatus participis factæ sequi monogamiam, id non omni modo procedere cum ipso fatemur, siquidem hæc gloria & excellentia supra mulierem ex fine & ordine creationis viro collata 1 Cor. x. 7. 8. 9. licet in animantia ambo dominium acceperint. Gen. i. 28. sed post lapsum mulieri sola obedientiæ & obsequii gloria relicta Gen. ii. 16. Quod enim propter ordinem redemptionis vicissim viro exæquata 1 Cor. xi. 11. 12. ut sicut mulier ex viro est naturaliter, ita per mulierem vitæ supernaturalis origo ad virum derivata sit Gen. ii. 20. quo pacto sibi mutuo debitores sunt constituti, id obedientiam mulieris, & dominium viri neutiquam tollit. Interim ista naturæ imparitas, tantum abest, ut prohibeat, quo minus hæc unio arctæ sit, ut contra reddat arctiorem. Minime vero dominium hoc comparandum esse cum eo, quod herus habet in servos, juxta cum aliis abunde docuit Abarbenel supra citatus, *creatam esse Evam non ex pedibus, ne illam pro ancilla maritus haberet.* Quod clarius patebit Cap. viii.

IX. Subjungunt Athanasius p. 176. & Arcuarius p. 58. 59. aliud argumentum, huic materiæ de costa connexum. Quodcumque est instar ædificii, illius pluralitas (cæteris paribus, si scilicet nullibi prohibita) præstat unitate. Atqui uxor. Ergo. Potest enim quis plura possidere ædificia, & quo plura possidet, eo ditior est, & eo melius plures potest accommodare uxores. Ast valet hic eadem responsio, quæ supra data ad argumentum a costa petum, cur nempe creator plures costas, plura ædificia Adamo, qui ditissimus erat, non extruxerit, ut par erat, si homines ad imitationem polygamie provocare voluisset. Deinde simile istud extenditur ultra scopum Mosis, qui verbo ædificandi formationem Evæ

expressit, quod peculiari conclavi seu contignatione sit instructa, ad habitationem concipiendi foetus. Ideo non eodem modo, quo Adam, condita est, nec quo ceterorum animantium foeminae, quae una cum maribus editae sunt, ut Deus caveret, ne homines perinde ac belluae libid. narentur, quod etiam Doctissimus Camero adnotavit ad Matth. xix. 6. Accedit, quod creator, formata & aedificata Eva, non dixerit, ideo plures erunt in carnem unam, quia plures sunt costae, & plura aedificia, sed, *ideo duo erunt in carnem unam*, Gen. 11. 24. nempe quia Eva ex costa Adami, vira ex viro desumpta, comm. 21. 22. 23. Quapropter recte in parenthesi monuit Athanasius, *si nullibi sit prohibita pluralitas uxorum*. Atqui Deus commate sequenti 24. statim prohibuit. Quicquid ergo adferunt adversarii speciose, id facile semper refutatur verbis Institutionis.

X. Uxorum pluralitatem homini non modo conducere, sed & costarum plurium instar necessariam esse, cum necessitate medii, tum necessitate praeccepti, prolixè Theophilus juxta cum Athanasio demonstratum ivit Theol. xviii. & seqq. Necessitatem medii examinabimus, ubi discutiemus argumenta e naturali jure desumpta; de necessitate praeccepti sequenti capite vii. differemus. Hic series & ordo rei subnectere jubet, quod Theol. xxx. de *auxilio* hominis adferunt adversarii Gen. 11. 18. ex quo similibusque locis ita argumentantur: Quodcunque est instar adjutorii, socii, vitis, navis, unionis, illius pluralitas praestat unitate. Atqui foemina respectu mariti est instar adjutorii, socii, vitis Psal. cxxvii. navis, unionis Prov. xxx. Ergo. Responsio est in promptu: Si hoc argumentum militaret, non duae, aut tres, aut quatuor, sed mille & plures essent viro adjungendae. Sed quia Scriptura sacra in singulari loquitur de *auxilio*, non de auxiliis, potius retorquemus argumentum, quod scilicet tale est, ejus unitas praestat pluralitate.

XI. Neque hic, quid praestet, & utilius, sed quid legitimum, quid licitum sit, quaeritur. Excipit Daph. Arcuarius p. 58. Vocem *auxilii* aequè de pluribus, ac de una exponi posse. Sed hoc est. nodum in scirpo quaerere, cum formatio unius Evae, si numerus singularis, quo auxilium vel socia exprimitur, non suffecerit, fatis hanc interpretationem confutet. Neque in Polygamia uxor semper est *coram eo*, circa maritum, juxta divinum

vinum institutum, sed in gynecæis & diversis ædificiis habitat seorsim, sicut Ester cap. 11. 2. 111. 11. per aliquot dies & menses non vocata. Finis autem hujus unionis erat, ut vir auxilium & subsidium haberet in promptu, quod esset coram ipso, eique simile, in unum cum eo coalescens. Non ita foemina animalium maribus sociatae sunt, inquit Abarbenel *Commentario in libros Moysis fol. 27. col. 4.* utpote quæ statim divelluntur.

XII. Fingit Athanasius, Adamum, cum pessima adjutrix fuerit Eva, Diaboli potius, quam viri, de aliis adjutoriis idem præsumpsisse, atque ea propter a pluribus abhorruisse. Quod falsissimum esse commentum, nemo non videt; quum ante lapsum omnia ista verba Deus pronunciaverit, neque Adamum in consilium adhibuerit, a quo nec impeditus fuit. Denique excipiunt polygamiaæ patroni, Deum loqui de uno tantum auxilio, in uno matrimonio, in polygamia autem non unum, sed plura contrahi matrimonia, quorum singula unum auxilium admittant. Destruere quidem fatentur polygamiam unitatem *auxilii*, non autem unitatem auxilii in uno matrimonio; secus enim omnia matrimonia post Adamum fore damnanda, in quibus etiam multa sint auxilia. Cui difficultati satisfacere nescit Arcuarius p. 57. Ego autem illud absurdorum omnium absurdissimum esse judico. Hoc ipsum *κρίνωμενον* est, utrum plura simul matrimonia, prima uxore nondum mortua, contrahere sit licitum. Quod non est supponendum, sed probandum. Exemplo saltem Adami probari nequit. Eadem objectio redit capite sequenti. Ideoque hic diutius hisce figmentis & effugiis immorari me piget.

CAPUT VII.

Virum verba, crescite & multiplicamini Gen. 1. 28. ac unius Eve ad Adamum adductio Cap. 11. 22. monogamiam vel polygamiam adstruant?

MEntem præcepti de multiplicatione & fructificatione Gen. 1. 28. supra capite primo exposuimus. Ut veritas paulo clarius eluceat, & ad partes nostras inclinet pendens forsân adhuc lectoris animus, objectionibus hisce adversariorum occurrendum. Athanasius quidem præmonet p. 148. Theophilum tanquam negantem polygamiam esse peccatum, ab omni probatione potuisse ab-

stinere, cum affirmanti incumbat probatio, ex abundanti tamen probationem suscepisse. Sed gratis illud monet, quandoquidem affirmat Theophilus Thef. i. Polygamiam cum jure naturæ, gentium, divino & civili exactissime concordare; affirmat Thef. xv. juri divino polygamiam convenire; affirmat Thef. xvii. pluralitatem fœminarum esse necessariam. Hoc affirmanti non potest non incumbere probatio. Deinde scimus quidem ex auctoritate ut Logicorum, sic Jureconsultorum omnium, quorum in corpore utroque constantes regulæ, probationem non negantis esse, sed affirmantis; illius esse probare non negationem, sed exceptionem; nudis asseverationibus res non constitui, & quæ id genus plura. At non quæritur, quid stricto jure quis teneatur, sed quid faciat ex liberalitate, & ex abundantia juris. Unde Protestantium licet negantium, operosæ contra Pontificios Disputationes, Neganti non incumbit primo loco, omni jure. Deinde distinguunt Disputantes interfacienda & credenda, negationes priores probari posse docent, quia in Decalogo continentur; debere, quia secundum humana jura probanda est actio etiam negativa. Hæc præter viam. Discutienda igitur sunt paucis, ut ad reliqua transeamus, quæ in medium adferuntur Thef. xx. & seq. Th. xxxvi. xxxvii. lxxv.

II. Argumentum tanquam primarium & Achilleum promunt hujusmodi: Quicumque jubentur crescere, se multiplicare & replere terram, illi jubentur hoc facere modo optimo & convenientissimo, legitimo puta, seu Scripturæ sacræ, quæ suprema lex est, non contrario. Atqui primi nostri parentes, Adamus, Noachus, atque omnes eorum posteri jubentur crescere &c. Ergo. Concedimus totum. Urgent, verba non esse benedictoria tantum, sed & imperatoria. Et hoc supra capite primo largiti fuimus. Neque tamen omnes sine discrimine obligari, fatetur ipse Athanasius p. 146. Si matrimonium auspicatoris non invenit in seipso vires animi ad regendum, corporis ad satisfaciendum, aut generandum, & fortunæ, ad sustentandam familiam, intermittit vel unam ducere, viribus suis scilicet diffusis.

III. Pergit Theophilus: Quicumque modus est legitimus, ille est optimus. Atqui Polygamia est modus legitimus. Respondeo negando assumptionem cum adjecta probatione, quod videlicet

licet conveniat cum lege prima & catholica Gen. i. 28. nec contrarietur ulli legi Dei. Prius falsum esse, supra satis probatum dedi. Posterior in sequentibus liquebit. Utrum commodius terra repleatur per Polygamiam, si alias non sit prohibita, deinde differere erit fatius, ubi de jure naturæ. Id saltem hoc loco velim expendi; si melius per Polygamiam mundus repleti possit, cur Deus Adamo & Noacho, primis mundi incolis, quibus hoc præceptum præ omnibus aliis datum, ut mundum propagarent & conservarent, plures non adjunxerit? quos tamen Polygamos fuisse, asserere non est ausus Athanasius p. 145. & 205. Quæ continentur Th. XXI. eadem sunt cum Th. II. III. & jus naturæ concernunt. Thesis XXI. XXI. XXIV. XXV. probat Theophilus, in Decalogo polygamiam non esse prohibitam. De quo post, ubi ordo historicus nos eo deduxerit. Nunc porro demonstrandum suscipit, in Mose, Prophetis, Psalmis & Apostolis polygamiam non esse prohibitam. Exorditur a creatione, quæ nobis sola hac Sectione exanimanda.

IV. Deum adduxisse unicam Evam Adamo, id nullam præbere ἀπόδειξιν, censet Theophilus Th. XXVI. Adamum enim, cum viderit, animantia omnia copulari cum sui similibus, de socia etiam cogitare coepisse, & mediante Eva ex costa creata, omnibus bonis animi & corporis ac fortunæ spoliatum, odium procul dubio contra eam suscepisse, & nullam præterea ipsi similem desiderasse, ne plura mala incurreret: Invito autem non obtrudi beneficium. Eadem passim repetit Athanasius p. 18. 19. 20. Respondeo, quis credat affirmantibus sine teste, sine historia? Etenim hæc omnia statuuntur ἀπεργαφῆς καὶ λόγος. Gratis supponitur, Adamum ex brutorum consideratione Deum prævenisse, propter lapsum Evæ, nullam desiderasse uxorem ultra Evam, Deumque, si desiderasset, pronum fuisse in illius vota. Cum etiam integer, illa integra existente, nullam amplius desiderarit. Adeo ut perquam ridiculum sit hoc ac immane quantum distortum subterfugium. Eiusdem commatis & furfuris sunt, quæ ad Theophili thesin commentatus, sive commentus est potius Athanasius p. 18. Adamum in plures uxores, si Deus adduxisset, non fuisse consensurum, ad secunda vota transire noluisse; non consultum duxisse creatorem, uno die ipsum multis uxoribus onerare.

rare, sed primo animadvertere, quomodo cum prima se gereret.

V. Quasi vero Adam fuisset independens a Deo, in hoc mundo inferiore, cui potuisset contradicere, ac omnia pro lubitu imperare, cum tamen præter obsequii gloriam nihil ei fuisset relictum. Supponit voluntatem Dei antecedentem, cujus completionem a voluntate humana prorsus suspendit. Cum e contrario voluntas creata dependeat a Deo metaphysice, ut creatore & conservatore suo, & moraliter, ut legislatore ac Domino. Si priores & posteriores volitiones in Deo ponantur, quarum hæc sæpicule diversæ ab illis, Dei voluntas erit mutabilis, quod summi Numinis perfectioni repugnat, & Scripturæ Mal. 111. 6. Jac. 1. 17. Quod si ergo novas creatas uxores Deo adducere visum fuisset, in scio Adamo, hiccine invitum se præbuisset? Rogetne Deus homines, quibus absolute imperat, quid velint & cupiant, & quidem peccatores, qui sua ignorant commoda?

VI. Si onus fuerit pluralitas uxorum, quod Deus Adamo imponere noluerit, ei neutiquam ferendo pares sunt posterius ejus; sin beneficium, quidni eo mactasset protoplastum, in quem tanta dona effuderat, & cui hoc tam necessarium erat in mundi exordio? Comparat Deum Labani, una die Jacobo plures uxores jungere nolenti, quem hoc in negotio fraudulenter egisse, norunt omnes, ex Gen. 21. 25. Pudeat Christianos, libidinis promovendæ causa quidvis fingere, Deumque dolosis hominibus comparare. Neque erat, quod metueret Adam, ne si post lapsum plures duceret uxores, totius mundi exul plura mala incurreret. Quamvis enim eopse die, quo Dei legem transgressus, sensu favoris Dei privatus, pœnam & tormenta pateretur, quæ Dei ira & potentia inflixit, ad vindictam læsæ suæ Majestatis Gen. 111. 8. & seq. coll. cum Apoc. vi. 15. 16. 17. non tamen eam pœnam toleravit, ad satisfactionem usque justitiæ divinæ, interveniente statim Filio Dei Mediatore Gen. 111. 15. qui sponsonem suscepit ex pacto æterno. Heb. xiiii. 20. Psal. 11. 7. Zach vi. 13.

VII Ideoque mox exercere Deus cœpit divitias longanimitatis, tolerantia & benignitatis Rom. 11. 4. variasque benedictiones in statu integritatis concessas, Adamo denuo fruendas concessit, quarum

rum una fuit, eaque neutiquam postrema, propagatio sui generis, seu facultas communicandi vitam naturalem, & multiplicatio per generationem, qua quidem per peccatum excidisset, ni Deo illud beneficium reddere, & matrimonii nexum ante institutum, atque maris & uxoris conjugalem societatem rursus adstringere visum fuisset Gen. III. 16. 17. c. IV. 1. Quam gratiam homo amplexus, uxorem suam *Charvram* sive matrem viventium vocavit, unde Pseudo-Jonathan & Targum Hieros. ad Gen. III. 15. fore, dicunt, *ut quando filii mulieris operam daturi essent legi, & facturi mandata, contrituri sint serpenti caput, & tempore Messia contra ejus morsum remedium futurum.*

VIII. Id omnino intolerabile est, quod dicunt Th. xxix. Adamum fuisse in culpa, quod Deus ei plures non adduxerit uxores. Num in integrum hominem cadit culpa? num Deus in institutione status ab Adamo ejusque desiderio pependit? num ad illius lubitum disponere debuit aut voluit ille, cui nemo a consiliis, qui cum nemine communicat consilium, quem nemo docet scientiam & cui viam prudentiæ nemo notam facit Esa. XL. 13. 14. An homuncio leges naturæ mutare, generisque humani propagationem impedire potuit? Quidni Adam alias uxores desideravit post lapsum, cum alias nostri polygamix patroni hoc tanquam medium devorandæ molestiæ & miseriæ commendent? Nonne temerarium est dicere, non posse scire, an Adam plures uxores habuerit? cujus rei nec vola nec vestigium in historia creationis & in tota Scriptura. Deum potuisse adhuc, clamant, ex costa una vel altera, peccatis inquinata plures uxores creare? Quamvis Dei potentix limites ponere nolumus, multa tamen sunt, quæ arguunt in tam confidenti assertionem nihil esse solidi ac certi. Ne dicam, quod a posse ad esse non valeat consequentia. Hæc enim nova fuisset creatio, a qua post sex dies abstinuit, cum sufficeret Dei concursus & providentia ad generationem, constitutis patribus carnis, Deoque solo manente patre Spirituum Heb. XII. 9. Potuisset Deus homines singulos separatim creare ad modum angelorum. Sed non placuit. Non produxit Deus ab eo tempore, præter animas, quæ generari nequeunt, novas creaturas; alioquin enim rerum omnium principium sex diebus non finiendum, sed ulterius per plures dies & menses continuandum fuisset, quod & Mosaicæ

narrationi, & omnium, qui Scripturis fidem habent, consentienti sententiæ repugnat.

CAPUT VIII.

Utrum phrasēs, adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam Gen. II. 24. atque dominium viri cap. III. 16.

Polygamia faveant, an Monogamia?

Institutionis verba, quæ clarissima sunt, & sufficienter a nobis supra Capite Secundo exposita, nullum poterunt negotium faceſſere niſi iis, quibus contradicendi & hypotheſi ſuæ inſerviendi libido, iudicii libertatem eripuit; inhærendum tamen adhuc non nihil eis eſt propter adverſariorum exceptiones. Quod enim Deus in ſingulari dixit, *וירכב באשה*, quod in Latio ſignificat *adhærebit uxori ſuæ*, & *duo erunt in carnem unam* Gen. II. 24. id non ſemper aliquam ſingularitatem vel unitatem excluſivam involvere, contendunt Theophilus & Athanaſius Theſ. xxvii. xxviii. Sicut Deus jubendo diligere proximum ſuum, non vult, unum hominem eſſe diligendum; ſingularē numerum libertatem tantum concedere ducendi unam vel plures. In Decalogo nomen Dei, Sabbathum, patrem & matrem, ac in præcepto x. omnia objecta in ſingulari numero poni, ex quibus tamen non ſit concludendum, unam domum, unamve uxorem eſſe prohibitam, aut ſaltem unum Dei nomen in vanum non eſſe aſſumendum. Et numeralia illa, duo, tres vel tria, aliaque non ſemper excluſive ſumi in Scriptura, ſed ſignificare tantum, quod duo ad minimum faciant conjugium. Idem olim objiciebat B. Ochinus. Quibus ſimilia exhibet Daph. Arcuarius pag 71. & ſeqq.

II. Quantum ſe fatigant homines, ut contra claram lucem verbi divini, ſuam defendant hypotheſin. Extruxit Deus ex una coſta unam foeminam, quam Adamo adducens dixit: *Ideo deſeret homo patrem & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt in carnem unam.* Ex quibus vel cœco appareat, conjugium inter duos eſſe inſtitutum, quod & tandem abſurdiſſimis ſuis effugiis fateri coguntur. Quæ hic eſt comparatio inter uxorem tuam & proximum tuum? Ubi Deus ita reſtrinxit amorem proximi, ut u-

num

num diligas, & propter eum deseras ipsos parentes? Cum præter hostes & ofores Dei, quos Deus ipse inimicos nostros constituit Gen. 111. 15. diligendi sint omnes homines in mundo, etiam ipsi inimici nostri, itane adhærebit unusquisque omnibus mulieribus? Proximi nomen collectivum est, ideoque mirum non est, ejus fieri mentionem in singulari. Neque in x. præcepto Decalogi una domus aut una uxor, unus bos, unius proximi prohibentur, quemadmodum hic duo jubentur in posterum esse in carnem unam, exemplo Adami & Evæ, quos Deus ipse conjunxit. Plus enim in lege esse quam dici, si non limitetur ab ipso legislatore, canon est ad explicationem legis necessarius. Pariter nomen Dei vel est ipse Deus Ps. xx. 2. VIII. 2. vel vocabula denotat, quæ signa sunt divinarum perfectionum, ita ut omnia Dei attributa comprehendat. In præcepto 111 Deus non restringit illud nomen ad unum attributum, sed ad omnia extendit, ideoque cum uxore, cui homo adhæreere debet, comparari nequit.

III. Nec sequitur, vocabulum *duo* non accipitur aliis in locis exclusive, ergo & in locis, ubi agitur de conjugio. Pariter enim concludi posset, non duas tantum fuisse tabulas legis, quia alibi vox *duo* exclusive non accipitur. Circumstantiæ textus sunt expendendæ, & cætera, quæ docent, quando exclusive sit ille numerus accipiendus, quando non. Expresse apud Mosem duo, non plures vinculo matrimoniali junguntur. Ipse Athanasius cogitur, fateri p. 169. nonnulla loca in quibus particula exclusiva *tantum* non adjecta, exclusive tamen intelligenda, ut 1 Joh. v. 7. *tres sunt, qui testantur in cælo.* Exod. 7x. 9. *Sex dies operaberis.* Quia res, contextus & reliqua Scriptura docent, exclusive sumendum numerale, eo quod tres semper tantum denominentur, & septem tantum dies sint, quorum unus si Deo consecratur, liquet, remanere sex, quibus opera facienda. Sed objicit, matrimonii exempla non tantum monogamica, verum etiam polygamica occurrere? Respondemus, etiam hic rem, contextum, & reliquam Scripturam ostendere, vocem *duo* esse exclusive sumendam, quia duo in principio tantum conjuncti & conjungendi leguntur Gen. 11. 23. 24. Matth. XIX. 1 Cor. VII. nusquam plures. Huic veritati non præjudicant exempla hominum polygamorum, sicut fidei articulo de Trinitate, & præcepto de

septimo die sanctificando, & sex diebus labori destinandis, non præjudicat, quod non desint, qui Trinitatem, & Deitatem Filii, contra quos scripsit Evangelista Johannes, in dubium vocant, & septimo die laborarunt. Exempla in sacris occurrunt eorum, qui omnia Dei præcepta in Decalogo promulgata transgressi sunt, hoc non præjudicat divino mandato & postulato.

IV. Accedit, quod observatum sit, numeralia in N. T. esse exclusiva, quando articulus additur demonstrativus, velut *οἱ δύο* hi duo erunt in carnem unam. Quamvis enim in Genesi non reperiantur istæ voces, nemo tamen tam profanus erit, inter Christianos qui nomen profitetur, ut hanc exceptionem adversus Christum ipsum torqueat, qui optimus legum Interpres istas addit Matth. XIX. 5. ab antiquissimis etiam Interpretibus in Pentateuchum, LXX. Samaritano, Syro & Arabe expressas, quas & sensum exigere, cæcus est, qui non videt. Conf. Gen. 11. 25. Matth. XXI. 31. XXV. 17. XXVII. 21. Gal. IV. 24. Eph. 11. 15. Phil. 1. 23. Apoc. XI. 4. Quod porro excipit Athanasius, *duo* hic exclusive posse intelligi tantum de nuptiis Adamiticis, & præsentibus personis, quarum plures non erant, id ipse refutat p. 165. 166. quando agnoscit, quædam in hac narratione primarum nuptiarum Adamiticarum esse generalia, non tam de Adamo (ut relinquere patrem & matrem) quam de omnibus subsequentibus conjugandis loquentia. Quis ergo toleret Interpretem, qui hæc velit lancinare verba, ac, *duo erunt in carnem unam*, restringere ad primos parentes? Quæ enim est, si hæc non est *ἰδία ἐπίλυσις*, libitu hominum allata, qui Scripturas *σπελῆσσι* 2 Petr. 1. 20. 21. 11. 1. 111. 16. Præterquam enim quod Deus hanc legem & ordinationem subjungit, solum factum Dei, viro tantum adjungentis unam uxorem, habuisset vim legis, secundum quam Adami posteritas conjugalem societatem inire tenebatur.

V. Objicit Thesi XXVIII Theophilus; Si omnis scortator, sive cœlebs, sive maritatus, sit, vel fiat cum scorto una caro 1 Cor. VI. 16. multo magis polygamus cum secunda uxore; & proinde polygamia non pugnat cum primæva institutione, *Erunt in carne una?* Respondeo per concessionem, adulterum & scortatorem cum scorto fieri unam carnem, definere tamen cum conjugate legitima manere unam carnem, si alteri se jungat. Scortator

tator enim quantum in se est, & quantum ad sequelam actus sui, facit id, quod facit sponsus, in Domino contrahens matrimonium; dat enim scorto potestatem in suum corpus. Adeoque hac ratione negamus & pernegamus, tres, nempe maritum, uxorem & scortum esse unum, & jungi in unam carnem, siquidem eo ipso momento, quo scortator vel. mœchus cum scorto fit una caro, cessat unitas carnis, quæ ipsum inter & conjugem fuerat, a qua per adulterium se separat, atque ita vinculum illud solvit contra Matth. v. 23. XIX. 9.

VI. Inde tamen perperam concludit Arcuarius p. 79. vinculum matrimoniale cum priore conjugē post ductam secundam manere, & in polygamia successiva non nisi duos carnem esse unam. Si enim, inquit, unitas carnis prioris matrimonii per concubitum cum scorto disseccetur quasi & dissolvatur, multo magis per secundas nuptias solvetur, & per consequens in polygamia unitas manebit carnalis, & non nisi duo una erunt caro. Si vero dicas, in polygamia continuum esse adulterium, tunc prima conjux, quæ innocens, & juste marito suo jungitur, continui adulterii infimularetur. Hac ratione belle se elapsum esse putat, sed mera sunt effugia.

VII. *Viro subjecta est mulier*, inquit Apostolus Rom. VII. 2. cuius originem indicat I Tim. II. 12. I Cor. XI. 7. & seq. ex Gen. III. 16. *Et viventi viro devincta est per legem Gen. I. 28. II. 24. potissimum ob specialem contractum, quando tœderis matrimonialis leges suas fecit per consensum, ex pacto voluntario ὑπαιδὸς esse incipit. Proinde vivente viro mœcha vocabitur, si fiat alterius viri; sin autem mortuus fuerit vir ejus, libera est a lege illa, ut non sit mœcha, si fiat alterius viri com. 3. citati loci Rom. VII. quia pactum inter vivos valens, cum vivo initum cessat, neque ipsa obligatur amplius, quia a parte mortua, quæ nihil scit Eccl. IX. 5. nulla officia præstari possunt. Adulterium tamen rumpit contractum inter vivos; quæ una caro fit cum adultero, desinit esse una caro cum marito, tunc licet parti innocenti aliud inire matrimonium, atque ita non manet cum priore conjugē una caro. Pariter si quis deseruerit uxorem per aliquot annos, & reversus repetat alii nuptam, non manet illa simul hujus & illius uxor, sed pro ratione rei, & via juris alterutri adjudicatur.*

VIII. Falsissimum ergo est, quod dicit Arcuarius, vinculum

K 3

matri-

matrimoniale cum priore conjuge vivente post ductam secundam manere, & in Polygamia duos tantum esse unam carnem. Id enim negat Apostolus 1 Cor. vi. 16. Imo hæc ipsa ratio pro nobis militat, qua Polygamiam illicitam judicamus, quod vinculum prius solvatur per posterius. An ergo manent una caro? Figmentum illud de matrimoniis diversis unius mariti cum pluribus uxoribus mox examinabimus. Si quis duas aut plures uxores simul duxerit, prima innocens erit, quemadmodum legitima uxor scortatoris, nisi in secundas nuptias consenserit, quod non erat in ipsius potestate.

IX. Negat Arcuarius, *unam carnem* Gen. 11. 24. significare carnalem conjunctionem & commixtionem, quemadmodum 1 Cor. vi. 16. inde enim sequi, inter scortatorem & scortum dari matrimonium, & per consequens meram carnalem commixtionem fore contractum matrimonialem, quod tamen conciliari nequeat cum Scriptura, scortationem damnante. Verum enim vero quæ de conjugibus dicuntur Gen. 11. 24. Paulus ad scortatores transfert, quia actus externi seu conjugum, seu scortantium, secundum speciem naturæ non sunt diversi, licet in genere moris, ut loquuntur, specie, imo genere differant. Illorum enim actus sunt castitatis & virtutis, horum sunt pravæ libidinis & vitii. *Ex libidinis commercio*, ait Theophylactus, *unum sunt fornicator & meretrix*. Neque inde sequitur solam conjunctionem carnalem matrimonialem contractum absolvere, quia non excluditur unitas affectus, & spiritus carnalis, quod e consensu in ejusmodi commixtionem, qui non minus vitiosus est, quam ipsa commixtio, abunde liquet. Ideo autem inter scortatorem, tam cœlibem, quam maritatum, & scortum, non est matrimonium, quod præter institutionem & legem divinam ille sectetur promiscuos concubitus, & arcte uni non adhæreat, hic vero aliam superinducat, & ita prius vinculum solvat.

X. Neque admittenda est Arcuarii expositio p. 77. 78. qua verba *in unam carnem esse*, vult significare matrimoniali vinculo ita conjunctos esse, ut cum ante contractum matrimonium fuerunt, & post eum manent duo homines, ratione liberorum tamen ab ipsis oriundorum, tantum pro una carne, uno fonte, una radice & origine, qua omnes inde nati liberi uniantur, sint reputandi. Neque ista mens est Doctissimi Viri, Ludovici de Dieu, quem citat,
qui

qui ita habet in *Animadv. ad Matth. XIX. 5.* Arbitror potius perpetuum matrimonii statum his verbis describi, qui is est, ut maritus & uxor, qui non modo ante contractum matrimonium fuerunt, sed & in ipso matrimonio sunt, & manent duo homines, dua persona, ratione tamen matrimonii non sint nisi una caro, unum principium generationis, atque hac de causa teneri maritum, ut uxori adhareat, quia vi matrimonii in unam carnem coaluerunt. Ego non capio, quomodo illud figmentum Clarissimi viri testimonio confirmari possit, ut duo dicantur una caro, non commixtionis, sed tantum liberorum respectu, quam interpretationem etiam ipsemet paulo ante rejecerat, quia si nullos procreent liberos, nunquam erunt una caro, & toties erunt una caro, quoties prolem acquirunt.

XI. Et quamvis vox Hebræa *איש* hominem sæpe significet, uti vox *σάρξ* eodem sensu usurpatur a Græcis per Rabbinismum *Matth. XXIV. 22. Luc. XII. 16. Act. II. 17. Rom. III. 21. I Cor. I. 29.* emphatice tamen adhibita est vox carnis, nec dicere voluit Spiritus S. Unus Homo, sed una caro, vel erunt in unam carnem. Copulam enim carnalem respexit, atque id, quod ad naturam matrimonii requiritur, expressit. Defectus enim veri conjugii est, cum duo non possunt conjungi in unam carnem, ob membrorum, quæ Deus eam in rem ordinavit, defectum & vitium, unde & Eunuchos ineptos ad conjugium, Salvator docuit *Matth. XIX. 12.* Ideo autem ista fingit Arcuarius, ut polygamiam verbis istis institutionis non improbari ostendat. Sicut liberi in polygamia successiva ex diversis nuptiis oriuntur, ita etiam in simultanea, manere putat unitatem carnalem, nec primum matrimonium per secundum dissolvi.

XII. Atque hæc postrema est adversariorum exceptio nihilo verior, cujus & ante meminimus; quod, si hæc verba institutionis, inquit Athanasius p. 169. *duo erunt in carnem unam*, omnibus Adamigenis applicentur, etiam, si accurate velimus loqui, duo tantum sint in carne una, (in Polygamia puta) quia duo contractum peculiarem contrahant, nec plures admittant, in illo contractu sponsalicio & matrimoniali; posse tamen maritum cum aliis etiam contrahere, contendunt, sed contractu distincto a priori, utut videatur unus idemque contractus, ob unitatem mariti contrahentis, re tamen rite pensitata, tot esse contractus, quot uxores, cum quibus convenit; quod verbis Struvii confirmat.

mat. p. 15. Arcuarius in eo se magnum præsidium invenisse putat, ideoque prolixissime istud figmentum proponit p. 75--80. Non esse quæstionem, an in uno conjugio maritus plures uxores habere possit, sed an maritus præter unum conjugium cum una uxore, etiam secundum cum secunda, & sic porro, inire queat? quod probat fieri posse exemplo Patriarchum. Ut ita inter illos, etsi diversis vir jungatur, detur relatio, quemadmodum pater ad filios plures *q̄siv* & relationem habet.

XIII. Quis autem non videt, hæc omnia ficta esse præter Institutionem & reliquam Scripturam. Cur enim Deus tot matrimonia non instituit, & de variis contractibus matrimonialibus leges dedit Lev. xviii. xx. Quæ ratio ergo, quod Matth. xix. i Cor. vii. aliisque in locis, ubi ex professo agitur de matrimonio, nulla facta mentio tot contractuum? Cur nusquam de iis cautum est? Ne quidem exempla Polygamica V. T. id inferunt. Etenim ubi locorum legimus de duobus vel pluribus matrimoniis contractis, nisi de Jacobo? qui tamen, fatentibus adversariis, intentionem non habuit ducendi duas. Per accidens id factum est, & præter legem, ut postea videbimus. Neque hic nuda est relatio, qualis inter patrem & filium, sed qua duo in carnem unam sunt, quæ *q̄siv* si ad plures spargatur, non amplius vir cum una conjugæ, sed cum pluribus caro una erit; cum tamen vir non amplius potestatem habeat in corpus suum, ob istam relationem ad propriam conjugem, quia cum ea jam est una caro i Cor. vii. 4. & foedus cum ea inicit, quod violandum non est, neque vir perfidus debet fieri contra mulierem, & vice versa. Chrysost. *Homil. xix. in epist. ad Corinth. cum ad tentandum meretrix accesserit, dicas, non esse tuum corpus, sed uxoris. Itidem & uxor dicat adversus eos, qui volunt expugnare pudicitiam. Corpus meum non est meum, sed viri.*

XIV. Et extra dubium est, aliam esse matrimonii, aliam aliorum contractuum rationem, qui ut humana auctoritate iniri, ita eadem quoque solvi possunt. Docent tamen ipsi Jurisconsulti, legum humanarum interpretes, contractus, quibus translatum Dominium, non posse plures iniri, quales sunt emptiones, permutationes, operarum locationes, ita ut servus, qui se mihi addixit, alteri operam addicere nequeat, & quæ sunt id genus plura bene multa. Maymon. *de Connubiis. Cap. III. varias formulas sponsi & sponsæ exhibet, quibus contrahant.*

En

En tu mea uxor, En tu sponsa mea, En tu empti mihi, En tu mea, En tu ducta mihi, En tu desponsata mihi, En tu in potestate mea, En tu conjuncta mihi, En tu propria mihi, En tu addicta mihi, En tu adiutorium meum, En tu coram me, en tu costa mea, En tu seclusa mea, En tu loco meo, En tu vineta mea, En tu captiva mea. Deinde subjungit aliam formulam: *Esto dicata dimidio mihi, rite, inquit, dicatur; quippe quod idem est, ac si dicat, esto uxor mea, tu & item altera; ita sit enim ut dimidia tantum viri pars ad ipsam pertineat.* Id tamen nos negamus, in potestate viri vel foeminae esse ejusmodi contractum ineundi, æque ac idem Majem. *negat, dicatam esse sponsam, si sponsus dicat, esto pars tui dimidia dicata mihi; id enim fieri omnino non posse, viris ut duobus simul eadem mulier uxoris sit.* Quia eadem potestas uxori in corpus viri, quæ viro in corpus uxoris, sicut postea videbimus ex 1 Cor. VII. 4.

XV. Tandem ultimum argumentum polygamiae defensores a dominio mariti desumunt, in historia creationis, sive primi status hominum fundato Thef. xxxi. Sicut Dominus plures servos habet, servus autem non plures potest habere dominos; ita maritus potest plures habere uxores, non vero uxor plures maritos. Quis autem sanæ mentis ferat istam comparationem inter societatem herilem & maritalem, & consequentiam a servis ad uxores? Prærogativam aliquam & gloriam viri supra mulierem, in ipso statu instituto supra concessimus Cap. VI. §. VIII. propter ordinem creationis, quia Adam immediate factus ad imaginem Dei, prima copia, mulier vero ad ejus exemplar, ad imaginem imaginis, ex viro & propter virum formata 1 Cor. XI. 7. 8. 9. quæ quidem rationes imperium mulieri negant, subjectionem autem non magnam inferunt, quia æque intellectu, voluntate & rectitudine prædita, ac Adam Gen. I. 26. Ecclef. VII. 29. & viri focia ac consiliaria Gen. II. 18. æqualis ipsi præter ordinis prærogativam. Sed quia prima fuit in transgressione, status ejus deterior est redditus Gen. III. 16. a quo tempore viro subjecta, quæ subjectio lege gentium ubique recepta, & ab Apostolis passim inculcata Eph. V. 22. 1 Pet. III. 1. & seq.

XVI. Falsissimum tamen est, eo usque dominium mariti esse extendendum, ut etiam inscia & invita uxore, corpus suum pluribus communicare queat, quod ne quidem exempla Abrahami, aliorumque sanctorum probant. Neque servo jus illud competit in herum, cui sub certa conditione, ad certum tempus se vendidit

L

Exod.

Exod. XXI. 2. & seq. Lev. XXV. 39. & seq. quod uxor habet in maritum I Cor. VII. 3. 4. Quo pertinent diversæ leges Exod. XXI. 20. & seqq. libero homine, adulto aut infante, a bove cornūpeta occiso, herus, cui constitit de illius violentiæ assuetudine, ad mortem condemnatus est, com. 29. 31. seruo autem necato, etiam pretiosissimo, aut ancilla, triginta argenteis siclis domino ejus satisfieri poterat. Et apud Romanos *uxor pudica, maritoque in omnibus obsequens, æque ac ille domus erat domina*, teste Dion. Halicar. *Antiquit. Rom. lib. II.* quod per clavem sponsæ traditam, significatum volunt. Consiliarios princeps, quo simili uti amat Arcuarus p. 92. 93. adhibere potest plurimos, exemplo regum & principum, quorum meminerunt sacræ literæ I. Reg. XII. 6. 8. 2 Reg. VI. 8. I Par. XIII. 1. 2 Paral. XX. 21. XXX. 2. XXXII. 3. commendante Salomone Prov. XI. 14. XIII. 10. XIX. 20. qui quid e commodo sit non culinæ privatæ, sed totius Reipublicæ vel provinciæ, in cunctis expeditionibus, in rebus arduis & dubiis, necessaria consilia suggerunt. Sed alia ratio est curæ domesticæ, cui virum cum una focia & consiliaria sufficere, summus Moderator judicavit.

SECTIO SECUNDA.

Conjugium inter Duos non repugnare, sed conforme & congruum esse furi naturali, demonstratur.

CAPUT I.

Quid & quod sit jus nature.

Sufficeret quidem demonstrasse e Creatione & institutione primæva conjugii, monogamiam legi divinæ, & naturæ a Deo constitutæ conformem placere Deo, nisi polygamie patroni uxorum pluralitatem cum jure naturæ maxime concordare gloriarentur; ideoque operæ pretium erit, priusquam ad alia progrediar, ejus essentiam & existentiam demonstrare, quia non desunt, qui illud in dubium plane vocant, vel finistre interpretantur, in quibus tamen prolixè refellendis non laborabo; atque deinde ex illo jure argumenta pro causa nostra depromere, quæque attulerunt adversarii, paullo curatius examinare: Cujus methodi in prolegomenis rationem dedi.

II. Ra-

II. Ratio formalis *juris naturalis* consistit in eo, quod homines inde a creatione mundi, recta ratio docet, ex ideis & notionibus sive cogitationibus, a causa & ratione Superiore impressis, quas de Deo, supremo & perfectissimo Ente, de semetipsis, reliquisque mentibus & hominibus, nec non de corporibus eorumque motu, in se reperiunt, ad quas si attendant, naturam justii & injusti deprehendunt; Etenim imago Dei, ad quam homo conditus est, requirebat, ut Deus legem in officio erga se & homines consistentem, pectoris tabellis sive cordibus inscriberet Jer. XVII. I. xxxi. 33. Rom. II. 15. 2 Cor. III. 3. aut proprie loquendo, falem facultatem inderet, qua Deum summum & pulcherrimum bonum amarent, atque omnia ad suæ existentiae rationem referrent, omnibusque virtutibus inter se connexis, quibus societas humana conservetur, operam navarent, in quo amor proximi consistit. Scriptura enim cordis, non literis & syllabis calamo exaratis, vel stylo insculptis constat, cujus anima rationalis & spiritualis capax non est, sed metaphorice significat, non minus præsentem esse summam eorum, quæ lege continentur, quam præsens est in charta aliave materia, quod ei inscriptum. Summa igitur juris naturalis est, obligari ad agendum, quod rectæ rationi consentaneum, & absolute ac simpliciter optimum est.

III. Creaturæ, quæ luminis naturalis beneficio a nobis cognoscuntur, satis ostendunt, se non esse a seipsis, cum non possideant summas perfectiones, cum primis nobiliores creaturæ, quales sunt homines, qui in se notitiam summarum perfectionum deprehendunt, quas se tamen non habere intelligunt, comparando eas cum idea & conceptu Entis perfectissimi. Multos igitur defectus in se deprehendentes, causam aliquam agnoscunt, a qua omnia producantur ac conserventur, & cui ipsi existentiam debeant, quam si haberent a se ipsis, quidni reliquas perfectiones, quarum illa fundamentum est, a se ipsis haberent? Ita ex notitia Dei & mentis nostræ intelligere promptum est, dari Superiorem & creatorem omnium, qui sit omnium Dominus & legislator, a quo dependeant omnes homines, & cui obedientiam præstare teneantur, haud secus ac liberi parentibus, subditi potestatibus supererminentibus.

IV. Et qui Deum ex necessitate primi motoris investigari non

agnoscunt, & nullum præter Naturam Numen admittunt, antiquissimum ac firmissimum Religionis fundamentum subruere moluntur. Motus enim omnium corporum, absque interventu voluntatis humanæ, a voluntate causæ primæ, & impressa vi primi motoris fiunt, atque ab eadem permanente, secundum leges motus perpetuo determinantur. Quemadmodum etiam motus sensuum nostrorum organis impressi, quibus mens ad res apprehendendas ac judicandas impellitur, ab eadem prima causa ortum habent. Omnium rerum dispositio disponentem, ordo ordinantem, motus moventem arguit, ut ita Deus, qui oculis corporeis non videtur, nec videri potest, mente cognoscatur per creaturas, quod factum esse, dicit Apostolus jam ab origine mundi Rom. I. 20. Et quid aliud motus ille perpetuus, ista dispositio & ordinatio totius universi nobis indicant, quam legem naturæ immutabilem, cujus notitia hac ratione mentibus humanis ingeneratur?

V. Quibus accedunt honesti & turpis notiones, a Superiore causa hominum mentibus impressæ, quæ Apostolo Gentium dicuntur cogitationes accusantes & excusantes Rom. II. 15. quas non haberent, nisi bonum vel malum cognoscerent, a se perpetratum. Cur enim conscientia, quæ sociæ est scientia, quia socium Deum habet, quem semper priorem cognitorem supponit, reum perageret aut contra securum redderet, nisi præsentem & secretissima cordis inspicientem Deum agnosceret, sententiam pronunciatum eis, quæ vidit, accurate convenientem? unde Deus & conscientia junguntur Rom. IX. I. VIII. 16. I Joh. III. 20. Accusantis conscientia ratiocinatio erat in fratribus Josephi Gen. XLII. 21. & seq. deque futuro actu in Josepho Gen. XXXIX. 9. in Davide Psal. LI. 5. Et Carilinæ, Orestis, Gorgiæ, Alcibiadis, Tiberii, Caligulæ, Neronis, aliorumque bene multorum exempla, a profanis scriptoribus diligenter annotata, abunde testantur, conscientia terribilia & tormenta perpetuo turpia facta comitari. De quo Cicero *pro L. Pisone*: Suum quemque facinus, suum scelus, sua audacia, de sanitate & mente deturbat. Quamvis hic non exacte faciat suum officium, sed in ultimo judicio.

VI. Sicut e diametro innocens etiam inter ipsa tormenta fruatur securitate, & de poena metuens de innocentia gloriatur, quia sedet in arce animi iudex ille domesticus, qui lege quadam domestica, mali bonique secretum iudicium exercet. Qualis excusans

cusans erat conscientia in Iosepho Gen. xl. 15. in Davide Psal. xvii. 3. seq. in Paulo Act. xxiii. 1. de qua pariter Cicero l. ii. *Tusc. quest. Nullum theatrum virtuti conscientia majus.* Nisi honesti & turpis, iusti & iniusti sensus esset naturalis, non adornare studerent mortales, si quid turpe commiserint, & occultare, ut nihil commississe credantur. Est hæc non scripta, sed naturalis lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus, ait Cicero *Orat. pro T. A. Milone.*

VII. Qui natura, sine revelatione, quæ legis sunt, faciunt, quod Apostolus de gentibus affirmat Rom. ii. 14. illi ex notitia insita cognoscunt bonum & malum, unde dependent principia illa practica, Deum esse, eumque amandum atque colendum; proximum diligendum, honeste vivendum, neminem lædendum, suum cuique tribuendum, bonum sectandum, malum fugiendum, & id genus alia plurima axiomata, quæ jus naturæ constituunt. Loci istius vim impie enervat F. Cuperus in *Arcanis Atheismi Revelatis* p. 245. fingens, contra omnium exemplarium fidem, omniumque Interpretum sententiam, vocem *Φύσει natura*, jungendam esse cum *ἔχοντα habentes*. Incongruus enim inde & impossibilis sensus proficiscitur, cum in sequentibus verbis, *ἄρτοι νόμον μὴ ἔχοντες isti legem non habentes*, subintelligendum iterum esset *natura*, ob illa scilicet, quæ continuo sequuntur, *ἑαυτοῖς εἶσι νόμος sibi ipsis sunt lex*. Si enim nec naturæ legem habent, & Apostolus supponit, non habere legem externam & scriptam, quomodo sibi ipsis possunt esse lex? unde igitur habuerunt conscientiam accusantem & defendentem? Si enim sine lege, nihil eis illicitum fuit? Jus ergo naturæ a priori demonstrari atque investigari potest, quatenus ex communissima juris notione iustum vel legem supponit, lex vero rationem, ut ita sit iustum & decretum rationis, a superiore aliqua causa inditæ, quæ rebus naturalibus prospexerit. Deinde idem ius a posteriori, ex effectis quibusdam manifestis, nempe ex approbatis variorum Auctorum sententiis, e gentibus & seculis variis, atque ex legibus ac judiciis gentium, saltem moratorum, probatur.

VIII. Ideoque negat Apostolus, gentes simpliciter legis esse

ignorantes, quia natura faciunt, quæ legis sunt, & ob legis observantiam vel neglectum de seipsis testimonium perhibent. Non quidem omnia lege imperata faciunt, nec semper, nec ex eo principio, eoque, quo debebant, sine; præstant tamen aliqua, quæ ad amorem Dei & proximi referenda, mero naturali instinctu, nullo externo monitore ad ea excitata, ideoque sine externa & scripta Dei lege, solam naturam ducem sequentes. *Id opus legis est Rom. 11. 14. quod idem Apostolus Veritatem vocat cap. 1. 18. quoad pietatem vel amorem erga Deum, & iustitiam, sive amorem erga proximum, quam gentes injuste detinent.*

IX. Falsissimum ergo est Hobbessii commentum, has naturæ leges, & immutabiles propositiones, nova legislatoris auctoritate, ut vigorem legum obtineant, aut revelatione cuique particulariter data, hominumque consensu indigere. Ligant enim nos leges, licet legislatorem oculis externis non videamus, quod necessarium esse, impie supponitur, cum nē quidem Spiritus finiti & creatis sensibus comprehendantur, imo nec multo subtilia corpora. Sufficit nobis, manifestum fieri, illum jus habere imperandi omnibus, easque leges tulisse. Atqui hoc ipsum, quod homo conscientiam habet accusantem & excusantem, & quod a Dei rerumque creaturarum natura mentibus nostris imprimitur, legis Auctorem satis indicat, primam videlicet omnium causarum. Frivolum autem est, quod Dei leges statuat non vigere, nisi homines in legislatoris imperium consenserint. Quasi vero summus rerum arbiter, qui a nemine dependet, & absolutus est creator ac Dominus, a creatura & ab homuncione consensum petat, an velit legi suæ obedire nec ne. Qui dicit, *Matt. xx. 15. annon licet mihi, quod volo facere in mens?* Recte Dion Chrysost, *Orat. LXXV. Mundus semper eandem legem immotam custodit;* & ad calcem *Orat. Si quis legem auferat ex hominum vita, perinde opinor, ac si mens erepta fuerit.*

X. Neque existimandum cum Judæis & Seldeno, illam auctoritatem Leges naturæ consecutas esse pronuntiatione & traditione, cum celeberrima præcepta Noachidarum, quibus jus gentium universum comprehendi volunt, quorumque observationem omnibus hominibus incumbere statuunt, Adamo & Noacho pronuntiata. Quorum Adamo sex præscripta fuisse credunt, quæ complementum suum accepisse tempore Noachi arbitrantur, cui septi-

septimum fuerit superadditum. De quorum ordine videre est in Gemara Babyl. tit. Sanhed. cap. vii. fol. 56. 7omacap. vi. fol. 67. Majem. hilch. Melachim. cap. ix. Primum est זרה עבודה על de cultu extraneo, sive idololatria interdictum. II. השם על de blasphemia, sive maledictione (alii benedictione) nominis Divini. III. שפיכות דמים על de effusione sanguinis, sive homicidio. IV. גלות עיריות על de revelatione turpitudinum, sive adulterio. V. הגזל על de furto. VI. הדינים על mandatum de judiciis, seu obedientia civili. VII. אבר כן חזי על de membro animalis viventis non comedendo; sive interdictum de esu sanguinis, Noacho superadditum. Quisquis ullum horum transgrediebatur, poenae capitalis reum fuisse & gladio puniendum, tradunt. תנאין ח. IIII

XI. Quis autem animum inducere potest, ut credat, quistam Doctorum traditionem ex una gente, sufficientem esse legis naturae promulgationem, toti generi humano factam, cui illa innotuisse omnia non videntur. Neque fit verisimile, Scriptores sacros ista praecipua, si ante Moysis tempora ista forma & numero extitissent, silentio praeteriisse, & Josephum eorum mentionem non fecisse. Et Apostolus Rom. II. 12. cum gentiles objicere potuissent, solos Judaeos juste posse damnari, quia soli legem audiverint, in monte Sinai promulgatam, respondere potuisset, ipsis tradita fuisse praecipua Noachidarum. Ille autem ostendit, quod quamvis eam legem scriptam non audiverint, absque illa tamen peccaverint, cum aliam habuerint cordibus inscriptam, quam violarint. Ne dicam, quod leges istas, Adamo latas, tempore Noachi auctas esse velint, cum tamen incrementum non capiat lex naturae, quod immutabile idem manet in aeternum. Alias rationes fisco pede praetereo. Sunt ergo juris naturalis dictamina, & decalogo repetita, quae in Israelitarum republica videntur olim usurpata, juxta quae bello capti, tum profelyti & in eorum portis habitantes, vitam instituerent.

XII. Objiciunt, qui legem naturae impugnant, ex moribus paucorum hominum male concludi, judicium omnium, & easdem leges ab omnibus observari. Graecis, Romanis, humanioribus quibusque & mansuetis gentibus, barbaros, anthropophagos, aliave scelera committentes opponunt, & pessima nequissimorum hominum exempla. Sed non valet consequentia, regulae morum ubique non observantur, ergo plane non existunt.

stunt. Distinguendum inter principia omnibus hominibus innata, atque inter usum & exercitium. Multa vera sunt, quæ latent, sicut ignis in silice, qui non apparet, nisi excutiat. Non est ratio & cogitatio infantum nulla, quia per opera & actiones se non exerit. Sol non perit, licet a nobis ob interposita corpora quandoque non videatur. Non perit vera Ecclesia tempore Eliæ, & sub N. T. in papatu, quia latuit. Non ideo lex scripta aut insculpta non est, quod a multis non legatur, nec animadvertatur; sicut præsentis sensu visus, actuali sensatione visus sæpe non utimur.

XIII. Homines enim sæpe aliis rebus intenti, quæ a sensibus ingeruntur, tardius in se descendunt, & rarius mentem suam, aut innata menti principia & axiomata, totumque universum perscrutantur. *Bis bina sunt quatuor*, principium est & axioma, quod quisque intelligit & facile admittit. Si vero numerum multiplices & pergas, licet ejusdem sit certitudinis, atque a Mathematico vel arithmetico pro principio habeatur, alii tamen non ita exercitato vel attendenti, difficultatem pariet, ut eum non nisi post aliquam meditationem capere queat. Neque omnes leges naturæ, actu & de facto ab omnibus gentibus agnosci contendimus, quia dantur hominum monstra, sublato honesti & turpis discrimine, humanitatem exuentia. Sufficit, omnes habere potentiam & facultatem, ejusmodi notiones ac leges e natura eruendi, si attendant, quam si non haberent, nec aliis id præstare foret integrum, quod tamen in plurimis nobis notis experimur, & a reliquis idem agnosci præsumimus. Evolvantur Ciceronis officiorum libri, aliaque ejus, & Senecæ Philosophi ac tragici scripta. Non parva vis naturæ est rationisque, ait Cicero *i. de Officiis*, quod unum hoc animal sentit, qui sit ordo, quid sit, quod deceat, in factis dictisque, *qui modus*. Nul- lum officium est, secunda Decalogi tabula mandatum, quod non plurimis optimisque præceptis ethnicorum confirmari possit.

XIV. Paulus Rom. v. 13. usque ad legem peccatum in mundo fuisse asserens, & peccatum imputatum non esse, non existente lege, non respicit legem naturæ, quam & ipsis gentibus tribuit cap. 1. & 11. sed legem Mosaicam, populo Israelitico publicatam; & imputationem reatus respectu hominum, eum non adeo considerantium, neglectam esse significat. Legem enim ante Mosem præscriptam fuisse, & imputationem factam, ex historia diluvii,

exci-

excidio Sodomæ & Gomorræ, aliisque judiciis divinis abunde liquet. Deinde non imputabatur peccatum etiam ab ipso Deo, quatenus in piis dissimulatumz Sam. xii. 12. neque solutio tunc exacta est, nec eo nomine jugum impositum. Conf. Rom. iv. 15. vii. 7. ubi Apostolus legem scriptam & concupiscentiam peccatum fuisse negat. Lex naturæ voluntatis & appetitus rectitudinem postulabat, quemadmodum gentes modestiores, non modo actum vitiosum, verum etiam cupiditatem actionis vitiosæ damnarunt. Cicero *de finibus*, in libidine esse, peccatum certum est, etiam sine effectu. Ovid. *Amor.* l. iii. El. iv. Nec mentem servare potes, licet omnia claudas, omnibus exclusis, intus adulter erit. Aulus Gellius *lib. xi. Cap. ult.* furtum sine ulla quoque attrectatione fieri potest, sola mente atque animo annitente. Negat tamen Apostolus, concupiscentiam se nosse peccatum, ante legem, ante x. præceptum, *non concupisces*. Quatenus nempe rationis lux obscurata, & facultas cognoscendi naturalis corrupta est & depravata, ut homo mentem ad ejus cognitionem non reflectat, neque aliter quam a fragminibus speculi, radii lucis superstites excipiantur, qui originem suam produnt, & similem quidem, sed exiguum splendorem habent. Ignorabat etiam Apostolus, cum Judæus esset, & Judæorum traditionibus deditus, concupiscentiam multarum rerum indifferentium, sed quarum usu Deus positiva lege Judæis interdixerat, peccatum esse, quia a Pharisæis legem de externa tantum disciplina interpretari solitis aliter erat edoctus. Ignoravit legis ἀρχήν & perfectionem, donec mentem legis penitus introspexit.

XV. Denique ut objectioni a barbaris gentibus desumptæ, satisfiat, etiam notari velim, multa falsa narrari de longe diffitis nationibus, quod nimis verum est, ut probatione non indigeat. Herodotus Halicarn. l. iv. scribit, *ultra solitudinem habitant androphagi, id est, virorum carne vescentium separata natio, & supra hos deserta omnia, nec ulla gens, quantum nos scimus*. Deinde ait: *Androphagi agrestissimos omnium hominum mores habent, non judiciis, non legibus utentes, pecuariam exercentes &c.* Non mirum ejusmodi monstra in desertis & sylvis reperiri, si vera sit historia. Esse autem jus naturæ, barbarissimos arguit conscientia, arguit veri, & boni appetitus, arguunt quotidiana & perpetua beneficia, queis homo ad gratitudinem obstringitur; arguunt Dei supplicia iis, qui ante legem Mosaicam vixerunt, & qui peccant

M

per

per totum terrarum orbem, semper immissa. Quod autem contigit aliquando ob Dei judicia, quæ superiora facinora arcesserunt, vel per inadvertentiam inscripti dictaminis rationis, vel prævalentium affectuum importunam resistantiam, id defectui legum non est imputandum.

CAPUT II.

Principiis naturæ atque conclusionibus inde deductis convenit monogamia, repugnat polygamia.

Sequitur, ut investigemus, utrum positis istis naturæ principis conveniat conjugium inter duos, quod hodie negant nonnulli Theologi, præcipue cum Struvio Jurisconsulti, quorum rationes argumentis nostris subjiciendæ sunt ac ponderandæ, an dignæ sint supercilio isto, quo vel nostram hanc sententiam explodunt, vel tuentur suam. Polygamia non repugnat sane juri naturæ divino, juxta datam in præcedentibus distinctionem, quod scilicet fuit ex natura Dei, cum ab arbitrio summi legislatoris profectus sit modus humanæ societatis, homini præstitutus. A principio potuit creasse foeminam non unam. Nilominus tamen juri naturali humano repugnat, sive quod a natura rerum creatarum, aut ἀπ' ἀρχῆς a principio creationis dependet, totique naturæ humanæ dictum in Adamo. Jus enim naturæ disci ex operibus creationis & conservacionis, mecum fatetur noster D. Arcuaris p. 3. Utraque, nisi omnia nos fallant, pro nobis est, sed polygamis adversatur, tam creatio, quod multis probatum dedimus, quam conservatio, cujus rei testis est experientia. Quod autem adversatur creationi & conservacioni Naturæ nec non societati humanæ, adversatur saltem Dei voluntati, qua vult hoc modo genus humanum conservari. Sicut contra jus naturæ, in natura Dei fundatum, non tantum peccat, qui cultum Dei plane tollit contra primum Decalogi præceptum, sed etiam qui Deum alio modo colit, per imagines, quibus coli non vult. Et recte monet Grotius ad Matth. xix. 4. emphaticum esse, quod dicitur, ἀπ' ἀρχῆς a principio, id est, cum Deus ad ipsam æquibonique naturam, non ad depravata hominum ingenia, instituta sua accommodaret, cum locum non haberet illud, Mores leges perduxerunt in potestatem suam.

II. Primum

II. Primum naturæ principium est, Deum existere, Creatorem & Rectorem mundi, a nobis pura mente colendum; unde sequitur; ejus voluntatem & opera esse regulam & normam justitiæ, cui conformanda sunt omnia consilia, cogitata, dicta & facta creaturæ, quæ & summa est primæ tabulæ præceptorum Dei Matth. xxi. 36. 37. 38. Inter quinque leges gentiliùm tribus portis incisas prima hæc erat: *catenam Deorum trabe*, quod est ordinem rerum in mundo cognoscere, eundemque assiduo contemplari. Cum igitur duos homines creavit Deus, Adamum & Evam, cui non refragantur gentiles, a quibus sub variis nominibus cultus est Adam, atque in prima conjugii institutione, quid conveniens esset, & in perpetuum ab hominibus servari vellet, declaravit regulamque generalem proposuit, ad quam homini excipere non licet, testibus Interpretibus tam Hebræis quam Christianis; nemo non videt, eum, qui propria auctoritate, plures sibi sociat conjuges, Dei voluntati, & primo naturæ principio repugnare, quemadmodum supra demonstratum, hoc præceptum æque esse naturale, ac alterum illud generale, *Crescite & multiplicamini*. Ut ita ad legem primævam, & creationem conjugum sit recurrendum. Nulla enim potest dari ratio, cur a primis nostris parentibus, Adamo & Noacho, qui mundum propagare tenebantur, hanc legem naturæ, ut essent duo in carnem unam, Deus in creatione leges naturæ figens, magis observari voluerit, quam a posteritate. Accedit, quod e lumine naturæ certo credendum esse sciamus, quod a Deo fallere nescio de matrimonio revelatum est, quæ certitudo in veracitatem Dei resolvitur. Hoc enim pro summa regula memoriæ infigendum, docent philosophi, ea quæ nobis a Deo revelata sunt, ut omnium certissima, esse credenda; & quamvis forte lumen rationis, quam maxime clarum & evidens, aliud quid nobis suggerere videretur, soli tamen auctoritati divinæ potius, quam proprio nostro judicio fidem esse adhibendam, Cartes. *P. I. princ. §. LXXVI*. Duos homines creatos esse a Deo, etiam gentibus constat, verus modus solis iis, quos Deus dignatus est lumine revelationis.

III. *Secundo* repugnat Polygamia juri naturali, in Lege morali repetito, de adulterio præcepto vii. quæ non modo fœminam, sed & virum respexit, legitimo conjugio innexum Lex. xx. 10. sicut reliqua præcepta utrumque sexum obligant. Notum qui-

dem, legibus Romanis plus licuisse viris, quam mulieribus. Mulier adulteri rea erat, quodcumque se prostituisset; maritus solum, si cum conjugata, vel ingenua, non item si cum prostibulo, vel concubina, vel serva rem habuisset. At quidni aternus iudex ita se gesserat, qualem suum se gerere jubet Ulpianus. l. 13. §. 5. D. ad l. Jul. de adult. Iudex adulterii ante oculos habere debet, & inquirere, an maritus pudice vivens, mulieri quoque bonos mores, colendi auctor fuerit. Periniquum enim videtur esse, ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat. Ita Ulpianus injustitiam legum Romanarum ipse clam accusat & improbat.

IV. Et Nazianzenus εἰς τὸ ῥητὸν ἐὺαγγέλις, apud *Conr. Rittershusium*, lib. VIII. Sac. lect. c. 1. Video legem ipsorum (Romanorum scilicet) inaequalem & disparem: τί δέ ποτε γὰρ τὸ μὲν ὀἴλον ἐούλασε, τὸ δὲ ἄρ' ἐν ἐπέτρειψε. Cur enim foeminarum quidem sexum poena affecit, masculino autem impune permisit adulterium? & paullo post: Non amplector hanc legislationem, non laudo talem consuetudinem: Viri fuerunt hujus legis conditores; & hinc est, quod contra foeminas tantum lex lata. Rittershusius Sanctos Patres, Nazianzenum, Chrysostomum, Lactantium, Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, Innocentium, in hoc consentientes urget, hac usus epiricri: Quamvis jus civile Rom. inter marem & foeminam, in violatione lecti genitalis, faciat discrimen; tamen Jure divino illud non est receptum, sed uterque aequae grave scelus committit. Et merito; nam praecipuum de non mœchando pariter ad utrumque sexum pertinet. οὐ μὲν χεύσεις. De quo pluribus infra ad Num. v. 11. & seqq.

V. Si ergo ad utrumque pertinet, maritus mœchabitur, quoties fidem matrimonii alteri dederit, invita ea, cui potestatem in suum corpus, fide interposita, primum tradidit, sive quoties maritus, vivente uxore, alteram superinduxerit. Neque enim adulterium tantum committitur cum alteri nupta, verum etiam soluta, meretrice, vel superinducta, etsi discrimen admittimus, quod satis liquet ex interpretatione Christi Matth. v. Quæ etiam ratio est, quod virgo desponsata lapidata sit juxta cum viro soluto, quo cum fornicata est Deut. xxii. 23. 24. Juri autem naturæ conveniens esse, quicquid in Decalogo est morale, supra demonstravimus Sect. 1. Cap. 11. §. XII. in sequentibus, ubi ad Decalogum pervenerimus, pluribus demonstraturi. Huc referunt

ferunt gravissimi Theologi illud Levit. xvii. 1. 18. de duabus uxori-
bus non ducendis, tanquam præceptum morale, principii naturæ
fundatum, de quo suo loco.

VI. *Tertio* jure naturali nefas est, rem ab uno legitime pos-
sessam, quale corpus viri ab uxore, juxta Paulum, alii tradere pos-
sidentiam. Res aliena, invito Domino, bona conscientia alteri
donari non potest. Adversum hoc est principio naturæ, quod
tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quod præceptum, docente
Christo Matth. vii. 12. summa est tabulæ secundæ, & amicitiam
ac societatem inter homines servat, cui omnes gentilium
contractus, omnia fœdera superstructa sunt. Unde & hæ con-
clusiones dimanant: honeste vivendum; alterum non lædendum;
suum cuique tribuendum; fidem servandam; pacta non violanda.
Quas omnes evertit polygamia. Eadem est contracti matrimonii
firmitas, quæ est contractuum aliorum, qui rati esse debent, imo
major, qualis a principio constituta, in sanctione prima conjugii.

VII. Non permittit maritus, ut uxor plures arcessat adju-
tores, ideoque committere non debet, quod injuriam sit uxori,
quæ hic læditur. Præsupponimus enim; quod nemo nobis vi-
tio verterit, naturaliter omnes homines esse æqualis juris, &
nulli imperium in alterum competere, nisi id suo vel alterius
actu fuerit quæsitum. Pessima igitur est Theophili comparatio,
quam instituit Thef. xxiv. inter uxorem & servum, quod uxor
aliquod jus in corpus mariti habeat, respectu debiti conjugalis,
sicut servus respectu salarii servilis. Equidem uxoris voluntas
post lapsum subjecta est placito mariti Gen. iii. 16. sed soluta
fœmina nulli viro est subjecta, citra interveniens pactum & ul-
troneam subjectionem. Cum ergo marem, si quid juris in fœ-
minam, ut sibi æqualem, habere velit, consensum ejus quære-
re oporteat, inter utrumque de præbendo invicem corpore pa-
ctum vel fœdus intercedere necesse est, quo nomine matrimo-
nium venit Mal. i. 14. quod rumpitur, si ab alterutra parte, alia
persona admittatur.

VIII. Neque enim magis fœmina fidem dare tenetur viro, quod
ulli, præterquam ipsi, corpus suum possidendum tradere nolit,
quam vir mulieri, quod corpus suum nulli alii fœminæ, ipsa vi-
vente, concedere, sed continuo ei cohabitare, & in arctissimam
vitæ societatem coalescere velit. Quod Maymonides *de connubiis*

Cap. XIV. §. 2. docet: omnino uxori in manu est, ut virum prohibeat ad mercaturam abire longius, ut ne tempore stato se defraudet: porro vir ab uxore, nisi data copia, discedat nunquam. Id etiam hoc in casu, locum habere debet. Sed fundamento caret quod subjungit §. 3. Nec vero virum uxor impediatur, quo minus insuper ducat uxores numero centum, seu simul una, seu aliam post aliam, siquidem vir harum unicuique victum & cultum, sic, ut par est, suppeditare queat. Id enim cum Scriptura, & ipsa reliquorum Hebræorum traditione pugnare, postea docebimus. Ideoque injuria infertur uxori, si maritus corpus, in quod potestatem habet, a Deo concessam, & interveniente pacto acquisitam, alteri communicet, quia quod eius proprium erat, atque ad commodum ac felicitatem ejus conferre poterat, detrahitur. Quo referri potest locus Rom. 1. 29. ubi Apostolus scortationem peccatis annumerat, quæ ad injustitiam pertinent, quatenus ea impietati contradistinguitur, quarum hæc contra Deum, illa contra homines cæterasque creaturas admittitur, in quas injurii sunt. Polybius *Hist. lib. IV.* refert de Achæis, quod abnuerint quenquam in societatem admittere, insciis Philippo & reliquis sociis, jurisjurandi religione ducti. Cicero *III. de officiis*, legibus, inquit, populorum constitutum est, ut non liceret sui commodi causa nocere alteri. A Romanis & Sabinis fœdus columnis incisum, & clypeo fœderis leges inscriptas esse, testatur Dionysius Halic. *Antiquit. lib. II. III. IV.* Nullum autem fœdus datur magis naturale, fœdere conjugali.

IX. Excipiunt Athanasius cæterique adversarii, posse virum non in solidum, sed pro rata parte duntaxat, suum animum & corpus tradidisse uxori, posseque virum cum priore uxore contrahentem, hanc adjicere conditionem, ut aliam superinducere sibi liceat, & posse quoque priorem uxorem juri suo renunciare, ut altera possit ex ejus consensu superinduci. Respondeo, hanc esse conjugii naturam, ut includatur pactum de invidua vitæ consuetudine, sicut supra demonstratum, quod duo sint caro una. Et juri quidem suo aliquis renunciare potest, non autem alieno. Consentiente enim uxore, non consentit supremus Dominus, qui utrum corporis certis conditionibus definivit. Si quis contra fecerit, non jus erit, sed usurpatio. Valet hic illud Christi Math. XIX. 6. quod Deus conjunxit, homo ne separet. Peccarent hoc pacto ambo contra legem naturæ, toti generi humano in Adamo & prima crea-

creatione fixam Gen. 11. 24. & contra legem moralem in præcepto VII. Decalogi comprehensam.

X. *Quarto* pugnat cum dignitate mulieris; plures uni viro nuptas esse, a qua non adeo post lapsum dejecta fuit, quin mutuum jus in utriusque corpus integrum sit conservatum. Deteriorem conditionem sexus muliebris redditam post peccatum ex Gen. 111. 16. 1 Cor. XI. 1 Tim. 11. 1 Pet. 111. 6. probavimus, sed nuptiam legimus, hanc copiam viro factam, ut plures uxores contra institutionem sibi sociaret.

XI. *Quinto* contrariatur polygamia naturæ conjugii, quod est individua maris ac foeminæ conjunctio, nec corporum tantum, sed & animorum. Pluribus conjugii fides dari nequit, cum summus & tenerimus conjugum amor inter plures distribuendus non sit. Id docet Cartesius *de pass. an. Art. xc.* Ipsa ejus verba adscribi merentur. Præcipua complacentia est, quæ venit a perfectionibus, quas quis imaginatur in aliqua persona, quam credit posse fieri alterum seipsum: nam cum discrimine sexus, quem natura inter homines, ut inter animalia bruta posuit, quasdam etiam collocavit impressiones in cerebro, quæ faciunt, ut certo quodam tempore nos consideremus, ut imperfectos, & ceu non nisi mediam partem constituentes unius totius, cujus persona alterius sexus debeat esse altera pars; ita ut acquisitio hujus mediæ partis confuse repræsentetur a Natura, ut maximum omnium, quæ excogitari possunt, bonorum. Et quamvis conspiciantur plures aliæ personæ illius alterius sexus, non ideo tamen exoptantur plures eodem tempore; quia *Natura non facit imaginari, plus una mediâ parte opus esse*; sed ubi observatur aliquid in una, quod magis arridet, quam quæ deprehenduntur eodem tempore in aliis, id determinat animam, *ut sentiat pro illa sola omnem inclinationem*, quam Natura ipsi dat, ad quærendum bonum illud, quod ipsi repræsentat, ut maximum, quo frui possit. Hæc omnia a Philosopho contra Polygamiam diriguntur, cum in conceptu matrimonii cujuslibet, nobis tantum unam mediam partem nos jungere posse, certum sit; sicut Hebræi hoc respectu cœlibes dimidium corpus nuncupant. Concipimus quidem a nobis simul Deum, uxorem, virum honestum, flores, domos, aliaque innumera simul amari, sed non pari gradu. Deum oportet supra o-

mnia amare, uxorem sicut te ipsum, præ aliis hominibus & creaturis.

XII. Amor enim nil aliud est, quam animi affectus & iudicium, de rei cuiusdam valore, cui propter excellentiam nos jungi desideramus, & in cuius fruitione voluptatem & acquiescentiam habemus. Nullus hominum vivit sine amore, & primum eius objectum est ipsemet, quæ *Φιλαντία* simpliciter mala non est, cum Deus eam inseverit, sed quamdiu nihil corpore agnoscit excellentius, in eius voluptate totus acquiescit. Qui altius assurgunt, animam deprehendunt corpore excellentiorem, & hac objectum adhuc dignius, Deum ipsum, qui ex omnibus viribus, supra omnia amatur; neque tamen iste amor prohibet amorem proximi aut sui ipsius, sed omnia alia propter Deum amantur.

XIII. Ex eo autem, quod homo post Deum, studeat intime uniri illi objecto, quod considerat tanquam alteram sui partem, sine quo commode vitam instituere, & prolem nullatenus nancisci potest, oritur tam frequens Zelotypiæ affectus, tam in foemina quam mare, quia illa virum æque ut sui dimidium amplectitur, ac vir mulierem, dum uterque sibi aliquid deficere putat, quod conjugio tantum refici & compleri potest. Quæ Zelotypia sicut ex natura amoris conjugalis oritur, qui intensissimus, quo animi & corporis mutua communicatio continetur, nihil aliud est, quam cupiditas sibi conservandi possessionem boni, quod quis sibi soli retinendum iudicat, tanquam proprium, ubi res custodienda maximi est momenti, qualis est anima & corpus. Cicero l. IV. *Tusc. quest.* obtrectationem vertit, quam ægritudinem esse dicit ex eo, quod alter quoque potiatur eo, quod ille ipse concupiverit.

XIV. Imo constat, inter complures uxores fere contingere, ut una eximie diligatur Gen. xxix. Jacob ita amorem partiri non potuit, ut una non præferretur alteri. Ideo Rahelem impensius dilexisse dicitur, idque præ Lea sorore, quæ exosa comm. 30. 31. unde & Rachel, & communis mater Israelitarum, Leæ prælata ab ipsismet Bethlehemitis Jer. xxxi. 14. Hannam Elkana diligebat *ὕπὲρ ταύτην super hanc*, nempe Peninam, addunt LXX. 1 Sam. I. 5. Conf. Deut. xx. 15. Est. II. 17. Cant. vi. 7. ita ut in ipsa pluralitate uxorum natura quasi ultro ad unitatem ducat, observante Nobiliss. Puffendorffio *de jure Nat. & Gent. lib. vi. c. I. §. 19.* Conjugum amor, si quidem verus sit,

fit, omnes omnium amores longe superat, εἰσόκε γῆρας ἔλθη, ἔθανται, τὰ τ' ἐπ' ἀνθρώποισι πέλονται donec senectus veniat & mors, quaeque hominibus accidunt. Hom. *Odyss.* XIII. Exemplum conjugum mutui amoris *Odyss.* XXIII. in Ulyffe & Penelope prolixè proponitur. Arcuarius p. 71. plenissimum amorem tantum inter duos esse concedit, sed in Polygamia tot esse plenos amores, quot matrimonia, censet, quorum singula consistant inter duos. Quae commenta supra confutata.

XV. Neque hic moramur Athanasium, Zelotypiam istam mulieris vitiosam & illegitimam esse, solique marito competere statuentem juxta Num. V. 11. seq. pag. 23. 24. Cum lex illa non imperii fuerit, sed permissionis divinae, cujus eadem procul dubio causa, quae divortii & polygamiae, σκληροκαρδία scilicet & pertinacia populi Matth. XIX. 8. Ne maritus propter suspicionem uxorem ex furore occideret, & sui ipsius iudex foret, modum explorationis adulterii Deus praescripsit. Accedit, quod maritus uxoris caput, ad quem attinet, honorem familiae tueri, eundemque a majoribus acceptum illibatum ad posteros propagare, adnotante Cl. Wagenfeilio ad *Sota* cap. 1. §. 1. Ipsorum tamen Hebraeorum testimonio ad Num. V. suo loco probabimus, in adulterum aequè aquas vim suam exercuisse, ac in adulteram. Ostendit etiam Philo *lib. de Charitate*, quod superinducta muliere alia, per zelotypiam inter foeminas contentio oriri solet. Frustra ergo polygamiae patroni semper cum *Reschaim*, tempore Affidæorum illud symbolum in ore habent: *Quicquid inum est, meum est; sed quicquid meum, mei solius est.* Ita revera Polygami volunt suum esse corpus uxoris, non vice versa.

XVI. Sexto repugnat Polygamia fini matrimonii, qui est auxilium mutuum, & mutua felicitas. Turbari utrumque, satis in Polygamis experientia docuit. De auxilio supra vidimus. Pacem autem & tranquillitatem in familia turbari, ubi uni viro plures uxores junguntur, inde evidens est, quod non possit unus vir sufficere pluribus uxoribus ad votum, quemadmodum exempla sacra, ne de aliis dicam, abunde docent. Sufficit etiam ad procreationem sobolis, fatentibus Polygamiae patronis, una conjux. Quamvis copiosior soboles e pluribus uxoribus expectetur in privatis familiis, tota tamen respublica pauciores inde cives consequitur, quia saepius procreare dicuntur foeminae, si singulae copulentur singulis, quam si plures ab uno pendeant marito, cujus

N

etiam

etiam virtus & facultas generandi eo citius deficit, cum non æque pluribus ac uni sufficiat. Quis autem illum, virtute præditum, mandati que divini observantem dixerit, qui ad leges communi bono prospicientes, atque adeo ad earum finem nullatenus respexerit? Neque si sterilitas succedat, nostrum est, invito quasi Numine, liberos aut appetere aut gignere. Accedit, quod Polygamia obstet liberorum educationi. Arcuarius quidem censet illam curam non tam patri, quam matri incumbere. Sed in historia Abrahami Gen. xvi. xxi. quam molestiam creaverit Ismael irrisor Abrahamo, satis liquet; docet etiam exemplum Eli, quid patri incumbat. 1 Sam. ii.

XVII. *Septimo* adversatur uxorum pluralitas mysterio Paulino Eph. v. 22. & seq. Quod etiam referendum ad argumenta, e jure naturali desumpta, quatenus Deus hunc finem intendit, atque mysterium inter Christum & Ecclesiam e conjugii natura adumbravit. Tunc enim amor Dei erga nos effigiatur, quando vir amat conjugem suam unice, & vicissim ab ea unice amatur. Non singuli fideles sunt Christi sponsa, si proprie loqui velimus, sed tota Ecclesia. Ignorat quidem natura huiusmodi mysterium, quod & Adam in statu integro ignoravit, Deum tamen hunc finem intendisse in ipsa creatione, Paulus nunc nos docuit. Athanasius ad hoc argumentum nihil reposuit anti-polygamis, ubi ad alia ab ipsis allata respondit, p. 24.

XVIII. *Octavo*, id solum bonum, quod honestum, teste Cicero-
ne *Parad. ad M. Brutum*; quod autem honestum, id etiam necessarium, quia honestum ad mores spectat. Omnes homines naturaliter quærunt, aut saltem cupere videri volunt vitam quietam, cum honestate & gravitate conjunctam, ne alicujus vanitatis ac vilitatis incusari queant, quod & Apostolus Christianis commendat Phil. iv. 8. Honestum autem est, maximeque decorum, una uxore vivere contentum. Decet sane homines, non recedere ab instituto naturæ, sed uni objecto arctissime se jungere, & cum eo voluptatem veneream exercere, quod Deus constituit, & majoris æstimare, quæ majoris æstimanda sunt, præferre voluptates mentis voluptatibus corporeis. Honesti dicuntur illi mores, qui rectæ rationi a vulgo & magistratu conformes judicantur, qualis est consuetudo unius viri cum una fœmina. Ipsæ moratiores gentes levitatis & vanitatis signum judicarunt, si quis pluribus consuescat uxoribus, unde leges illæ natæ, ut vir copuletur unicæ uxori. Vid. Dionys. Halic. lib. ii.

de Romulo. Pariter Penelope Homericæ rationem honoris habet, & famæ, quod secundo conjugii nubere nollet; quia populus judicaturus erat, quod fœmina, quæ sæpius nubit, primos conjuges sincere dilexisse non existimetur, utpote cujus facile obliviscatur, quod inconstantia & levitatis est minime laudandæ.

XIX. *Nono,* pugnat Polygamia cum jure naturali, quia ex mera libidine, intemperantia, immoderato appetitu venereo, atque cupiditatibus voluptatibusque carnis originem trahit, quibus indulgent polygami, contra institutionem divinam, non ad conservationem individui, & propagationem speciei, sed ad depravationem mentis & corporis. Nulla pestis est capitalior, quam voluptas corporis, cujus avidæ libidines temere effrenateque ad peccandum incitant Cicero *1. de Offic.* Et cum finis conjugii sit etiam scortationis devitatio, & remedium contra concupiscentiam, tantum abest, ut Polygamia scortationem tollat, ut etiam castos alioqui & pudicos homines, ad immoderatam libidinem accendat, sicut copia cibi gulosos, & copia vini ebriosos facit, & cupiditatem auget.

XX. *Decimo* ab incommodo argumentamur. Etenim animæ & corporis vires per uxorum multitudinem enervantur, pietas negligitur, omnia severiora studia, quibus vir incontinentia ineptus redditur, intermittuntur, ac membra justitiæ & sanctitati destinata, injustitiæ & impuritatis fiunt instrumenta; Abarbenel *in Pentat. fol. 39. 4. festinationem commixtionis, & congressus cum muliere in principio dierum vite hominis, vigorem radicalem consumere, & dies ejus abbreviare,* exemplo quorundam patriarcharum docet. Nec aspernandum est illud R. Levi judicium, *הרבה נשים תמנע הרהיבנות* *multa commoratio cum mulieribus impedit rectam rationem, mentem sedatam turbat.* Ex eadem multa incommoda in Republica & statu œconomico oriuntur, quandoquidem liberorum multitudine, familiæ nobiles ad egestatem, modicæ ad mendicitatem rediguntur, haud diffitente Athanasio p. 110. Respublica illis civibus oneratur, quod Plato utile non judicat *de Republ. lib. v.* Plura argumentorum ab adversariis prolatorum refutatio suppeditabit.

XXI. *Undecimum* argumentum suggerunt illi ipsi, qui e jure naturali & divino V. Testamenti saltem polygamiam licitam esse rentur, ab Athanasio prolixè citati p. 14. 15. 16. ad unum tamen omnes ingenue fatentur, hoc matrimonii genus in-

ter duos esse optimum & perfectissimum. Ita Illustris Grotius, qui plurium instar erit, *de jure B. & P. lib. 11. c. v. Th. x. 3.* Ex prima illa conditione, qua uni mari feminam non nisi unam Deus attribuit, satis apparet, *QUID OPTIMUM SIT, DEOQUE GRATISSIMUM;* & hinc sequi, addit, *ID FUISSE EGREGIUM ET LAUDABILE;* non tamen, pergit, ut aliter facere nefas esset, quia ubi lex non est, ibi non est legis transgressio. At lex de ea re nulla illis temporibus. Priora recte se habent. Quis autem non mirretur mecum, virum acutissimum non potuisse animadvertere legem Gen. 11. 24. quam nos supra explicuimus, & quam ipse agnoscit Matth. XIX. Sed mirari desine, lector, qui hypothesein Magni Viri perspectam habes, ex qua totum illud commentum videtur profectum, in Novo Testamento a Christo novas leges esse conditas, quam cum Orthodoxis Athanasius improbat; qua improbata necessario sequitur, dicto loco Geneseos, legem esse latam, quam Christus duntaxat explanaverit. Institutio illa Dei nobis sanctam Dei voluntatem declarat, ut vir adhæreat uxori, ut duo sint in carnem unam, contra quam qui facit, procul dubio peccat contra legem.

XXII. Grotii vestigijs insistens Georg. Ad. Struvius, celebris Jurisconsultus, in *Syntag. Juris Exerc. XXIX. Th. LII. polygamiam, qua vir plures ducit uxores, non videri contra jus natura esse, asserit, nec contra jus divinum veteris Testamenti, quæ postrema verba Athanasius p. 15. omisit, quasi Auctor de toto jure divino loquatur. Sequitur enim, ut dixi, Grotium, qui in V. T. faltem polygamiam licitam, in N. T. vero a Christo vetitam esse putat. Idem tamen Struvius in Evolutionibus Controvers. n. agit ipsi juri natura monogamiam convenire, facile apparere, ait, & citato loco ex Aristotele 1. OEcon. cap. ult. subjungit, hisce verbis ex ipso natura lumine agnovisse Aristotelem, monogamiam perfectius ac melius conjugii genus esse. Nobiliss. Bokelmannus *Disput. Juridica IV. ad partem pand. 11. de sponsalibus & ritu nuptiarum, Lugduni Batav. MDCLXXXI. habita, ita disserit: An juri natura contraria polygamia? Alii distinguunt, an vir unus plures uxores, an una uxor plures maritos habeat, primumque illum casum juri natura minime contrarium putant viri gravissimi ... talem polygamiam aliquando certo casu & Luthero & Melanthoni probatam fuisse personatus Arcuarius raro documento nuper probavit. Alii ne posteriorem quidem casum juri natura adversari putant: Alii utrumque improbari contendunt.**

tendunt, quorum sententia tanto propior veritati videtur, quanto magis cum jure divino, Civili & Canonico convenit. Celebris Historicus & Politicus Samuel Puffendorfius, argumenta, quæ in utramque partem jactantur, proponens de jure nat. & gent. lib. VI. c. 1. 17. judicio penes lectorem relicto, §. 19. noviss. editionis, ita concludit: *Quicquid hujus sit, id sane patet, optimum & maxime decorum, simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse, unum una vivere contentum; adeoque hoc matrimonii genus sine dubio perfectissimum habendum; cujus leges non minus marito, quam uxori sanctissime sint observandæ.*

XXIII. Ex quibus omnibus in promptu est colligere, id matrimonii genus inter duos, quia est optimum, perfectissimum, Deo gratissimum, egregium & laudabile, juri divino conveniens, maxime cum jure naturæ concordare, eique polygamiam, ut matrimonii genus imperfectum, pejus, Deo minus gratum, nec egregium & laudabile, esse advertam. Jus enim naturæ docet, semper esse faciendum id, quod optimum quis & Deo gratissimum judicaverit. Quod vel ethice vel physice est intelligendum, quia quantum ad rationes ethicas optime quis facere potest, quamvis id alius, quantum ad rationes physicas, absolutamque actionis naturam, melius fecisse, recte judicari possit; quemadmodum optime facit, qui nequit per naturam suam a feminis abstinere, si uxorem ducat; & tamen melius ille facit, qui non ducit, id est, convenientius & tutius, nempe si per naturam sic potest, juxta I Cor. VII. 38. Ita confutatur Athanasius ex illis ipsis, quos pro se allegavit, auctoribus, Grotio præcipue & Struvio. Judæorum sententiam ex Seldeno postea examinabimus. Adde, Grotii insignem tractatum *De veritate Relig. Christ.* l. I. r. p. m. 46. 47. ubi monogamiæ inter Christianos receptæ has adfert rationes, ut animus ab uxore in solidum marito datus, æquali retributione pensetur, rectiusque procedat sub una præside regimen domesticum, neu diversæ matres discordiam liberis inferant.

XXIV. Denique quid juri naturali maxime congruum sit, discamus a Naturæ Consultissimis, Aristotele & Cartesio, quos hodie Philosophorum principes plerique volunt. Hujus sententiam supra proposuimus ex *Artic. xc. passionum an.* Aristotelem e jure naturali tradidisse monogamiam, ex toto *Capite III. OEcon. I.* videre est. *Mulier, inquit, bene instituta existimabit, Legem esse sibi*

ingenium & mores viri sui, latam divinius, eo tempore, quo nuptia juncta, & vite fors consociata fuit... vir ipse leges sibi sanciat, de uxoris consuetudine, cum hac proles & totius vita socia in domum ipsius pervenerit, paritura sobolem... divino numine presente sacra nuptiarum facta, & ducta uxor est, & ei se vir tradidit, cui post suos parentes honorem haberet precipuum. Habetur autem maximus honor casta & pudica mulieri, si illa virum se SOLA esse contentum, & suam sibi integritatem conservare, & persuasum habere intelligat, quod uxoris erga se amor, & fides sit singularis. Quoque magis autem & fidelius a viro se diligi uxor statuet, eo accuratius officio suo fungi studebit. Prudenter igitur, qui parentibus, qui conjugii, qui liberis honos debeatur, constituendum est, ut tribuendo suum cuique justitia & pietatis laus obtineatur. Suo autem se honore spoliari, unusquisque graviter ferre consuevit. Nec tam gratum est, tribui aliena, quam molestum, sua sibi adimi. Nihil autem magis suum & proprium est uxoris, quam inviolata & sancta conjugii necessitudo. Et paullo post: Judicat Homerus debere esse inter virum & uxorem affectionem mutuam... Ulysses quamvis diu & longe abesset (ab uxore) nihil tamen deliquit... rogante Atlantidis filia, ut secum remaneret, & immortalitatem promittente, non ideo voluit caritatem amoremque & fidem conjugii, instar ratus gravissimi supplicii immortalitatis possessionem, in conscientia perfidia & sceleris... Hac constantia in amore erga uxorem, merito ab eadem paria reportavit... alter alterius voluntati inserviat. Et similia. Ex quibus evidens fatis est, Naturæ Consultissimis viris polygamiam esse improbatam.

XXV. Quam sententiam etiam alii tam græci quam latini scriptores amplexi sunt. Euripedes *Andromache*: εἰς δὲ πῶς ἂν διδυμὰ λέκτρα ἐπαπέσω βροτῶν, nunquam geminos lectos laudabo mortalium; neque liberos, qui habent diversas matres, litem adium, & tristes dolores. Maritus in nuptiis mihi sit contentus uno lecto viri non communicato. Isocrates *Nicocle*: ita fugi hæc crimina, ut a suscepti regni tempore me nullum nisi uxoris meæ corpus attigisse constet. Paullo post: adhuc non potui non vehementer accusare illos, qui duclis uxoribus, & invita totius vite societate, pactis & conventis non starent; sed dum suis voluptatibus indulgerent, eas offenderent, a quibus ipsi nulla re offendi se vellent: Ἐπεὶ μὲν ἄλλας κοινωίας τιμᾶς, ἐπεικῆς σφᾶς αὐτῆς παροχῶσιν: ἐν δὲ ταῖς πρὸς γυναῖκας ἑξαμαρτάνωσιν: cum in aliis contractibus aequitatem colerent, solas conventiones cum uxoribus factas violarent:

qua

que tanto sanctius custodiende erant, quanto sunt aliis interiores & majores. Conf. Dionys. Halicarn. lib. 11. Quam alte Penelope Homeriana infixum amorem conjugalem in pectore cohibuerit, qui tot annis, tot illecebris convelli non potuit, modo ex Aristotele audivimus. Vid. Hom. *Odyss.* 11. Plautus *Mercatore*: *Nam uxor contenta est, quae bona est, uno viro: Qui minus vir una uxore contentus fiet?* Adde Sallustium *Jugurthino*.

CAPUT III.

Argumenta, quibus Theophilus Aletheus, Ath. Vincentius, & Daphneus Arcuarius, ex jure naturali probant polygamiam, confutantur.

SEquitur, ut paucis ad rationis trutinam examinemus argumenta, quibus polygamiae patroni prolixè probatum eunt uxorum pluralitatem, ex jure naturæ & gentium, cum quo non minus, ac divino & civili, eam exactissime concordare gloriantur, adeo ut omnes homines, & præcipue Magistratus Ecclesiasticus & Politicus in omnia jura peccent, qui illam improbare, impugnanre, impedire, capitaliter prohibere, vel non omnibus modis promoveri velint Thef. 1. Eadem repetit Theophilus Thef. LXXXVII. & xc. ubi addit, polygamiam in numero peccatorum non esse habendam, sed potius inter bona opera collocandam; sicut matrimonium, quod etiam contractum pure politicum esse censet, ad solos Reges, Principes & Magistratus politicos pertinere docet. Idem multis confirmat Athanasius ad Thef. 1. & xc.

II. Legi Naturæ & Gentium non contrariari polygamiam, ex eo probat Theophilus Th. 11. quod masculus a natura ita sit comparatus, ut uno anno plures infantes procreare possit, si plures ducat uxores. Idem repetit Th. XXI. Quicumque modus se multiplicandi apprimè quadrat naturæ masculinæ, & femininæ, ille est modus convenientissimus. Atqui polygamia est talis modus. Ergo. Addit, hoc talentum in terra non esse recondendum, sed ideo masculo concreditum, ut eo lucretur. Maledictum esse, qui hoc opus Dei negligenter fecerit, teste Jeremia; peccare eum, qui scit bona facere, & non facit: Maxime eum delinquere, qui:

qui bonis corporis, ex. gr. femine a Deo masculis concessio non utatur, ad procreationem sobolis.

III. Ego respondeo 1. non quid possit, hic quæri, sed quid liceat. Non repugnat naturæ viri, qui posset cum pluribus consuescere phylice, quod moraliter non licet. Neque videtur adversa plane procreationi sobolis, per fœminas plures, quod & sacra exempla docent, modo non advertaretur institutioni & legi divinæ. 2. Nota est Logicorum definitio causæ naturalis & voluntariæ; illa, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere, hæc vero positis iisdem requisitis potest agere vel non agere. In eo consistit hominis libertas, quod agere possit, quantum velit. Rectissime Gerhardus *de conjug.* §. 437. *Ipsa lux natura, nisi impetu concupiscentiæ penitus obfussetur, docet, non esse belluino more in venerem etiam licitam prouendum. Lux autem gratiæ id longe illustrius docet.* Multum differunt instinctus & appetitus naturalis, ac dictamen rationis; huic iste reluctans est compescendus. Mortales sæpe abriperet appetitus ad explendam libidinem, nisi fræno rationis reluctarentur.

IV. 3. Illa longe differunt, non uti donis Dei, & bonis corporis, quæ hominis usui concessit, si velit, & uti aliquo bono, contra naturalem suum finem. *Est tempus amplexandi, & tempus recedendi ab amplexu.* Eccles. III. 5. Quamvis enim natura homines liberorum procreationi aptos fecerit & pronos, non tamen ita huic rei subiecit, ut liberorum generandorum & educandorum causa, sui obliviscerentur, omnemque curam seponerent. Secus enim quamprimum vir quispiam mulieri maturus est, fœminave nubilis, contra naturam peccarent, si non legitimas sollicitarent nuptias, aut aliud ambirent conjunctionis genus, procreandi causa. Cum tamen maxima pars hominum nihil honestius cogitent, quam aut differre conjugia, aut forte iis omnino abstinere, ob *Φιλανθρίαν* & sui curam, ut illustrioribus negotiis vacare, & mentis curam meliorem gerere valeant. Neque enim, qui certis rationibus inductus, plane abstinet a conjugio, peccat, uti Sect. I. cap. I. vidimus; neque qui ad certos dies tantum cum muliere non consuescit; quia, omissio vel suspensio illo bonorum corporis usu ab hoc vel illo, nihil fit contra finem generalem & naturalem a Deo intentum, non cessante propterea sobolis procreatione, aliisque actum generationis non negligentibus.

V. 4. Ac

V. 4. Accedit, quod frequens & modum excedens coitus corpus enervet, fatente ipso Athanasio p. 36. quod nimia venus quadragies plus exhauriat spiritus, & dissipet vires, roburque corporis dissolvat, quam detractio sanguinis. Avic. l. III. c. III. cum centum guttæ sanguinis unam guttam feminis, juxta Aristotelem, vix æquent. Qui igitur castitatis terminos perumpunt, voluptatesque sectando suam labefactant valetudinem, non sibi soli, sed & amicis suis, suæque civitati quadantenus injurii sunt, & per consequens noxii Reipublicæ. Hinc Medici, concubitum rarum corpus excitare, frequentem autem solvere, judicant; & quibus temperamentum humidum est, quique calore minus abundant, eis convenientissimum esse rentur, plane a venere temperare, quod corpus ex frequente coitu totum humiditate diffluat, ne cerebri humiditati, catharris, nervorum humiditati, aliisque incommodis obnoxii reddantur; quia vis feminis coitu magis minuitur, & quod partibus ac nervis robur conferebat, exhauritur. E contrario, quorum corpora sunt sicciora, in iis immoderatam venerem, dolorem articulorum & nervorum contractiones producere testantur. Quemadmodum etiam animalia, quibus natura longiorem vitæ usum concessit, tardius vim generandi acquirunt, & quibus vivendi spatium breve, citius ad generandi maturitatem perveniunt. Videtis Scalig. *ad Aristot. Historiam de Animal.* Nec tantum spiritus vitales, valetudo, vigor, decus & pulchritudo corporis, verum etiam ingenii vis & bona conscientia, immoderatis istis libidinibus perduntur.

VI. 5. Si delinquant homines, quod femine a Deo concredito in monogamia non fideliter utantur, cur Deus plures uxores Adamo non adduxit? Dicis, ut ab uno sanguine genus humanum descenderet. Ast supra ostensum, id Adamum, non Evam respexisse, ita ut non obstante isto Apostoli effato, & manente uno sanguine, e pluribus costis, plures potuissent foeminae formari. Et quare istius peccati reus non est Noachus, qui genus humanum post diluvium, de novo propagare debuit? cur non deliquerunt Isaacus, cæterique Patriarchæ monogami? cur alii matura ætate non statim vitæ sociam quæsierunt, si tanta fuerit necessitas, ut propter ejus neglectum homines sint maledicti?

O

Ac-

Accusandi ergo & maledicti erunt omnes patriarchæ, quod tam se-
ro liberis procreandis operam dederint.

VII. Eo enim sine allegant ista S. Scripturæ loca Jer. XLVIII.
10. *maledictus qui facit opus Domini fraude.* Matth. xxv. 14. f. Jac.
iv. 17. ut monogamos tanti criminis reos peragant; quam com-
mode & apposite, lectoribus judicandum relinquo. Primo loco
Jer. XLVIII. 10. sermonem propheta dirigit ad Chaldaeos, Dei hic
ministros, qui parcere non debebant, aut finem facere, donec Moa-
bitas devastassent. Hoc ergo opus Dei, nempe Moabi devastatio-
nem & excidium, qui peragebat *fraude & dolo*, non bona
fide, maledictus dicebatur; quia hanc sententiam super Moabum
Deus pronunciarat. Quod dictum generale unicuique Dei mi-
nistro applicari quidem potest, in quocunque opere omnem ne-
gligentiam damnans; sed probatum nondum est, Deum mandas-
se pariter polygamiam, & qui hanc non observarunt, tam gravi-
ter a Deo reprehensos. Nec reliqua loca feliciter illud negotium
concludunt. Matth. xxv. 14. f. Christus reprehendit eos, qui negli-
gunt talentum, sive gratiam Dei concessam, eam defodiendo, neque
ex inertia duntaxat ea non utuntur, verum insuper ea abutun-
tur, quod non tantum omissionis, sed etiam commissionis pecca-
tum est. Caveant sibi polygami & polygamiae defensores, ne
hujus criminis juste rei peragi possint. Atque ita sibi applicent
illud Jacobi iv. 17. *qui noverit recte facere, & non facit, is peccato
tenetur.* Reverenter, pie, sancte & caste allegandæ & tractan-
dæ sunt sacrae literæ.

VIII. Secundum argumentum Theophilus Th. III. proponit,
naturam muliebrem ita esse comparatam, ut post conceptionem,
concupitum viri non amplius desideret, sed quodammodo abhor-
reat, & si quando consentiat in viri voluntatem, abundantia seminis
gaudentis, multa incommoda sustineat, docentibus Medicis, quos ex
hoc capite polygamiam probaturos pollicetur. Respondeo, præ-
ter procreationem liberorum, matrimonium multos alios habere
fines, quales sunt moderata delectatio, honesta voluptas,
mutua auxiliatio, suavis conversatio, occurratio, & similia;
quo pertinet *debita benevolentia, quam vir uxori, & uxor viro red-
dat* 1 Cor. VII. 3. Quæ omnia officia & beneficia complectitur, quo-
rum gratia matrimonium initur, & ad quæ ratione pacti conjuga-
lis obligantur. Conf. Prov. v. 18. Ecclef. ix. 9. *jugis delectatio om-
nis*

mnis temporis species designat, & amorem conjugalem perpetuum exigit, honestum tamen, castum & moderatum, ut immodico uxoris amore, a Sapientiae & legis divinae studio non abstraharis.

IX. Deus adeo varias & crebras mulierum purificationes mandans, & concubitus prohibens Lev. xv. ne isto confortio participes fierent impuritatis, non legitur viro permisisse concubitus cum aliis mulieribus; sed a muliebri libidine potius abducere, & ab ingressu quandoque separare, aliarumque rerum curam commendare voluit, & continentiae frænum injicere, cognoscendam esse uxorem moderate, non libidinis explendæ, sed prolis ad cultum Dei educandæ causa. Sicut Adam, si mansisset integer, sine cupiditate, mero naturæ instinctu, liberos generasset, sed post peccatum libido accessit, quæ domanda, & morbus menstruus foeminis nunc naturalis, ex decreto contra Evam Gen. iii. 16. cujus sanguis, quia Adamum quasi occidit, iterum juxta Gen. ix. 6. erat effundendus. Haud diffitemur quidem, in perpetuo vel nimis diuturno morbo, quando foemina fluxum præternaturalem patitur, conjuges, non ita, ut in V. T. adstringi ad abstinentiam ab actu conjugali, modo proli damnum non immincat, femine generationi inepto.

X. Ipsi Judæi *Jeavamoth cap. vi.* volentes, *Ne se cohibeat vir a generatione, & multiplicatione, nisi jam sint ei liberi; Si sint ei liberi, a generatione & multiplicatione se cohibeat, ab uxore autem ducenda ne se cohibeat, prohibitum est ei esse absque uxore, quia dicitur: Non bonum est homini, ut sit solus, non urgent tantam necessitatem, sine interruptione actum venereum exercendi, quantam nostri polygami.* Quemadmodum enim agricola, postquam semina terræ mandavit, messis tempus expectat, nec alia superinjicit, & in plantandis virgultis, seminandisve frugibus, opportunum tempus quærit, quo terra purgetur & omnia præparentur, ne semen jactum pereat: ita hominibus concupiscentiæ modus liberorum procreatione definitus est, & ferendi observatio commendata. Est modus in rebus, sunt certi denique fines. *Ipsas animantes prægnantes paucas coire, refert Scaliger Comment. ad l. i. cap. ii. Histor. Arist. de anim.*

XI. Si quis sentiat Veneris titillationem, abstineat Cerere & Baccho, delicatis cibis, atque id genus aliis carnalibus voluptati-

bus, libidinis fomentis, unde feminis abundantia; & incumbat feriis ac gravioribus curis & negotiis, jejuniis & precibus. *Indurandus est animus*, inquit Seneca *Epist. L.I. & a blandimentis voluptatum procul abstrahendus*. Idem de *Tranquill. an. Non sunt cupiditates in longinquum mittende*. Sicut & ipse Athanasius fatetur p. 413. multos labores veneri esse impedimenta; studiis defixos non sentire hasce carnis uestiones. Quod confirmatum eunt Hebraei atque ethnici scriptores. Majemon. de *connubiis*, Cap. XXI. mulieribus laborem commendans, *Otium*, inquit, *hominem abducit ad nequitiam;... desidia animum impellit ad flagitium*. Exemplum in Davide. Ideo suadent Rabbini, ut libidinosi sæpius legant illud Deut. VI. 4. *Audi Israel, Dominus Deus noster Dominus unus est*. Quo etiam pertinet scitum illud Magistrorum *Mischna aboth. 2. 2. pulchra est Doctrina legis cum via terre* (i. e. opificio) *nam labor utriusque facit hominem oblivisci pravitatis*. Desidia est pene omnium scelerum seminarium, maxime libidinis, unde otia tollere jubet poeta in *Amoris remedio*:

*Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptaque jacent & sine luce faces.
Quam platanus rivo, quam gaudet populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo;
Tam Venus otia amat: qui finem quaris amoris
Cedit amor rebus; res age: tutus eris.*

XII. Sed obijciunt nobis, viros calidos, & feminis copia abundantes, una uxore non esse contentos, naturam eorum ita esse constitutam, ut plures cognoscere necessum habeant? Respondeo, adduci me non posse, ut credam, homines, qui ratione utuntur, existimare posse, omnia, ad quæ natura sunt proclives, esse de jure naturæ, quia quæ nunc eorum pravitas est, sæpe luctantur cum conscientia, & cognitionem naturalem honesti excutere conantur. Ideoque jus naturale neutiquam metiendum est a natura, prout per peccatum vitiata & corrupta est, atque ex moribus utentium, qui ad perversa multoties declinant, sed a natura, qualis a Deo est creata, atque a debito hominum universali. Nisi in corde dominetur temperantia, nec viginti, nec centum, aut plures etiam impuræ sceminæ impuros extinguunt ignes, uti in Salomone videre est, quem id-

eo monet mater Prov. xxxi. 3. *ne det mulieribus fortitudinem, sive vires suas*; innuens vires animi & corporis.

XIII. Regerit Arcuarius, p. 84. 85. se admittere pravitatem & corruptionem, sed Adamum in statu integritatis jam aptum fuisse sæpius se, quam semel, multiplicandi. Quod se vero semel tantum quotannis multiplicaverit, id inde factum esse, quod unam uxorem habuerit, quia ex uno sanguine Deus genus humanum propagari voluerit. Sed nihil magis absolum est, quam statuere, vires habuisse Adamum majorem prolem generandi, modo habuisset plures uxores. Vires illas, utut post lapsum diminutæ sint, neque nunc in dubium vocamus, modo non obstaret lex & institutio divina, æque nunc, ac in statu instituto. Ratio illa, cur Adamo tantum una uxor concessa, supra a nobis est conturbata. Ubi semel fingendi licentia homines occupat, nihil absurdum nimis, vel nimis ridiculum. Quid absurdius dici potest, quam homines habere vires centies aut millies bibendi? quoniam intra modum bibere oportet. Tantum enim cibi & potio- nis adhibendum est, ut vires reficiantur, non ut opprimantur.

XIV. Consilia iis suggestimus, qui forte aliis majore seminis & sanguinis copia abundant. Plura desiderantem ad Medicos amandamus, præter alia, eadem intemperantiæ remedia præscribentes. Præterire hic non possumus exemplum salacitatis nitro curatæ, quod *lib. III. Casuum Medicinalium* refert expertissimus Medicus Baldass. Timæus van Guldenklee, *casu LII*. Integram historiam non pigebit ex eo adscribere. *Fidicen quidam Glandensis temperamenti calidi, vehementi veneris desiderio subinde tenebatur, ut nullis etiam per exigua horarum intervalla, repetitis congressibus satiari posset, unde sibimet ipsi quasi insensus, & ira divina, scortatoribus incumbentis, metuens auxilium meum implorabat.*

XV. Subjungit hanc Resolutionem. *A seminis copia salacitatem hanc excitari ipsa corporis constitutio & sanguinis abundantia innuit. Accedit vasorum semini generando inservientium calor nimius, quo mediante & sanguis attrahitur copiosius, & in semen mutatur citius. Ad imminuendam itaque sanguinis copiam, evacuato corpore, phlebotomiam in cubito dextri brachii institui. Mox pro calore totius & inprimis vasorum seminalium restinguendo refrigerantia quadam præscripti.... Diætam commendavi tenuem & sobriam, proscriptis aromatis,*

maribus, cibisque calidis & acribus, raphano imprimis, porro, capis, allio, sinapi, rapis, pastinaca, ovis, lacticiis & ejusmodi venerem stimulantibus eduliis. Cerevisiam bibat secundariam, vel quod melius, aquam, sine Cerere namque & Baccho friget Venus. His non proficientibus denuo sanguinem detraxi, & majoris refrigerationis ergo serum lactis caprini cum seminibus quatuor frigidis, per integrum mensem exhibui, & cum ne sic quidem immensa in venerem sedari posset propensio, specifica quadam semen exstinguentia prescripsi, saccharum imprimis Saturni, aquam castitatis, succum lactucae recenter expressum, emulsionem seminum cannabis, pulverem crystalli, & id genus alia. Monui praeterea ut ad evitandas vagas libidines, legitimum conjugium iniret, cum melius sit nubere quam uri; paruit consilio, & ducta in uxorem villici cujusdam filia satis robusta & vegeta, paullo mitius agere visus est; verum cum & hanc delassasset, ad ingenium rediit fornicator insatiabilis, aliudque remedium praeter antea usurpata petiit. Commendavi preces & jejunium, sed cum illis nihil se juvari, hoc vero ventrem non ferre pratenderet, extrema pati & castrari potius, quam assidua libidini cum aeterna salutis jactura inhaerere maluit. Ego operationem periculosam censui. Hesitanti tamen & ulterius deliberanti in mentem venit, quod olim Patavii ab Excell. Prevotio audieram; Nephriticum quendam diurno nitri preparati usu a renium calculo perfecte liberatum, sed postea ad rem veneream prorsus inhabilem redditum. Feci periculum, & singulis matutinis & vespertinis nitrum in aqua Nymphaeae solutum exhibui, cujus usu diebus circiter triginta continuato, adeo deserbuit, ut uxori demulcenda vix sufficeret; Dignus Fidicen, qui Messalina temporibus vixisset:

Quae resupina jacens multorum absorbuit ictus
Et lassata viris nondum satiata recessit.

XVI. Et mirari subit, Athanasium hanc libidinem ac immoderatam & abominandam cupiditatem rei venereae indulgendi, non agnoscere in sexu virili, quam mulieribus impropereans p. 21.23.24. Si vir est obligatus, inquit, satisfacere uxoris inordinatis, pessimis, & carnalibus, contra animam pugnantibus affectibus, polygamia mulieris est introducenda, siquidem vix decem vel viginti viri uni mulieri, quae semper, si non est praegnans, appetit, & magis spectat voluptatem, quam sobolis procreationem, sufficient. Lascivientibus hujusmodi mulieribus, eadem abominatione, comparet viros illos, qui se continere

nerenequeunt, & temperare a Venere. Cætera, quæ commentatus est Athanasius, aut nullius ponderis sunt, aut alibi occurrunt, nec hic examinanda. Decies enim vel vigesies, minima data occasione, eadem semper repetit. Adeoque negamus consequentiam argumenti supra allati: Per quem modum masculus uno anno plures potest procreare liberos, ille est convenientissimus modus se multiplicandi. Obstat enim, quod non sit legitimus; obstat præceptum divinum, obstant præcepta Medicorum, moderatæ veneri operam dandam. Ne dicam, quod hisce omnibus sepositis, necdum probari queat, hunc convenientissimum esse modum genus humanum propagandi, quia privatæ familiæ quidem plures, tota tamen Respublica pauciores cives consequitur, ex conjunctione maris cum pluribus uxoribus, sicut Sectione prima demonstratum ivimus. Qua ratione etiam cadit Arcuarii responsio ad Anti-polygamorum objectionem p. 85. 86. Si Polygamia ideo licita, quod vir se sæpius quotannis possit multiplicare, ob eandem rationem etiam scortationes & adulteria licita forent declaranda. Regerit Arcuarius, ex alio fundamento damnari scortationes & adulteria, & polygamos non modo multiplicare se posse, sed etiam scopum habere se multiplicandi, secus ac scortatores & adulteri. Alia fundamenta & nos exhibuimus.

XVII. Denique Theophilus & Athanasius Theſibus XVIII. XIX. quæ nostro iudicio huc referendæ, pag. 110. ad 144. a necessitate mediis variisque commodis, inde in OEconomiam, Rempublicam & Ecclesiam redundantibus uxoribus multitudinem probant. Vivendi enim & se sustentandi media necessaria magis affluere, meliusque conservari, vir si habeat plures uxores, demonstrat exemplis Jacobi, Davidis, Salomonis: Jacobum nunquam ad tantam opulentiam pervenisse, nisi quatuor duxisset uxores. Davidem in exilio non tam bene sustentatum fuisse, nisi cum uxore Abigail præter primam se conjunxisset; Salomonem tantam sapientiam, potentiam, rerum omnium affluentiam, nominisque celebritatem nunquam nactum fuisse, nisi cum vicinis Regibus, propter filias, quas duxerit in uxores, amicitiam contraxisset. Th. XIX. prolixissime recensent emolumenta & commoda, quæ inde singuli status & singulæ personæ percipiunt, verbi gratia, quod expediat maritis ad longævam vitam ducendam, ad rem familiarem augendam, & similia; quod expediat pastoribus & episcopis, quorum ministeria in copulandis hominibus, & baptizan-

dis

dis infantibus augeantur; & mercatoribus, nautis ac peregrinantibus, qui in alia loca excurrentes, occasione data, novas uxores ducere & se multiplicare possint, & reliqua ejusdem furfuris. Quibus etiam accensent, plures gentiles & Turcas ad Christianam fidem esse accessuros, si polygamia apud nos non esset prohibita, & plures fore cœlicolas & terrigenas.

XVIII. Ad ista omnia primum in genere notandum, honestum utili præferendum, neque facienda mala, ut eveniant bona Rom. 111.8. Adde, actionum nostrarum regulam non esse, nostra vel commoda vel incommoda, sed voluntatem Dei, ejusque ordinationem verbo expressam. Commoda enim & incommoda illa sæpe sunt tantum *δοξασµα*, non vera; & qualiacunque illa sint, imprimis corporalia, voluntati Dei sunt subijcienda. Voluntas autem Dei est, ut quod ipse legitime conjunxit, homo non separet, ut sint caro una, sine clausula, & sine conditione hac adjecta, Si sit commodum, si sit utile. Si hæc admitterentur, quæ, quæso, in mundo fibula laxaretur libidini? Polybius *Histor. lib. 111. Nonnulli dum rebus veneris indulgent, tque amore stupent, non urbes solum, ac domus suas everterunt, sed propria etiam vite jaçturam cum dedecore fecerunt.*

XIX. Deinde in specie ad exempla allata facilis est responsio, peccari fallacia a non causa, & falsum supponi, quasi Jacobo istas divitias conciliaverint uxores, quas sacræ literæ passim providentiæ & benedictioni divinæ adscribunt Gen. xxv. xxvii. promissis ei variis bonis, non modo spiritualibus, ex amore æterno Mal. 1. 2. 3. Rom. ix. 13. verum etiam corporalibus & externis. Quo pertinet illud consilium & artificium, quo quicquid erat eximium in grege Labanis, ad se transtulit Gen. xxx. cujus auctor Deus fuit cap. xxxi. 11. 12. 13, qui ipsi gratiose dona largitus est, ut omnia possideret, cap. xxxiii. 11. Sensit potius patriarcha sua incommoda ex isto matrimonio, quia raro contingit domus tranquilla iis, qui habent plures uxores. Euripides in *Andromacha* dicit, esse *ἐπιπύοντων*. In concorde matrimonio plus boni est, quam in ipsa fœcunditate. Et dicat mihi Athanasius, unde reliqui patriarchæ monogami acquisiverint divitias, sicut Job, qui circa ista tempora vixisse creditur; is saltem non habuit tot uxores, tot filios & filias, quot requirunt polygami ad tam amplam familiam.

XX. Idem judicium esto de Davide. Non video, quid ad ejus sustentationem contulerit Abigail, nisi quod, ut prudens fœmina,

mina, ei in exilio dona adduxerit, ad sustentandos milites, qui ex præda hostium Palæstinarum alebantur, in quibus omnibus virgula divina animadvertenda. Quin ipsa Abigail postmodum captiva abducta 1 Sam. xxx. 5. ei potius oneri fuit, quam & consulto Domino, e manibus Amalekitarum eripuit com. 18. Sed frustra hominum vel furorem cohibeas, vel insaniam purges, qui non verentur Deo aperte contradicere.

XXI. Salomonis sapientiam, potentiam, omniumque rerum affluentiam Theophilus & Athanasius magno ausu, nec sine impudentia, polygamix adscribunt, quod vicinorum regum filias in uxores duxerit. Quum sacræ literæ expressis verbis hoc mendacium evertant 1 Reg. 111. 5.-13. *Jehova apparuit Salomoni per somnium, dixitque Deus, pete, quod daturus sim tibi. Cui dixit Salomo... com. 9. Des igitur seruo tuo animum intelligentem, ad iudicandum populum tuum, discernendo bonum & malum... Qui sermo cum bonus videretur in oculis Domini, quod petiisset Salomo hanc rem: Dixit illi Deus, eo quod petiisti rem istam, & non petiisti tibi dies multos, neque petiisti divitias... Ecce facio secundum sermonem tuum; ecce do tibi animum sapientem & intelligentem, adeo ut par non fuerit tibi ante te, & post te non surrecturus sit par tibi. Insuper etiam quod non petiisti, do tibi, tum divitias, tum gloriam, adeo ut non sit par tibi ullus inter reges omnibus diebus tuis. Et cap. 14. 29. indidit Deus sapientiam Salomoni, & intelligentia multum admodum, & amplitudinem animi, instar arena, quæ est in littore maris. Adde com. 34. & cap. x. 1. 24. XI. 1. & seq.*

XXII. Immoderatus autem mulierum amor nihil aliud ei attulit, quam Majestatis regix detrimentum, turpem & effœminatam timiditatem, atque id genus alia incommoda, quod tristis comprobavit nimis eventus, quam misere pertractus sit ad idololatriam 1 Reg. xi. famæque suæ turpissimam inusserit maculam. Sirac. XLVII. 21. & seq. *cum adamavit mulieres alienigenas multas, faciebat malum in oculis Domini, ideoque comminatus est ei Deus divisionem regni com. 11. seq. Huc faciunt, quæ commentatus est Abarbenel in Leg. fol. 39. 4. causas, ob quas hodie abbreviatur dies vita, ut ad majorum ætatem non perveniant mortales, inter alias adducens חמ libidinem in mundo, quod antequam attigerit homo annum viceesimum, gignat filios & filias, & זנות scortationem atque adulterium, quæ vitam decurtant, vigorem consumunt, caloremque naturalem extinguunt.*

ולא תראה שחוד המלך בהיותו בן שבעים שנה כסותו בבגדים ולא יתם לו ולא היה זה באמת מרוב זקנתו כי כמה מהאנשים יותר זקנים מזה הם חזקים ובריאים ומולידים בנים אבל היה שנרעד חומו חטבעו ונתקרב כמו בהיותו בכחיותו רודף אחרי הנשים ולכן בתחלת זקנתו היה כאותו קצה מהקור המופלג. ושלמה בנו שאחז במעשי אביו והוסיף עליהם כהנה וכהנה נתקצרו עוד ימיו ומה בן נב שנים

Nonne vides, inquit, Davidem regem 70 annos natum vestibus oblectum, quia calore destitutus erat. Id factum non est ob magnam ejus senectutem: quot enim sunt homines ipso seniores, robusti tamen ac pingues, liberosque procreantes? sed quod extinctus esset calor ejus naturalis & refrigisset, sicut in juventute sua sectatus est uxores. Ideo initio senectutis ex magno frigore ad finem vergebat. Pariter Salomo opera patris sui imitatus, pluraque adjiciens, sicut illa & illa, adeo dies abbreviavit, ut mortuus sit quinquaginta duos annos natus.

XXIII. Ad reliquas nugas respondere nihil attinet. Commoda enim enumerata partim falsa sunt, sicut audivimus v. gr. quod expediat maritis pluralitas uxorum ad longævam vitam ducendam, ad rem familiarem augendam, & similia; partim risum movent lectori, fibulamque carni & libidini laxant, quod scilicet expediat pastoribus, quorum ministeria, in copulandis hominibus & baptizandis infantibus augeantur; nec non mercatoribus & peregrinantibus. His sane, cum conjugum præsentia gaudere nequeunt, Doctores Hebræi salubriora suggerunt consilia in *Sobar ad Genesim Edit. Lubl. col. 139. Quilibet homo reperiri debet ut mas & foemina, (contracto scilicet matrimonio) & cum peregre abit iter facturum, uxoris loco sibi sociare debet præsentiam divinam, per preces & pia vota. Ita R. Sal. Jarchi ad 1 Sam. 1. 19. quia Elkana non habuit rem cum uxore, priusquam domum esset reversus; hinc eliciunt, abstinendum esse a venere, dum peregre sumus.*

XXIV. Provoco saltem ad uniuscujusque conscientiam, annon hujusmodi Polygamia defensores suis nugamentis, gravissima Dei instituta & præcepta ludibrio exponant. Utinam in eorum auribus, qui talia effutiunt, personarent severissima Christi verba Matth. XII. 33-37. *E fructu arbor cognoscitur... ex redundantia cordis os loquitur. Bonus homo e bono thesauro cordis profert bona: & malus homo ex malo thesauro profert mala. Sed dico vobis, quodcumque verbum otiosum loquuti fuerint homines, de eo reddituros rationem in die judicii. Ex sermonibus enim tuis justificaberis, & ex sermonibus tuis condemnaberis.* Quid respondebunt illi iudici totius terræ, qui non verba aliquot otiosa tantum pronunciant, sed centenas paginas tot otiosis & obscœnis verbis implent, contra regulam Apo-

stoli

stoli Phil. iv. 8. *Quaecumque sunt vera, quaecumque deo veneranda, quaecumque iusta, quaecumque pura, (vel casta) quaecumque amabilia, quaecumque boni nominis, si qua virtus, & si qua laus est, hac reputate.*

XXV. Quod denique addunt, plures gentiles & Turcas ad Christianam fidem accessuros esse, si polygamia apud nos non esset prohibita, & plures fore cœlicolas & terrigenas: Id neutiquam probat, polygamiam esse licitam & unicuique permittendam. Aut alii mores istis gentibus usitati, aliave dogmata ac peccata etiam forent toleranda, cujusmodi sunt idololatria, circumcisio, & similia. Valet hic regula Paulina ante citata Rom. iii. 8. contraria assertioni illi, quam damnat Jobus cap. xiii. 7. *An pro Deo forti loqui deberis iniquitatem? aut pro eo loqui deberis fraudem?* Gravissime peccarunt fratres Josephi cum vendentes in Ægyptum Gen. l. 20. & Judas, Judæi ac Pilatus, prodendo & interficiendo Jesum Act. iv. 26. seq. Gravissime peccarunt Israelitæ postulantes a Deo carnes in deserto Num. xi. quamvis eodem modo hominum conservatio ac redemptio procurata, Deique gratia & potentia illustrior facta & demonstrata. Et bona intentio, quam homines malæ actioni obtinent, a Deo damnata est, ut in Saulo 1 Sam. xiiii. xv. in Uzza 2 Sam. vi. 7. aliisque videre est. Uti autem efficienda non sunt mala, ut eveniant bona, ita neque eo fine sunt toleranda. Levit. v. i. xix. 17. Nehem. xiiii. 16. & seq. Sicut nonnulli, ad adulteria & graviora peccata vitanda, meretriciam vitam permittendam, perperam statuunt.

XXVI. Atque ita gravissimus Theologus Fr. Spanhemius *par. iii. Dub. Evang. cxxii. s. ix.* Si quis Judæus aut Turca hodie converteretur, qui ante suam conversionem duas habuerit uxores, uni ex istis, posteriori cum primis, persuadendum fore, censet, ut res suas sibi haberet, & illius, cui se addixisset, Religionis legibus obsequeretur. Et Seldenus modernorum Judæorum ritus nuptiales exponens, *Uxore Ebraica lib. i. c. ix.* docet, ubi ex temporali præscripto plures uxores simul ducere non licet, juxta ipsos cogendum esse maritum, qui plures duxerat, omnes præter unicam divortio ejicere. Quamvis ego non videam satis causæ, cur, qui ante conversionem suam, duas habuit uxores, eas retinere nequeat. Ambæ tolerari possunt, quemadmodum Apostoli, teste Chrysostomo & Hieronymo, eas tolerarunt, ex quibus bigamis aut Polygamis tamen Episcopus non erat eligendus. Etsi non sit to-

lerandum, ut jam converſi plures ducant. Ideoque haud prudenter Jeſuitas Regi Conchino perſuaſiſſe, largimur Theophilo, quod omnes uxores, excepta unica, ſi Chriſtianus fieri vellet, eſſent deſerendæ. Neque tamen Venerandum Voetium, quem pro ſe citat Theophilus, teſtari lego, quod regnum Tunchinum una cum Rege ad Chriſtianam fidem fuiſſet converſum, niſi Jeſuitæ in ſuis concionibus jamdum converſos a polygamia dehortati fuiſſent. Quæſi pius ille Theologus polygamiã illam Tunchinẽſium approbaret.

XXVII. Contrarium ſatis liquet ex ejus ſcriptis, quæ mihi legere contigit, *Politica Eccleſiaſt. par. 1. lib. III. Tract. 1. c. v. §. 6. par. II. lib. II. Tract. 1. c. VI. §. 3. cum primis par. I. lib. II. Tract. II. Sect. IV. c. III. quaſt. 9. an polygami ſacra cœna arcendi?* Ubi caſum illum ex Alexandri de Rhodes Jeſuitæ relationibus de prædicatione fidei in regno Tunchino, tantum refert, quo relato addit: *Vides hic νόμος, ἔθος, conſuetudinem . . . Regis, & magnatum exemplum plurimas concubinas alentium, exſertam ſub gravi comminatione prohibitionem. Quid hinc concludes? juſtum, licitum, irreprenſibilem eſſe concubinatum, ſeu mavis polygamiã in foro poli, in conſcientia coram Deo, in communionẽ Eccleſiæ, quia talis eſt in foro ſoli? Egregia ſane conſequentia.* Mirum eſt, hæc non legiſſe in Voetio noſtrum polygamiæ deſenſorem, qui legit verba priora, variasque bibliothecas Germaniæ & Galliæ perluftraſſe fertur, ut magno molimine ſuam polygamiã propugnaret. Accedit, quod iſta exempla gentiliũ, Turcarum, Judæorum polygamorum, Chriſtiana ſacra amplectentium, quia extraordinaria plane ſunt, polygamiã nec probent, nec ſtabiliant. Tandem figmentum illud, cœlum & terram plures incolas per polygamiã nanciſci, reſponſione dignum non eſt. Merito nobis hic illud Eccleſiaſtis de divite applicare licet cap. VI. 3. *Si genuerit vir centum liberos (contra inſtitutionem divinã, atque ex mera libidine) melior eſt illo abortivus.* Concludo, peſſime nonnullos, quorum veſtigis inſiſtunt Polygami, juſ naturæ, & actiones ſuas utilitate ſua metiri, de quibus Grotius *Proleg. ad lib. de J. B. & P.* Cum sæpe aliud utile videtur affectum malè compoſitorum pravo judicio, aliud ſanæ rationi, quæ non tantum præſentia, ſed & futura conſiderat, cui id demum utile, quod in univerſum tale eſt. *Intemperans, ait Ariſtoteles Eudem. II. cap. VII. præter rationem ſequitur cupiditates.* Et paulo

paulo post: *Siquidem intemperanter agere est ex cupiditate, præter id, quod optimum quis arbitratur, agere.*

CAPUT IV.

An ex jure Gentium probetur Polygamia?

Q Uæstio illa non adeo necessaria videri posset Christianis, quid gentibus in usu; quia tamen Theophilus & Aletheus, polygamiam cum jure gentium convenire, prolixè probare satagunt, æquum est, ut illam expendamus, & qua ratione argumentis inde petitis occurrì possit, dispiciamus, ne quidquam, præter nugas, ab illis allatum intactum relinquamus. A priori enim postquam demonstrarunt polygamiam cum jure naturæ convenientiam, eandem a posteriore, quod ab omnibus fere gentibus fuerit usurpata, deducunt, inde a Thesi *iv.* usque ad *xv.* In Oriente, maxime inter Judæos, populum Dei selectissimum, teste Josepho *Antiq. xvii. c. ii.* polygamiam esse frequentatam, & semper etiam post natum Christum observatam, usque dum legem tulerint Imp. Theodosius, Arcadius & Honorius sub Anno *cccxciii.* & ipsi Judæi postmodum sanxerint & constituerint An. *4830.* ut pro ratione locorum, ubi degerent, & secundum leges, quæ illic obtinerent, non nisi unicum ducerent uxorem, refert Theophilus Thesi *v.* Dein Th. *vi.* & *vii.* agit de Judæorum concubinis, quod cum ingenuis ac Israeliticis legitimum matrimonium contraxerint. Thesibus *viii.* *ix.* *x.* de libello repudi, de necessitate conjugii & cœlibatu, quæ nihil faciunt ad probandam polygamiam.

ii. Inter vicinos Judæis populos, Syros, Edomæos, Cananæos, Ægyptios, Assyrios, Babylonios, Parthos & Persas in usu fuisse polygamiam, ex historicis probatum dedit Thesi *xi.* Neque minus in Macedonia & vicinis Græcorum provinciis eandem viguisse, docet Socratis & Euripidis poëtæ, Regum Græciæ, Lydiæ, Ætolia, nec non Dionysii tyranni, Demetrii & Pyrrhi exemplis. Thes. *xli.* Apud Romanos diu usurpatam non fuisse polygamiam ob foeminarum penuriam; Julium Cæsarem tamen legem tulisse, ut *liberorum quærendorum causa, quot vellet quisque uxores ducere, facultas foret:* Primum Antonium duas uxores eodem tempore habuisse Octaviam & Cleopatram, posteriorem tamen li-

bidinis tantum causa duxisse, ideoque contra leges patrias fecisse; Et quanquam plures legitimas uxores ducendi consuetudo tum demum coeperit, concubinam tamen legitimæ superinducere, Romæ jamdum licuisse. Sed nec dissimulat, jure Romano & postea civili, concubinas non haberi pro veris uxoribus, quemadmodum apud Hebræos. Primi Imperatoris vestigiis instituisse subsequente tempore Valentinianum, qui legem Julii quasi oblitteratam in lucem produxerit, & in omnibus civitatibus publicari jussit Thef. xiii. Subjungit Thef. xiv. Germanos fere solos singulis uxoribus esse contentos, exceptis admodum paucis, referente Tacito *de moribus Germ.* Ex quo colligit, non improbatam huic genti polygamiam. Denique, ut omnibus fere populis in toto terrarum orbe eam placuisse demonstrat, de Pæonibus, Britannis, Scotis, Saxonibus, Æthiopum rege Christiano, Preterjanne, vel Prestar Chan, Maurasiis, Afris, Numidis, Brachmanibus, Indis, Chinesibus, Turcis refert, eundem morem partim obtinuisse, partim adhuc obtinere. Hic habes summam rei, quam Theophilus & Athanasius nobis exhibent inde a pagina 33. usque ad 100. Quis igitur nondum credat, polygamiam esse licitam?

III. Ad ista omnia, quæ tanti non sunt, nos brevi responsione defungemur. Quamvis officia ex jure gentium eadem sint, quæ natura præcipit; unde Sam. Puffendorf eorum sententiæ subscribit, quæ jus naturæ & gentium in se unum & idem esse statuit, quod extrinseca duntaxat denominatione differat, *de Jure Nat. & Gent. lib. II. c. III. §. 22.* nemo tamen negaverit, permagnam esse morum apud gentes corruptionem; non tam in primis legibus naturæ, quam in remotioribus deductionibus, quales sunt de casibus matrimonialibus, & similes. Nullius ponderis est nihilque probat consuetudo gentium, omnisque consensus populorum, quando cum recta ratione pugnat, & cum lege divina. Quam in rem facit illud Andronici Rhodii: *παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιᾶς ἔχουσιν, ἐστὶ δίκαιον ἀκίνητον ὁ φυσικὸν λέγεται. εἰ δὲ τοῖς νοσῶσι τοῖς φρένας καὶ διαστραμμένοις ἔδει δίκαιον, ἅδεν διαφέρει, ἅδεν γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὺ εἶναι ψεύδεται, διὸ τοῖς νοσῶσιν, ἔτι τοῦτον δοκεῖ.* *Apud homines recta sanaque mente prados, est jus aliquod immutabile, quod Natura dicitur. Quod si his, qui morbo distorto-*
que

que sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet; nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo quod egrotis aliter videatur. Iniquum igitur foret, leges & regulas vivendi ab eorum consensu recipere, qui eas violant sæpius, quam observant. Ita enim natura comparatum est, sunt verba Isocratis Orat. ad Philippum, πάντες πλείω πεφύκαμεν ἔξαμαρτάνειν, ἢ κατορθῶν, ut omnes sæpius peccemus, quam officio fungamur.

IV. Quibus etiam adscribi merentur verba Ciceronis l. de Legibus §. 42. Stultissimum istud, existimare omnia justa esse, que scita sunt in populorum institutis aut legibus. Etiamne si que sunt tyrannorum leges, si triginta illi Athenis leges imponere voluissent? aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus, num idcirco hæ leges iusta haberentur? nihilo, credo, magis illa, quam interrex noster tulit, ut dictator, quem veller civium, indicta causa, impune posset occidere. est enim unum jus, quo devincta est hominum societas: & quod lex constituit, una qua lex est recta ratio imperandi atque prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus, siue est illa scripta ut spiam, siue nuspiam. §. 43. quod si populi tum iussis, si principum decretis, si sententiis iudicum iura constituerentur, jus esset latrocinari, jus adulterare, jus testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis aut scitis multitudinis probarentur. §. 47. Sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero. Et lib. II. de Leg. Non est lex scitum populorum. Conf. §. 10. & lib. III. §. 37.

V. Aristoteles Nicom. VII. cap. VI. docet, quasdam circa Pontum nationes sibi invicem infantes ad epulandum mutuare; quas ipse paulo post irrationabiles, ferinos, & solo sensu viventes vocat. Qui corrupti mores cumprimis in nuptiis animadvertuntur. Æoli sex filias sex fratribus a patre esse desponsatas, nobili exemplo incestuosi matrimonii, testis est Homerus Odyss. lib. x. & Diod. Sic. Hist. lib. v. Adde Odyss. lib. vi. Et lib. ix. ἐπιπόση γηραιήν ᾧ ἦεν. Epicaeste nupta suo filio, nempe OEdipodi, interempto patre, quod tamen Homerus ingens vocat facinus, insipientia mentis commissum. Euseb. de preparat. Evangel. l. VI. cap. VIII. ex Bardefano Syro refert, apud Getulos legem esse, ut fœminæ, quibuscunque velint, miscantur, ac præcipue advenis, nec ideo a maritis accusentur, aut adulteræ vocentur, atque idem in Bactris obtinuisse; & multos apud Britannos unam uxorem habere, apud Par-

Parthos contra multas foeminas unum maritum. *Apud Babylonios parentes maritique, liberos conjugesque cum hospitibus stupro coire, modo pretium flagitii detur, patiuntur, teste Curtio lib. v. c. 1. Apud Medos pulchrum foeminae multos habere viros, pauciores quinque, calamitatem arbitrantur. Bohem. de mor. Gen. lib. 1. c. v. Et quae sunt ejusdem furfuris apud varios auctores, quae adscribere supersedeo.*

VI. Integræ gentes mactarunt innocentes, vivos homines immolarunt, scortationes & incestuosa conjugia approbarunt, ideone imitandæ? Quibus convictus Athanasius fatetur pag. 99. posse aliqua, quæ juris naturæ & gentium sunt, per malos mores & consuetudinem introductam, quasi ad tempus obliterari in una vel altera gente; & pag. 318. Deum Israelitis injunxisse, ne ambulent in viis Emorrhæorum, neque in viis gentium Lev. xx. 33. Deut. cap. xii. 30. & cum gentes habent aliquid boni ex lumine naturæ, non ei insistendum, quatenus a gentibus provenit, sed quatenus rectæ rationi, juri naturæ & Divino est consentaneum.

VII. Et observari velim, Grotium, cujus vestigia, in Jure naturæ & gentium, premunt nostri, *Lib. 1. c. 1. §. xi. 1. de J. B. & P. esse aliquid juris naturalis, a posteriore colligendum existimare id, quod apud omnes gentes, aut moratiores omnes, tale esse creditur. Neque Seldenus, de Jure Nat. & Gent. juxta Discip. Hebr. L. 1. c. vi. & vii. omnium Gentium, quarum notitia habita, morum rationem ejusmodi habendam credit, ut inde Juris Naturalis veluti corpus aliquod sperari possit, sed moratorum, & illustriorum scita ac suffragia rite satis interdum adhiberi, judicat, cum nullum ferme juris naturalis caput sit, quod non ex perversis seculorum, ac Gentium etiam illustrium, non solum moribus, sed pariter & legibus latis fuerit violatum. Noster autem Theophilus omnes nobis gentes obtrudit, quibus in usu polygamia, sine ulla distinctione. Athanasius quidem dicit pag. 98. apud plerasque easque moratiores Gentes polygamiam fuisse in usu, sed dicit duntaxat, non probat.*

VIII. Moratiores enim ac cultiores gentes sunt Græcæ & Romanæ, ab omnibus habitæ, & nunc Germanæ, cæteræque Europææ, quæ in condendis legibus suis in consilium non tam adhibuerunt aliarum gentium consuetudines, quam sanam rationem, & doctio-

doctiores ac prudentiores. Illæ tamen, si Aristoteli, Tacito, legibus Lycurgi, cæterisque scriptoribus ac institutis fides, polygamiam non approbarunt, licet unus vel alter, contra institutum, & præter mores populi, aliquid commiserint. Hodieque nulli moratiorum homines a nobis judicabuntur quam Christiani, qui tamen, fatentibus & dolentibus nostris polygamis, non admittunt uxorum pluralitatem. Ex quibus omnibus liquet, non tuto argumenta ex jure gentium desumi posse, quia ipsæ moratiorum non semper dictamen rectæ rationis observarunt. Accedit, quod peccata subtiliora, qualia sunt cupiditates & desideria carnis, non ubique, uti fas est, cognoverint, ad legem naturæ non satis attendentes, quia lege scripta caruerunt, e qua sola Paulus se cupiditatem cognovisse testatur Rom. vii. 7. Et Græciæ cæteræque gentes, quæ se dictitabant sapientes, stultæ factæ sunt in suis ratiociniis Rom. i. Ideoque etiam moratiorum gentium consensus in omnibus, cum primis in iis, quæ libidinem & concupiscentiam spectant, non satis fundatum principium esse videtur boni & mali moralis.

IX. Non ergo consensu hominum probanda est Polygamia, sed consensus hominum adferendus, ut dictum, cum ratione, præcipue cum Scriptura Sacra, quæ sola est doctrina veritatis secundum pietatem, atque vitæ nostræ norma. Unius hominis cum ea consensus plus habet auctoritatis ad persuadendum assensum, quam omnium consentiens in dissentientibus dogmatibus conspiratio Esa. viii. 20. i Joh. iv. 1. Act. xvi. 1. Non attendenda multitudo euntium, sed via, qua eundum. Deus exemplum multitudinis non fixit vivendi normam, sed legem eam, quæ mundi societate egredi jubet 2 Cor. vi. 17. Adhæreamus potius paucis, qui bonum dent consilium, & unum aut duos imitemur, quam centenos & milenos, quibuscum pereamus Rom. xii. 2.

X. Quæ magnifice & cum pompa Lectori ingerunt Theophilus & Athanasius, de polygamia variarum gentium, larva sunt & inutilia probando instituto, ideoque a nobis non omnia excutienda, quemadmodum nec Athanasius omnes ab anti-polygamis citatos auctores evolvere dignatus est pag. 99. neque tamen plane silentio prætereunda, ne adversarii sibi placeant & gaudio triumphant. Admodum suspecta est consuetudo, cujus meminit Josephus *Antiquit. xvii. cap. 1.* *πάτριον γὰρ ἐν ταύτῳ πλείοσιν ἡμῖν*

Q

συ-

συνουγεῖν mos nobis patrius est, plures simul uxores habere; five pluribus adhærere & connubio jungi. Quia ante diluuium auctorem habuit Lamechum ex Kaino oriundum, de quo Sectione sequenti; post diluuium juxta Athanasium nostrum pag. 38. Sabæos, Chami posteros, quorum exemplum vel ideo non tuto imitari licet, quod si non omnes, saltem aliqui sint maledicti Gen. ix. 21. seq. sicut adhuc multi Africani & Indiæ Occidentalis Chami posteri rudes, stupidi & nudi incedere dicuntur, post tot secula impudicitiae patris signa ferentes. Si ergo a Sabæis, quo nomine veteres idololatræ omnes, Chaldæi cum primis, Arabes, Nabathæi, & Charanæi intelligi videntur, Abraham cæterique patriarchæ aliquid hujus rei didicerint, id non erit imitandum, quia populi isti perditissimis fuerunt moribus.

XI. Et perperam faciunt cum Seldeno polygami, quod Hebræorum explicationem hoc loco captent pro argumento veritatis. Non sunt attendenda Hebræorum interpretamenta, ubi suæ student hypothese, & patrocinantur perversæ olim inter Israelitas contuetudini, quam diserte Christus redarguit Matth. xix. 4. 5. Neque tamen diffitetur Seldenus *Uxor. Ebr. lib. i. c. 1x.* non defuisse, qui ex ipsa lege etiam binas uxores Israelitam simul retinere, fas non putarent. Ita enim R. Ami *Gem. Babyl. ad tit. Jevammoth fol. 65. i.* כּוּנָה וּיָחַן כּוּנָה וּיָחַן אִשְׁתּוֹ יוֹצֵא עַל אִשְׁתּוֹ אִשָּׁה בַל הַנּוֹשֵׂא אִשָּׁה עַל אִשְׁתּוֹ יוֹצֵא עַל אִשְׁתּוֹ אִשָּׁה בַל *Quisquis uxori uxorem superinduxerit, oportet eum proreum divorcio ejicere cum dote.* Sed Rabba ibidem tradit, licitum esse homini ducere plures, modo plures alere possit. Alii Hebræi etiam ex illa lege Lev. xviii. 18. idem probare conati sunt, τὴν אחותה pro alteri sumpto, quod verbum etiam ferre, fatetur Seldenus *de Jure Nat. & Gent. juxta Discip. Ebr. lib. v. c. vi.* Quæ tamen hæresis est habita, nec toleranda Sadducæorum opinio, quam nos infra ad Lev. xviii. 18, examinabimus.

XII. Addunt Hebræi, & unicam duntaxat, ex præcepto quodam temporali τὴν Rabbenu Gamalielis tributo, ducendam fuisse, idque non violandum sine pœna excommunicationis, & anathematis; & ubi ex more loci plures Ebræis conjuges jungi non soleant, ibi nec plures a quopiam rite duci: במקום שנהגו שלא לישא אלא אשה אחת אינו רשאי לישא אשה אחרת על אשתו ר נמליאל החריים על הנושא על אשתו אבל ביבמה לא החריים וכן בארוסה ולא פשטה תקנתו בכל מקום שנהגו שלא לישא אלא אשה אחת אלא ער סוף האלף החמישי *ubicunque loci mos obtinuerit,*

tinuerit, ut uxor ducatur tantum unica, non licet aliam uxori superinducere. Rabban Gamaliel etiam Anathemate interdixit, ne quis uxori aliam superinduceret, nisi tantum ex lege de ducenda fratria fratri sine liberis demortuo superstite. Quod idem obtinere voluit etiam in sponsalibus. Sed constitutio ejus passim vim non habuit. Nec ultra finem Chiliadis quintæ interdictum hoc obtinere voluit. Id est ultra finem annorum mundi Chiliadis quintæ juxta Ebræorum calculum. Quæ finem habuit An. Christi 1240. R. Joseph Karo in *Schulchan Aruch lib. Eben. hæf. c. 1. §. 10.* & *Arba Turim* eodem tit. cap. 1. Et durasse, scribit Seldenus, loco citato, apud Ebræos polygamix usum sive jus, usque ad tempora Theodosii, Arcadii & Honorii An. Chr. cccxciiii. quorum rescripto sancitum L. 7. C. de *Judeis & Cœlicolis, ne quis Judæorum morem suum in conjunctionibus retineret, nec juxta legem suam Nuptias sortiretur, nec in diversa sub uno tempore conjugia conveniret.* Et in Synopsi Basilicon lib. 1. tit. *ἠὲ τῶν Ἰουδαίων; καὶ τὰς κοινὰς Ἰουδαίου γαμετῶσαν νόμος.* Juxta leges communes Judæi matrimonia contrahunt.

XIII. Buxtorfius F. in *Synagoga* Cap. xxxix. digamiam putat hodie in regionibus Europæis non esse amplius inter Judæos usitatam, neque etiam permissam. Sed Seldenus in *Ux. Heb. l. 1. c. ix.* hodie apud Europæos Judæos, veluti qui in Italia ac Germania degunt, infœcundæ uxori, prolis gratia, idque non sine Pontificis Romani indulto, interdum superinduci, scribit: Quod ex R. Leonis Mutinensis, Venetiis Archisynagogi, de *moribus Hebræorum libello, seu Historia de gli Riti Hebraici part. iv. c. 11. §. 2.* didicisse se fatetur. Mea versio Gallica hujus libelli paulo aliter habet: il est permis a tout Juif d'avoir plusieurs femmes. Ce qui est pratiqué par les Levantains; mais cela n'est pas souffert parmi les Allemans, & ne se pratique que tres-rarement en Italie, & seulement lors qu'après plusieurs années de mariage on n'a point d'enfans de sa femme. Ex quibus omnibus evidens satis est, a Deo non esse mandatam polygamiam, quod contendunt nostri, ita ut omnes homines delinquant, & maledicti sint, si plures non ducant uxores, quum Judæi suo more præceptum de Sabbatho, de circumcissione, de carne suilla non comedenda, & similia, ad superstitionem usque observent, neque ab illa observantia ullis legibus, interdictis aut comminationibus regum & principum, abduci possint.

XIV. Et quamvis polygamia Judæis in usu fuerit, non tamen conjugium contraxerunt, per quod vir uno tempore duas pluresve sibi legitimas adjunxerit uxores, sed פילגשים concubinas habuerunt, uxores secundarias primariæ adjunctas & subditas vel ingenuas & Israeliticas, quarum liberi hæreditatem adibant, juxta Seldenum *de success. in bona def. Cap. III.* vel ancillas seu extraneas sive gentiles, quarum liberi legatis tantum, non etiam hæreditate paterna fruebantur. Maimonides *Hilch. Nechaloth. cap. I.* כלל יורש כלל או מן הנכריות אינו יורש כלל *fi'us ex ancilla aut extranea susceptus nullo modo hæreditatem capit.* Differentiam inter uxores & concubinas tradunt Talmudici in *tu. Sanhedrin fol. 21. 1.* כתיב נשים ומאי פילגשים אמר רב יהודה אמר רב נשים ככתובה ובקידושים קרושים בלא כתובה וכלא קרושים *quid uxores? quid concubina? ait Rabb Jehuda; ait Rabb, uxores fieri literis vel pactis dotalibus, & sponsalibus; concubinas carnisse literis dotalibus & sponsalibus.*

XV. Abarbenel autem *commentario in Judicum XIX.* quem exhibet nobis Cl. Buxtorfius *de Spons. & Div. §. 17.* in hodierno Talmud errorem esse existimans, פילגשים concubinas ductas fuisse dicit בקדושין *per legitima sponsalia*, sed בלא כתובה *sine dotis scriptione & assignatione*, quod utrumque requiritur ad veras nuptias. Secutus in ea expositione R. Salomonem Jarchi, quem suspicatur, verba Talmudica בקדושין וקידושין בלא כתובה וקידושין בלא כתובה *absque instrumento dotali, sed cum sponsalibus.* Ita ut uxor quidem ducatur *cum desponsatione & instrumento dotali; concubina vero cum desponsatione, absque instrumento dotali.* Hanc suam sententiam confirmat Abarbenel ex eo, quod concubinæ נשים uxores vocentur 2. Sam. v. 13. c. XII. 11. c. XVI. 21. c. XX. 3. quia desponsatæ sint, & uxorum rationem habeant, & vetitum sit, sine sponsalibus cum muliere rem habere, sicut Israelitæ cum suis concubinis. Neque tamen hoc genus matrimonii probat Abarbenel, sicut in sequentibus patebit, sed Israelitis permissum fuisse censet. Et Musculi Commentarius in Genes. Caput XVI. de concubinis a Theophilo citatus subjungit: *Nec convenit, ut ea vel damnemus in patribus, vel ad imitationem usque probemus.* Th. VII. IX. X. Theophilus de libello repudii, de necessitate conjugii & cœlibatu agit, sed non probat, quod probandum.

XVI. Polygamiae usum fuisse inter Syros, Edomæos, Cananæos, Ægyptios, Babylonios & Perias, cæterosque vicinos populos, ex Diod. Sic. & Herodoto, probatum eunt Theophilus & Athanasius, haud perpendentes illa verba Dei connubiales leges ferentis Levit. xviii. 3. *Secundum opera terra Ægypti, in qua habitastis, ne facitote: similiter secundum opera terra Canaan, in quam duco vos, ne facitote, & in statutis eorum ne ambulatote.* Multi quidem prisca Ægyptiorum mores non tantum ab indigenis probati fuerunt, sed in magnam quoque apud Græcos admirationem venerunt, teste Diod. Sic. *Hist. lib. 1.* ita ut inter doctos celebratissimi quique, ob legum & studiorum cognitionem, peregrinationibus in Ægyptum operam dederint. A Deo tamen eorum mores sunt improbat. Neque putem, polygamorum par comprobare, quod ab eodem Diodoro de Ægyptiis memoriæ proditum est *Hist. lib. 1. c. xxvii.* *Lege etiam Ægyptiis statutum est, ut præter communem aliorum hominum morem, cum sororibus matrimonium ineatur; quod Isis apud ipsos feliciter hoc successisset: hac enim Osiridi Germano nupsit.* Et paullo post: *Ob has igitur causas in more positum est, ut plus potestatis & honoris sit penes reginam, quam regem, & in tabulis dotalitiis, inter privatos imperium fœmina in virum assignetur: ubi uxoribus per omnia se obtemperaturos, mariti proficiantur.* Refert Sextus Empir. *Pyrroh. Hypot. l. iii. c. xxiv.* Mulieres corpus prostituere apud multos ex Ægyptiis etiam honoratum; & quasdam apud illos puellas ante nuptias dotem ex arte meretricia quærere, deinde nubere. Quibus adde, quæ Thesi v. de Babyloniis ex Curtio, citata. Ne dicam, quod Athanasius credat, plerosque illos populos, quibus polygamiam in usu fuisse juxta cum Theophilo tradit, a Sabæis esse oriundos, qui moribus erant corruptissimis.

XVII. Ex Græcia magnam ejusmodi polygamorum, sapientum, magnatum, regum, principum, cumulat farraginem, quos in suis monumentis reliquerunt Diod. Siculus, Diog. Laertius, Plutarchus, cum primis longa serie Athenæus de *Deipnos. lib. xiiii.* Sed minime fugit nostros, ipsos Sapientes non caruisse suis nævis. Zenoni, Chrysippo, Diogeni item Cynico ac Platoni placuit, *ἡρώας εἶναι τῆς γυναῖκας δὲν ὡς τῶν ἀνδρῶν τῶν κοινῶν uxores communes esse oportere apud Sapientes, ut scilicet quilibet illi ingrediatur, qua sibi prior occurrerit.* Diog. Laert. *lib. vii.* Ideone hoc probandum? Mul-

ta hodieque a regibus & magnatibus, qui legibus se solutos esse putant, patrantur, quæ minime laudanda vel imitanda. Ipsos Reges Hebræorum, quorum erat legem Dei describere, & juxta eam, vitam instituire, in hisce graviter peccasse, sacri scriptores adnotarunt. Suidas quidem memorat in *λειπανδρεῖν*, Athenienses, cum vellent (populi) multitudinem augere, quod virorum penuria laborarent, decrevisse, ut (singuli cives) unam quidem civem ducerent uxorem, sed e peregrina (seu meretrice) etiam liberos procrearent. Quamobrem & Socratem hoc fecisse. Pariter Diog. Laertius *lib. II. Socratem duas uxores duxisse, Xanthippen & Myrtonem, Aristoteles autor est. Alii Myrtonem prius duxisse, plerique utraque simul habuisse tradunt, ex quibus Satyrus est, & Hieronymus Rhodius. Nam Athenienses, quum bellis ac lue civibus exhaustam civitatem reparare, sobolemque propagare vellent, decrevisse referunt, uti urbanam quidem unam uxorem cives ducerent, liceret autem & ex altera procreare liberos: Idque tum & Socratem fecisse.* Ex quibus liquet, qua occasione Socrates duas duxerit uxores, si simul eas habuerit, quod nonnulli negant; unde perperam colligit Theophilus, hanc temper & ubique in Græcia consuetudinem obtinuisse.

XVIII. Contrarium testatur ipse Athenæus ab adversariis citatus *Deipnos. lib. XIII. mox post initium. ἐν δὲ Αθήναις πρῶτος κέκροψ, μίαν ἐνὶ ἐξευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον ἔσῶν τῶν συνόδων & κοινωγαμίαι ὄντων Athenis primus Cecrops* (quem Doctiss. Huetius *Demonstr. Evang. Propos. IV. c. VIII. §. 8.* Mosem fuisse ostendit, seu Mosis effigiem,) unam esse unius edicto sanxit, cum antea licenter ac inverecunde cum viris fœmina congregarentur, & nuptiæ communes essent; seu adnotante Jac. Dalechampio, tot uxores haberet quisque, quot vellet & cuperet: vel cum obvia quavis muliere, sine discrimine coiret. Non mirum, ante leges a Cecrope, Lycurgo, cæterisque Sapientibus latas, in tantam gentiles effulos fuisse libidinem. Eadem de Cecrope tradere Joannem Antiochenum, Seldenus *e MS. biblioth. Oxon. refert de J. N. & G. juxta disc. Ebr. lib. V. c. VI.* quod edicto jussit fœminas, quotquot virgines in illius regno essent, *γαμείσθαι ἐνὶ ἀνδρὶ, viro unico nubere.* Nam ante ejus regnum more ferino fœminæ Atticæ commiscebantur, cuicumque pro libitu vellent. Quibus sexcenta addi possent, cum ex iisdem, tum aliis hujus gentis monumentis.

XIX. Ipse

XIX. Ipse Seldenus, e quo nostri variarum gentium polygamiam probant, libro modo citato *cap. vi.* non diffimulat, *ius hoc polygamia in Oriente olim hodieque passim in usu. in Occidente non item. in hoc raras satis esse binas simul nuptias.* Aristonem Regem Spartanorum in exemplum suorum subditorum tres habuisse uxores, ex Herodoto edoctus est Theophilus. Ast si quis inspexerit Herodoti *Hist. lib. vi.* facile animadvertet, talia de istius regis nuptiis referri, quæ subditis non imitanda, & neutiquam a Christianis approbanda. *Ariston, inquit, Sparta regnum obtinens cum e duabus uxoribus liberos non susciperet, & in se culpam ejus rei non esse agnosceret, tertiam duxit uxorem, & quidem Ageti amici sui hac fraude: Ageto sodali suo, cujus illa erat uxor, recepit se dono daturum unam e suis rebus, quamcumque ille optaret: atque invicem jussit illum simile munus sibi dare. Agetus nihil de re uxoria suspicatus, quum videret Aristoni quoque uxorem esse, accepit conditionem, & in eam rem jusjurandum interposuit. Cui mox Ariston e suis rebus pretiosis donavit, quam ille elegit. Ipse vicissim cum ejus partes petendi muneris ab illo fuerunt, illius uxorem abducere studebat. Agetus dicere, se præter hoc unum cætera annuisse: jurejurando tamen adactus ac dolo seductus eam abducere permisit: ita tertiam hanc Ariston, repudiata secunda, duxit uxorem. Gregium sane exemplum a Theophilo propositum, subditis imitandum.*

XX. Quæ ex historia Romana producit ad probandam polygamiam, nihilo sunt veriora. More enim suo Scriptores vel male interpretatur, & in falsum sensum torquet, vel male applicat, vel omittit, quæ erant adjicienda. Primum Imperatorem Julium Cæsarem legem tulisse, *ut liberorum querendorum causa quot vellet quisque uxores ducere facultas foret*, ex Suetonio refert, tacito capite, ideo forte, ne quis statim fraudem deprehenderet. Lege, quæ habet elegantissimus scriptor *cap. XLIX.* de Julio Cæsare, ubi *eum Dolabella pellicem regina, spondam interiorem regia lectica, ac Curio stabulum Nicomedis & Bithynicum fornicem dicunt. Gallico triumpho milites ejus vulgatissimum illud pronuntiaverunt:*

Gallias Cæsar subegit, Nicomedes Cæsarem:
Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias:
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

XXI. Cap.

XXI. Cap. L. pergit Suetonius in ejus vita: *pronus & sumtuosus in libidines fuisse constans opinio est, plurimasque & illustres feminas corrupisse.* Cap. LI. *Ne provincialibus quidem matrimoniis abstinuisset, vel hoc disticho apparet, jactatato aque a militibus per Gallicum triumphum,*

Urbani servate uxores, mœchum Calvum adducimus.

Aurum in Gallia effutuisti: heic sumpstisti mutuum.

Cap. LII. *Dilexit & reginas, Eunoen Mauram, maxime Cleopatram. Denique Helvius Cinna Trib. pleb. plerisque confessus est, habuisse se scriptam paratamque legem, quam Caesar ferre jussisset, cum ipse abesset, uti uxores liberorum quærendorum causa, quas, & quot vellet, ducere liceret. Ac ne cui dubium omnino sit, & impudicitia eum, & adulteriorum flagrasse infamia, Curio pater quadam eum oratione, omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem appellat. Quamvis Suetonius Legem, non rogationem appellet, quia tamen vellet dicit in singulari, id sibi ille sumpstisse, non omnibus permittum videtur. Eru- ditissimus Casaubonus adnotat, dicere *quas*, quia illi & civi Romano & Senatori, non cum omnibus jus fuit connubii: puta, cum ea, quæ esset sanguine propius juncta, cum peregrina, cum liberta aut serva; dicere *quot*, quia legibus Rom. non permittitur *πολυγαμία*. Si vel ergo lex talis lata a Julio Cæsare, in libidines prono, id non præjudicat monogamiæ Romanis usitata.*

XXII. Ideoque M. Antonius, teste Plutarcho in ejus vita *πρῶτον μὲν ὁμῆ δύο γυναῖκας ἤγάγετο, πρᾶγμα μηδὲν ῥωμαῖοις πεπονημένον primum, quod erat apud Romanos inauditum, duas simul accepit uxores. Deinde civem & justam uxorem expulit domo, quo peregrina & illegitima indulgeret. Unde ex matrimonio huic summa mala. In eo vitium ponit Plutarchus, non quod libidinis tantum causa duas duxerit, quemadmodum Theophilus interpretatur, sed quod simpliciter præter morem duas sibi matrimonio junxerit. Simile est, quod de Claudio, quem Theophilus noster oblitus est, narrat Suetonius lib. v. c. xxvi. Sponsas admodum adolescens duas habuit: *Emiliam Lepidam, Augusti proneptem: item Liviam Medullinam; priorem quod parentes ejus Augustum offenderant, Virginem adhuc repudiavit: posteriorem, ipso die, qui erat nuptiis destinatus, amisit. Uxores deinde duxit Plautiam Urgulanillam, triumphali, & mox Aliam Petinam, consulari patre. Cum utraque divortium fecit: sed cum Petina, ex levibus offensit: cum Urgulanilla, ob libidinum pro-**

bra

bra & homicidii suspicionem. Post has Valeriam Messallinam in matrimonium accepit, qua C. Silio etiam nupserat, publice, vivo Claudio, absente tamen. Et paullo post: illecebris Agrippina, Germanici fratris sui filia, per jus osculi & blanditiarum occasiones pellectus in amorem, subornavit proximo senatu, qui censeret cogendum se ad ducendam eam uxorem, quasi Reip. maxime interesset. dandamque ceteris veniam talium conjugiorum, qua ad id tempus incesta habebantur.

XXIII. Hic vides, quid reges & principes interdum constituent, & jubeant, ut suis voluptatibus indulgeant. Ne videretur Claudius propinquitate sanguinis incestum committere (contra Levit. xviii. 12.) eam in rem Senatusconsultum postulavit, ut in posterum nuptiæ inter patruos fratrumque filias justæ statuerentur. Verumtamen Tacitus lib. xii. *Annal.* scribit, non nisi unum repertum esse, qui talis matrimonii cupidus fuisset; Suetonius duos refert. Sed hoc Senatusconsultum postea a Nerva Imperatore est abrogatum. Atque ita satis apparet, quanti ponderis sit argumentum ab Imperatore Christiano Valentiniano petatum, ejus omnes nostri Polygamiae defensores faciunt mentionem. Theophilus Thesi xlii. Athanasius ad eam pag. 89. 90. Daphnaeus Arcuarius inde a pag. 162. ad 180. duas uxores simul habuisse Valentinianum, deque bigamia legem tulisse ex Socratis Hist. Ecclesiasticae lib. iv. c. xxvi. Pauli Diaconi Hist. xii. Nicephori Callisti lib. xi. c. xxxiii. aliorumque monumentis probant, iterum obliti sui Seldeni, cujus judicium adscribere non piget ex *Ux. Ebr. lib. i. cap. ix.* sub finem. Valentinianus Augustus (si Socrati fides) legem tulerat ὡς εἴναί τῷ Ἐξλομένῳ δύο νομίμως ἔχειν γυναῖκας Ut cuilibet pro libitu fas esset duas habere uxores. Ipse nempe Justinam Severæ superinduxerat. Hoc ne contra legem facere videretur, eam ita novari voluit, tum Christianismi de nuptiis scita, tum mores Majorum nimium impugnans. Ita scilicet Socrates, qui sub annum post Valentinianum hunc septuagesimum scripsit. Paullo post: Sed vero ob egregiam rei insolentiam, & quoniam non omnino reperitur in auctoribus ætatis illius reliquis (veluti Ammiano, Zozimo, Orosio, Patribus item Christianis, qui de re matrimoniali toties disputant) in quibus si ita se res revera habuisset, vix credibile est, eos silentio eam prætermisisse, ideo ut fabulam seu figmentum plane rejiciendum pluribus contendit Baronius *Annal. Tom. 4. Anni 370. §. 125.* nec

magis binas ejusdem simul uxores illas, quam ipsam ejusdem legem de pluribus simul uxoribus ducendis admittens. Hactenus Seldenus. Si ergo vel vera esset historia, quod tamen plurimis non videtur, eo saltem sine legem illam tulisset, ut qui vellent, impune bigamiam contraherent, ne hoc suo delicto plurimos offenderet. Et qui historiam tradunt, Imperatoris exemplum neminem imitatum esse volunt. Ideoque huc deveniendum non est, ut probetur, quicquid non fuit in Principibus expresse reprehensum, id licitum esse. Quia notum est, quam licentiosi sint interdum in nonnullis Principes, alioqui pii & religiosi. Eadem valet responsio ad objectum Æthiopum regem Christianum, si vera sit historia, quod quatuor uxores reginas sustentaverit. Seldenus Christianorum polygamorum in Oriente non meminit.

XXIV. Denique non moramur producta ex auctoribus de paucis polygamiis, qui reperti sunt olim in Germanis. Certissimum enim est, quod e Tacito *de moribus Germanorum cap. xviii.* allegavit Theophilus, *solos prope barbarorum singulis uxoribus contentos esse, exceptis admodum paucis, qui non libidine, sed ob nobilitatem, plurimis nuptiis ambiantur, explosa polygamia simultanea, imo apud nonnullos etiam successiva. Cap. xix. prope finem: Sic unum accipiunt maritum, quo modo unum corpus, unamque vitam, ne ulla cogitatio ultra, ne longior cupiditas, ne tanquam maritum, sed tanquam matrimonium ament. Ut ita duo essent in carnem unam, juxta primam institutionem. Quemadmodum Phil. Cluverius Germania Antiq. lib. 1. cap. xx. tradit, hoc Germanos nostros ex memoria & observatione divini præcepti, quod Deus dederat Adamo Gen. 11. 24. didicisse, atque ab proavis suis, Noacho, Japheto, Gomero, Aschenaze in Asia acceptum, quam religiosissime postea observasse. Admodum pauci, Reges scilicet atque Principes, ex vicinarum gentium traxisse moribus videntur polygamiam, non ex majorum institutis; uti Ariovisti, Marcomannorum Regis, duas fuisse uxores, refert Cæsar bell. Gall. lib. 1.*

XXV. Quid amplius? Brachmanes, Indos, Chineses, aliosque barbaros producant. Quasi vero illi Christianis vivendi norma esse debeant, ad quorum mores se ne quidem componunt alii gentiles. De barbaris, qui per Arabici sinus oram, & per Troglodyticam, Æthiopiamque ad Austrum, sunt diffusi, refert Diodorus Sic. *Bibl. Hist. lib. 111. cap. xv. quod quidam profus*
nudi

nudi vitam agant, quibus uxorum & liberorum non secus ac gregum armentorumque communio, voluptatis & laboris usus nullus præter naturalem: nec ulla turpis & honesti notio. Cap. xvii. Cum fœminis, quasunque fors offert, sobolis causa generanda, commisceantur. De Americanis Hieronymus Bezon. Mediolanensis scribit par. iv. & xiii. quod sint polygami, & facile uxoribus nuncium mittant; mox ubi consenuere, eas ablegent, & juniores adsciscant, suarumque conjugum virginitatem delibandam tradant sacerdotibus. Joannes Lerijs Burgundus *Navigazione in Brasiliam America cap. xvi.* cuilibet illic viro tot uxores ducere, quot visum fuerit, licere, & hos tantum gradus observari, ut nemo eorum matrem, sororem vel filiam in uxorem ducat: reliquorum rationem nullam haberi. Gotardus Arthusius *India Orient. Par. vi.* narrat, in regno Berin uxores regem complures habere, ultra 600 sæpe, quamvis non omnes sint legitimæ, nobiles sæpe 80 vel 90, nec quenquam tam abjectæ fortunæ reperiri, qui non decem vel duodecim uxores domi suæ habeat. Et *Par. ix.* uxores Calicutenses, mortuo viro in ignem se præcipitare, quia decem, viginti, vel triginta habeant. Ecce quam egregii hi erunt Magistri in rebus matrimonialibus.

XXVI. Tandem apud Theophilum agmen claudunt *Turca*, uxorum pluralitate gaudentes, qui quidem in multis circa religionem dissident ab hodiernis Persis, in polygamia tamen conveniunt. A Persis eam a multis temporibus observatam esse, Strabo testis est *lib. xv.* qui id fieri, ait, ab iis multiplicandæ prolis gratia. Hodie vero explendæ potius libidinis causa, plures assumi uxores, Olearius censet *Hodæp. p. 602.* traditque, Persas uxorem comparare Calendario, cujus modo in singulos annos ulus esse potest. De Turcis refert Busbequius *Epistol. p. 136.* iis licitum esse plures uxores, (quatuor scilicet simul, uti testantur Cotovicius *p. 192.* & Breuningius *Iin. Orient. p. 57.* non ultra, Th. Smith *de Moribus & Institutis Turcarum.*) pellices autem sive concubinas, quæ non nisi dote a justis uxoribus distinguuntur, quot opibus suis quisque sustentare possit, ducere. Quot autem & apud eos polygamia pariat lites & molestias, diæterium quoddam Turcicum celebris Poëtæ arguit:

אִכִּי אִישׁ בֵּיר כְּרֵאוֹן *Duo asini, una Caravana,*
אִכִּי אִרוֹת בֵּיר רֵיוֹן *Dua uxores, unum forum.*

R 2

Vel

Vel clarius: Duo afini tantum creant molestiæ, quantum totus comitatus; & ubi duæ mulieres, ibi ob lites perpetuum est forum.

XXVII. Tam Persæ autem quam Turcæ hac in parte sequuntur Mohammedis Pseudo-Prophetae sui, hominis libidinofissimi, & præceptum sive permissum *Sur.* 8. & exemplum, cum iste teste AbulFarajio p. 14. septendecim uxores, juxta AbulFedam aliofque, quindecim, juxta quosdam vero plures, quam viginti uxores habuerit. In numero enim assignando, inquit AbulFarajius, variatur. Ex quibus depravatus moribus, & insatiabili libidine, Mahometem verum non fuisse Prophetam, facile apprehenditur. Zeydino servo uxorem abstulisse; cum Marina, puella Judæa 15 annos nata, adulterium commisisse, & cum Axa non amplius octo annos nata concubuisse, & nullos limites suæ libidini posuisse dicitur. Quam ob causam matrimonii leges ampliavit, & quod vetitum apud alias gentes, licitum fecit. Quemadmodum ante de Imperatoribus observatum. Atque ita paucis Thefibus tot folia Theophili & Athanasii refutavimus.

XXVIII. Ex quibus omnibus planum, quam parum tribuendum sit in hac controversia juri gentium, cum non omnium præceptorum ad legem naturæ pertinentium immediata persuasio in omnium & singulorum hominum animis reperitur, sed in omnibus generalia saltem honesti & turpis principia dentur, unde menti, si recta ratione uti voluerit, facile est, plurimas per ratiocinationem conclusiones firmissimas elicere, quemadmodum hac in parte a multis gentibus factum est. Cui veritati nihil deccedit per diversissima sæpe hominum de officiis quibusdam officia.

SEC.

SECTIO TERTIA.

DICTA ET EXEMPLA DE NUMERO CON-
JUGUM, QUÆ OCCURRUNT ANTE
LEGEM, INDE A CREATIONE US-
QUE AD MOSEM, EXAMINAN-
TUR.

CAPUT I.

*Omnia S. Scriptura loca ante legem de Monogamia & Polygamia re-
censentur. Deinde Caput IV. Geneseos non parabolice,
sed literaliter & historice esse intelligendum, ex
Abarbenele ostenditur.*

EXpendimus Institutionem Conjugii inter Duos, ejusque convenientiam cum jure naturæ, & consuetudine moratorum Gentium: nunc ordo & series rei postulat, ut ad exponenda Sacræ Scripturæ dicta, & exempla cum monogamica tum polygamica Patriarcharum nos accingamus, qui secundum jus naturæ & revelationes divinas, traditionesque majorum, ante Legem Mosaicam, mores & vitam instituerunt. Nullum est Sacræ Scripturæ dictum aut præceptum, tam in V. quam in N. T. quod plures uxores adjungat uni viro. Quod hoc Capite primum demonstratum ibimus ex Geneseos, & Exodi historia. Quo faciunt loco sequentia. Gen. IV. 1. 17. 25. cap. VI. 18. VII. 7. 13. VIII. 16. 18. XI. 29. 31. XII. 2. 8. 9. 14. 15. 16. 17. XIII. 1. XVI. 1. 3. 6. XVII. 15. 19. XVIII. 9. XIX. 15. 16. 26. XX. 2. 3. 7. 11. 12. 14. 17. 18. XXI. 21. XXIII. 19. XXIV. 3. 4. 5. 7. 8. 36. 37. 38. 39. 40. 44. 51. 67. XXV. 10. 12. 20. 21. XXVI. 7. 8. 9. 10. 11. XXVIII. 1. 2. 6. XXIX. 18. 20. 21. 25. XXXIV. 4. 8. 12. XXXVII. 2. 6. 8. XXXIX. 7. 8. 9. 19. XLI. 45. XLIV. 27. XLIX. 31. Exod. II. 1. 21. 22. cap. IV. 20. 25. VI. 20. 23. 25. XVII. 1. 2. 5. 6. Huc etiam pertinent, quæ in libro Jobi Arabis Theologi, (qui post Jacobum vixisse censetur) occurrunt cap. II. 9. c. XIX. 17. vocat *filios uteri sui*, quos mater gestat in utero, quia venter uxoris etiam viri est, & vice versa. Adde cap. XXXI. 1. 9. 10. Quæ omnia dicta atque exempla ante legem docent consuetudinem, qua una uxor quæsitæ, ductæ, unice amata.

R 3

II. Con-

II. Contraria autem dicta & exempla in eadem historia Gene-
 seos occurrunt Gen. iv. 19. 23. cap. xvi. 1-5. xx. 2. 17. xxii. 24. xxv.
 1. 6. 10. 12. xxvi. 34. (five cap. xxvii. 1.) xxviii. 9. xxix. 25.
 27. 28. 30. 31. xxx. 3. 4. 5. 9. 10. 26. xxxi. 17. 50. 53. xxxii. 22. xxxiii.
 1. 2. 6. xxxv. 22. xxxvi. 2. 6. 10-18. xxxvii. 2. Quæ nunc a nobis dis-
 cutienda, ut unusquisque videat, an illa institutioni & juri naturali, in
 creatione a Deo fixo, præjudicent, & polygamiam bona conscientia
 sine scrupulo usurpari posse, probent. Rectissime autem Cl.
 Heideggerus de *Historia sacra Patr. par. 1. Exerc. vii. §. vii. Ne-
 que obstat*, inquit, *quod tum ante, tum post legem latam etiam apud
 bonos, polygamia vixerit, & apud Moysen præcepta data sunt polyga-
 mia. Non enim de rectitudine & honestate actuum in civitate Dei ju-
 dicari debet ex moribus quamvis sanctorum; sed ex lege & manifesta
 ratione.* Primus Polygamus, qui refertur in Scriptura, *Lame-
 chus* est Gen. iv. 19. Ad quam historiam priusquam deveniamus,
 ex Abarbenelis *Commentario in Legem*, quia in omnium ma-
 nibus non est, & a nemine adhuc, quod viderim, illud ex ullo scri-
 ptore productum, huic Dissertationi propter viam inserere vi-
 sum est, utrum scilicet Capite iv. Geneleos parabola, an vero
 historia liberaliter exponenda contineatur. Verba ipsa Abarbene-
 lis ita habent:

ואקדים בפירוש הפסוקים האלה להודיעך שהרב המורה יפרש גם כן ענין קין והבל
 ושת על צד הצורה והרמוז כי הוא כתב פרק ל חלק ב וול ומטה שצריך שתדענהו
 גם כן ותעורר עליו אופני החכמה בקריאת שמות בני אדם קין והבל והיות
 קין הוא ההורג את הבל בשדה ושם יחדו אבדו אף על פי שהאריך לרועה ושלא
 התקיים מציאות אלא לשם שנאמר כי שת לי אלהים זרע אחר הנה כבר התאמת
 זה עד כאן אבל הרלבנ כתב בפירושו לתורה וול וכבר טעו מזה קצת גדולי
 החכמים המתאחרים ועשו ציורים בענין קין והבל ושת והפסידו בזה דעת התורה
 כי ראוי שתדע שאין ראוי שיעשה צורה בדברי תורה אם לא במקומו אשר יחוייב
 בהם התמנעות כפי הפשט ואם היה השער מסור ביד האנשים הנה הפול התורה
 נכלל ולא ימשך ממנה התועלת המכוון בה וזה מבואר מאד עד שהאריכות בזה
 מותר עד כאן ונראה מדבריו שחשב שהרב המורה והנמשכים אחריו ברמוז הזה
 יחישו השתלשלות הדורות ולכן אמר שתפסד בזה דעת התורה וכן הוא בלא
 ספק דעת מפרשי המורה כלם ועם היות שהם לא עשו על זה טענה כלל בעור
 הדב הנני טוען בזה ה טענות להוכיח שענין קין והבל ושת באו על צד המשל
 והרמוז אלא היה ולא קרה דבר מזה הספור ואחר כך אשיב עליהם ואוכיח שפשטי
 דבתובים אמת ויציר וקיים ושהרב זה דעתו גם כן עם היות שהוציא מזה הספוד
 למודים על דרך הרמוז והנפתרי השענה האחת ממה שכתוב אחר תשלום זאת הפרשה
 זה כבר תולדות אדם וגומר ויתי אדם קל שנה וילד ברמותו בצלמו ויקרא את שמו
 שת ומשם ואילך נמשך השתלשלות הדורות ויראה מזה ששת היה בן אדם הכבוד
 ושקין והבל לא היו בעולם שאם לא כך תפול השאלה למה נזכרה לידת שת

שתי פעמים אלא כמו שאמר הרב ביצירת אדם שנוכרה שתי פעמים אחת כפי פשוטה ואחת על דרך משל הטענה הב שאתה תמצא שבתולדות אדם לקין והכל לא זכר הכתוב לכמה שנים הולידם וכן תולדות קין את חנוך וחנוך לעיר ועיר למחויאל ומחויאל את מתושלח ומתושלח את למך שלא נאמר בשום אחר מאלה בכמה שנים הולידו ולא כמה ימים היו ימי חייהם ולא שהולידו בנים ובנות כמו שנאמר כל זה בפרשת זה ספר תולדות אדם באותם הדורות וזה יוכיח שהתולדות שנוכרו בפרשה לא היו תולדות ממש כאותם שנוכרו בפרשת זה ספר תולדות אדם אבל שכאו התולדות האלה על צד המשל והרמז הטענה השלישית שאתה תמצא בפרשת אלה תולדות השמים והארץ ובפרשת והאדם ידע שתמיד נזכר שם אדם כהא הידיעה ושם את האדם וכן כלם אבל מלידת שת והלאה לא נזכר שם אדם כהא ידע אדם עוד את עמו אשתו זה ספר תולדות אדם ויח אדם ויהיו ימי אדם מבלי הא ידיעה וזה יוכיח שהפרשיות ההן שנוכרו בה האדם כהא הידיעה נאמר על האדם הכלל במינו לפי שהא הידיעה לא תפול על שם הפרטי כמו שזכר הרבאנן עזרה והיו אם כן הספורים ההם משל אבל בפרשת זה ספר תולדות אדם שזכר הכתוב מאדם הראשון הפרטי כפי פשוטו לא זכרו כהא הידיעה כלל הטענה הרמה שמצאנו בדברי הימים כשעזרא ספר השתלשלות הדורות אמר אדם שת אנש קין מהלאל ירד ולא זכר קין והכל והוא המורה שלא היו ולא נבראו אלא למשל היו כי עם היות שמתו קין והכל בחיי אביהם היה ראוי לזכרם כמו שזכר בני יהודה ער ואונן ושלהי וכבני אהרן נרב ואביהו אלעזר ואיתמר עם היות שמתו נרב ואביהו והטענה הה היא מדברי רול שאמרו בבראשית דכא שביום הששי שנברא אדם ונכנת האשה בהיותה בגן בו ביום הרתה חוה וילדה קין והכל ושלהי תאומות שנולדו עמהם שעלו שנים למטה וירדו שבעה ואיך יתכן שהרתה וילדה חוה את בניה חמשה בכרם אחר כלו בשעא חרף ואם נעשה בדרך הפליאה ככריאת אדם מן האדמה וזהו מן הצלע איך לא זכרתו התורה זה יוכיח שהוא ענין משל כי כמו שזכרנו חול בעין החיים ועין הדעת ודברי הנחש הביאו לרב המורה להכחיש הפשט ולעשות צורה באותו הספור כמו שנוכר למעלה כן דבריהם אלו הביאוהו לומר כן בענין קין והכל אלה הן הטענות ששערתי לטעון כנגד ספור קין והכל אבל אין ספק אצלי שהרב המורה לא כן יחשוב ולכבו לא כן ידמה כי אם שפשט הספור הזה היה כמו שנכתב ומלכד אמת פשוטו עוד ירמוז הספור הזה לענינים מדעיים וזהו שאמר הרב שכאו אופני החכמה בקריאת שמות בני אדם קין והכל וספור ההריגה והנודוד כי לא יחפין הרב מפני זה שלא היו בעולם אבל שהיה ענינם כענין אביהם שצירח אמת כמו שנוכרה במלאכת היום הו אבל ספור ענינו היה משל וסימן לורעו בני אדם וצאי הלצוי כן יאמר בענין קין והכל שהיה ענינם וספורם כמו שנכתב ושמלכד זה ישבורמו וסימן לטבעי בני אדם בכלל.

In expositione versuum illorum biblicorum prius tibi indicato, quod R. Moses Maymonides, id quod de Kaino, Habele & Setho narratur, sensu figurato & mystico quoque explicet, quem admodum videre est in More Neuchim Par. II. Cap. xxx. Hac sunt verba ejus: Debes etiam scire & moneri de multiplici sapientia, qua latet in impositione filiorum Adami, Kajini & Abelis; de eo, quod Kajin interfecerit Habelem in agro, quod ambo simul perierint, quamvis interfector diutius hujus vita luce usus fuerit, & quod non

nisi

nisi Seth superstes manserit, juxta id; quod dicitur (Gen. IV. 25.) quia posuit mihi Deus semen aliud. Et hoc confirmatum est. Hucusque (Majmonides.) Sed R. Levi ben Gersom in suo Commentario in Legem hac verba scripsit: Jam ante nonnulli Sapientes posteriores in eo errarunt, quod figurative explicuerint negotium illud Kajini, Hebelis & Sethi, atque in eo sententiam verbi Dei corruerint. Etenim scire oportet, quod in verbis Legis figuram & metaphoram fingere non liceat, nisi istis in locis, quae si secundum literam explicentur, necessario impossibilitatem inferunt. Et si homini aestimandi facultas permittatur, verbum Dei plane corruet, neque inde utilitas proficiscetur, quam (Deus) intendit, quod adeo clarum & evidens est, ut prolixior ejus explanatio sit superflua. Ex quo sermone (Rabagi) liquet, quod sibi persuaserit, Majmonidem, & qui eum sequuntur in hoc sensu mystico, negare genealogiam; ideo enim dicit, corruptam eo ipso esse Legis mentem, & hac procul dubio opinio est eorum omnium, qui More Nevuchim explicant. Quamvis autem nullam plane super ea re objectionem formarint, ego tamen, auxiliante Deo, quinque argumenta objiciam, quae demonstrant, significationem Kajini, Habelis & Sethi parabolicam esse & mysticam, ita ut nec fuerit, nec acciderit quidquam hujus rei, quae hic narratur. Deinde ad ea respondebo demonstraturus, sensum literalem horum versuum verum, firmum & constantem esse, & hanc etiam Majmonidis opinionem esse, licet ex hac historia doctrinas eruerit per modum mysterii & arcani.

Primum argumentum ex eo desumitur quod, postquam Scriptura absolvit hanc Sectionem, Hic est liber generationum Adami &c. (Gen. v. 1.) Adam autem vixerat centum & triginta annos, cum genuit filium ad similitudinem & imaginem suam, vocavitque nomen illius Sethum (com. 3.) inde & insequentibus ducatur genealogia; unde liquet, Sethum fuisse filium primogenitum Adami, Kajinum autem & Hebelem in mundo non fuisse inventos: Secus enim quaestio oriretur, cur & activitatis Sethi bis mentio facta; nisi quemadmodum Majmonides de formatione Adami scripsit, quod bis sit memorata, semel literaliter (Gen. 1.) atque iterum parabolice, & secundum sensum occultum (Cap. II.)

Secundum argumentum est, quod deprehendas, ubi genuit Adam Kajinum & Habelem, Scripturam non addidisse, quoto anno eos genuerit; pariter ubi Kajin genuit Chanochum, Chanoch Hiradum, Hirad Mechujaelem, Mechujael Methuschaelem, & Methuschael Lamechum,

mechum; non dicitur de ullo eorum, quoto anno genuerint, neque quot annos vixerint, neque quod genuerint filios & filias, quemadmodum hac omnia habentur in Sectione, Hic est liber generationum Adami (cap. v. 1. & seqq.) in istis generationibus. Quod arguit, generationes, quæ referuntur in ista Sectione precedente, non esse generationes vere & proprie dictas, sicut illa, quæ referuntur in sectione, Hic est liber generationum (cap. v. 1.) sed parabolice & mystice intelligendas.

Tertium argumentum inde petitur, quod in Sectione illa (Gen. 11. 4.) Istæ sunt generationes cæli & terræ; & in parascha, Deinde Adam cognovit Chavvam (cap. iv. 1.) semper occurrit nomen Adam cum he demonstrativo הָאָדָם. Et posuit ibi haadam, quem finxerat: & accepit Dominus Deus haadam: & interdixit Dominus Deus ha adam homini (cap. 11. 8. 15. 16.) & sic ubique. Sed inde a generatione Sethi & ulterius non occurrit nomen Adam cum he. Cognovit autem denuo אָדָם Adam Chavvam uxorem suam (Cap. iv. 25.) Hic est liber generationum Adam (cap. iv. 1.) Et vixit Adam (com. 3.) Fueruntque dies Adami (com. 4.) sine he demonstrativo. Quod demonstrat, sectiones illas, in quibus scriptum est הָאָדָם ha Adam cum he demonstrativo, intelligendas esse de homine sub se comprehendente speciem suam, quia he articulus non cadit in nomen singulare seu individuum, teste R. Aben Esra. Ideoque ista narrationes erunt parabolice. Sed in sectione, Hic est liber generationum Adam (cap. v. 1.) ubi sermo est de Adamo primo singulari & individuo, juxta sensum literalem, plane non occurrit Adam cum he articulo.

Quartum argumentum inde depromitur, quod deprehendamus in libris Chronicorum, Efram, ubi narravit genealogias, dixisse, Adam, Seth, Enosch, Kenan, Mehalaleel, Jered (1 Chron. 1. 1. 2.) nullam autem mentionem fecisse Kajini & Habelis; Quod utique docet, illos in rerum natura non fuisse, nec creatos esse, sed parabolice & metaphorice propositos. Licet enim mortui essent Kajin & Habel, adhuc vivente patre ipsorum, debuisse tamen commemorari, quemadmodum filii Jehuda, Er, Onan & Sela; nec non filii Aaronis, Nadab & Abihu, Eleazar & Ithamar, quamvis mortui sunt Nadab & Abihu, commemorati sunt.

Quintum denique argumentum petitur ex verbis Rabbiorum, qui statuum in Bereschith Rabba, eodem die sexto, quo creatus Adam, & exstructa est Eva, cum esset in Paradiso, Evam concepisse Kajinum & Hablem

S

Hablem

Habelem, atque tres gemellos, qui cum illis nati; duos lectum ascendisse, & descendisse septem. Absolum autem est, concepisse & peperisse Evam omnes quinque filios suos in uno ventre, uno tempore. Si id factum esse velis in hominis creatione per miraculum, quemadmodum creatus est Adam ex terra, & Eva e costa Adami, cur id Verbum Dei non expressit? Hoc ergo docet, quod totum illud negotium sit parabolicum. Quemadmodum enim verba Sapientum circa arborem vite, arboremque cognitionis atque circa verba serpentis induxerunt Maymonidem, ut negaret sensum literalem, & figuram faceret in ista narratione, prout supra relatam; ita etiam ista eorum verba cum adduxerunt, ut idem statueret in negotio Kajini & Habelis.

Hac sunt argumenta, qua existimavi formari posse respectu narrationis Kajini & Habelis. Verumenimvero in oculis meis nullum est dubium; quin R. Maymon aliter cogitaverit, & cor ejus aliud sibi proposuerit, quod videlicet literalis sensus hujus narrationis se habeat juxta scripturam, sed quod prater literam, hac narratio insuper innuat res scientificas & cognitione dignas. Et hoc est, quod dixit R. Maymon, multiplicem latere sapientiam in impositione nominum filiorum Adami, Kajini & Habelis, atque in historia interfectionis & vagationis: ideo autem non vult, illos in rerum natura non fuisse, sed docet, quod eadem illorum ratio fuerit, qua parentis, cujus formatio verissima est, sicut ostensum in Opere sexti diei, sed narratio negotii istius simul fuit parabolica, & significavit semen ejus, filios Adami, lumbis ejus egredientes. Pari modo judicat de Kajino & Habele, quod eorum negotium & narratio ita revera se habuerit, sicut expresse scriptum est, sed quod praterea sit sensus mysticus & significativus, indolem & naturam filiorum Adami in genere respiciens. וְהָאֵן אֲנִי מְשִׁיב עַל הַטְּעֵנוֹת אֲשֶׁר אֲנִי עֹשֶׂה

שאתרי שהעידה התורה האלרית שהיו וקרן הדברים האלה מחוייב הוא שנאמן שכן היו וכן ארעו בכצירות האמנם נזכרה לידת שת שהי פינים לפי שראשונה ספרה תורה מה שקרה לבני אדם קין והבל מולדותם ועד יום מותם ולידת שת שגולד אחרים ואחר כך לקח לו לבאר השתלשלות הדורות בפרשה עצמה מבלתי כפור אחר והיא פרשת זה ספר תולדות אדם ונתחיל מלידת שת כי ממנו נסתעפו הדורות וכמוהו המצא בנח שכתוב אחר זה בסוף זה הסדר ונח בן חמש מאות שנה ויולד נח את שם את חם את יפת שנוכר זה בסוף ההשתלשלות ואחר כך כשבא הכתוב לספר מאורעות נח וקורותיו נתחיל אלה תולדות נח ונזכר ויולד נח שלשה בנים וגמד. וכמו שיתבאר במקומו וכן ביצחק וכן הכתוב לידתו ומילתו ואחר כך כשבא לספר קורותיו חזר ואלה תולדות יצחק בן אברהם אברהם הוליד את יצחק וככה בפרשת ויגש כתיב אלה שמות בני ישראל הכאים מצראים ונזכר ובתולדות ואלה שמות כשרצה לספר גלותם וגאולתם חזר לומר ואלה שמות בני ישראל הכאים מצרימה ונזכר וזו היא תשובת הטענה הראשונה. ולשנית אומר שבעבור שקין והבל לא נתקיימו ובני קין

קין ורעהו היו זרע מרעים בני משחיתים לא האריכה תורה בכפור ימי חייהם ולכמה שנים הולידו
 ושאר הענינים שזכר בשאר הדורות בני שת הטובים וכן תמצא ביצחק ועשו שספר הכתוב שהיה
 בן ארבעים שנה בקחתו את רבקה וכמה שנים חי ומיתתו וקבורתו וכלא נזכר דבר מזה פעשו לפי
 שהתורה תרחיב בכפורי הצדיקים ולא בפרטי הרשעים ולמענה השלישית אומר שגם במלאכת
 היום הששי בכריאת אדם נזכר בהא הידיעה שנאמר ויבא אלהים את האדם בצלמו ואינו
 מהנרות לפי שעם היות אדם שם עצם פרטי לאותו אדם הראשון שהיה התחלת מינו הנה הוא
 היה גם כן שם המין כגון שכבר ביארתי והוא כענין השמש אצלנו שהוא שם עצם פרטי לאותו
 כוכב גדול האורה והוא גם כן שם מינו עם היות שאין מאותו המין זולתו ולכן נאמר ויבא אלהים
 את האדם והאדם ידע את חוה אשתו והשאר כלם בהא הידיעה בעבור שקורם שהוליד בני
 היה שם אדם שם לאותו עצם פרטי בשם המין גם כן אבל אחרי שנולדו קין והבל לא נזכר עוד
 שמו כי אם אדם בלא הא הידיעה לפי שאחרי שהוליד דומה כמינו נשאר שם אדם שם עצם
 פרטי לא שם המין ולכן לא נזכר עוד בהא הידיעה וגם זה מוכיח שלידת קין והבל וקורותיהם
 היו כפי פשוטו כיון שקורם תולדותם נקרא אביהם בשם מינו האדם להיותו לבדו המין ואחרי
 שהבנים נולדו לו לא נקרא כי אם בשם פרטי אדם גם נזכר לומר שבעבור שכפרשת
 אלה תולדות השמים והארץ ופרשת והאדם ידע את חוה אשתו היה בספורים ההם פשט
 זכרו מטבע האדם וכללותו ולכן נזכר שם שמו תמיד בהא הידיעה האדם להעיר על הרמז הכלל
 למין כלו אמנם כפרשת זה ספר תולדות אדם שאין בה רמז כלל והיא בלה כפי פשוטה על
 אדם הראשון נזכר תמיד בשם אדם ולא בהא הידיעה ולמענה הר מדברי חזמים
 אומר שלרשעת קין ולחפרון הכל לא רצה לזכרם והתחיל ההשתלשלות בדרך ישר אדם שת
 אנוש וכן תמצא שלא זכר דבר ממלכי ישראל לרשעתם ולא ענין תמר ואמנון ולא ענין בת שבע
 ואוריה הדווי ולא ענין אבשלום עם אביו ולא שאר דברים רעים שלא זכרם עם היות
 שזכר תולדות יחודה ואהרון למעלתם ולמעלת האבות ולמענה היה מדברי חזל אומר
 שכווננו לומר שקין והבל ואחיותיהם כלם היו מטבע חוה אמם נוטים לאכילת עץ
 הידעה כמוהו ולכן אמרו שנולדו בגן ששם השא אבותיהם ולהדמותם במדה הפחותה
 ההיא אמרו שנולדו כלם בכרם אחד גם אינו רחוק אצלי שידע את חוה אשתו קודם צאתה
 מן הגן ושחיה הוחרה שם קין והבל תאומים ואחיותיהם כי אינו זר אצל הטבע שתלד האשה
 ד או ה וולדות גם ער שבעה אמרו חכמי הרפואה שהוא אפשר וכל שכן בתחלת הכריאה
 שהייתה ברכת השם עליהם והם אדם והוהו נבראו כבן עשרים שנה וקומתם וצבינם וכך גדול
 ורב כיד המלך שבראם ומפני ישובו של עולם רצה לתברך שתלד חוה בנים ובנות רבים בכרם
 אחד כי כמו שהאב נולד מאדמה והאם מהצליע שלא כמנהג הטבעי כן הבנים אשר הולדו
 פרוושרצו שלא בדרך טבעי אבל אין ספק אצלי שעם היות הריונם בגן באותו יום הנדה לא היתה
 לדעת ול לידתם שמדה גם כן כי היתה לידתם חוץ מהגן כארץ אשר גרו בה כשגורשו
 משם הנדה התנאר מזה כלו הפירוש הפרשה הזאת כפי פשוטה הוא דבר דבוי על
 אפניו ושאין כנגדו ספק ולא מענה ולכן הנני מפרש אותם כפי פשוטה ואלמוד גם כן
 מעניניה הדברים המרעים אשר יורו עליהם בדרך הרמז והסימן כמגשעשיתי בפרשה של מעלה

Ad qua argumenta a me formata respondeo, testanti verbo Dei, illa omnia fuisse & evenisse, necessario oportere nos credere, quod ita revera facta sint & contigerint in essentia. Veruntamen natiuitas Sethi bis memorata est, quia Lex primo refert, quid euenit filiis Adami, Kajino & Hebelo, inde a natiuitate eorum, usque ad diem mortis, & natiuitatem Sethi post eos nati. Postmodum autem ad explicandam genealogiam se accinxit in eadem Sectione, sine alia narratione, atque hac est illa Sectio (Gen. v. 1.) Hic est liber generationis Adami.

Exorsus est a natiuitate Sethi, quia ab eo originem traxerunt generationes. Quemadmodum postea in Noa deprehendis sub finem hujus Sectionis (cap. v. 32.) Quum Noach fuisset natus quingentos annos, genuit Noach Schemum, Chamum & Japhetum, quod hoc relatum sit ad calcem genealogie; deinde vero Scriptura enarratur casus & contingentia Noachi, ita insit (cap. vi. 9. 10.) Hæ sunt generationes Noachi &c. Et genuit Noach tres filios &c. Quod suo loco fusius declarabitur. Pariter in historia Isaaci refert Scriptura ejus natiuitatem & circumcisionem cap. XXI. Deinde cum aggreditur narrationem casuum & euentuum ejus, rursus dicit (cap. xxv. 19.) Et hæ sunt generationes Isaaci, filii Abrahami, Abraham genuit Isaacum. Eodem modo in Sectione עִוֵּן (cap. XLVI. 8.) scriptum est, Hæ autem sunt nomina Israelitarum venientium in Ægyptum &c. & initio Exodi cap. 1. 1. enarraturus exilium & redemptionem eorum, iterum dicit, Hæ sunt nomina Israelitarum venientium in Ægyptum. Atque hæc est responsio ad primam objectionem.

Ad secundum respondeo, quia Kajin & Habel in vita non sunt conseruati, filiique Kajini & semen ejus fuerunt semen maleficorum, filii perdetes, ideo in verbo Dei non prolixè recensetur, quamdiu vixerint, quoto anno generarint, & reliqua, qua memorata sunt in reliquis generationibus proborum filiorum Sethi. Idem videre est in Isaaco & Esauo: de illo testatur scriptura, quod fuerit 40 annos natus, cum duceret Rebeccam, narrat etiam, quot annos vixerit, item mortem ac sepulturam ejus; sed de Esauo nihil quidquam hujus rei memoria proditum est, quia in verbo Dei prolixa instituitur narratio iustorum, sed non ita referuntur res particulares impiorum.

Ad tertium argumentum Resp. quod etiam in Opere sexti diei, in creatione Adam, nomen Adam occurrat cum he demonstrativo; Scriptum enim est (Gen. 1. 27.) itaque creauit Deus אָדָם hominem ad imaginem suam, sine ulla anomalia, quia Adam nomen licet sit proprium & indiuiduum, Adamo isti primo competens, qui principium & origo fuit sue speciei, est tamen etiam nomen speciei, vel commune, sicut ante explicui: prout nomen Solis apud nos est proprium & indiuiduum, quod tribuitur isti stella magna lucenti: est tamen etiam nomen speciei & commune, licet speciem non agnoscat. Ideoque dicitur; creauit Deus haadam, & haAdam cognouit Chavvam uxorem suam, & reliqua omnia cum articulo he. Quia antequam genuit filios, nomen Adami fuit nomen ad illud proprium indiuiduum accommodatum, etiam in nomine

mine speciei; sed postquam genuit Kajinam & Habelem, non amplius memoratum est nomen ejus nisi אדם sine he articulo, quia postquam genuit sibi simile in specie sua, reliquum mansit nomen Adam nomen proprium individuum, non nomen speciei, & propterea non amplius tunc usurpatum est cum he demonstrativo. Hoc etiam probat, natiuitatem Kajini & Hebelis eorumque casus & eventus intelligi debere literaliter, quandoquidem ante eorum natiuitatem vocatus est pater eorum nomine speciei sua האדם ha Adam, cum solus adhuc esset species. Sed postquam filii ei nati sunt, non nisi nomine individuo אדם Adami appellatur. Dicit etiam potest, quod quia in Sectione ista, Illæ sunt generationes cœli & terræ (cap. 11. 4.) & in Sectione, Adam cognovit Evam uxorem suam (cap. 14. 1.) literalis sensus & simul mysticus continetur e natura Adami & generalitate ejus, eam ob causam in istis narrationibus semper nomen ejus cum he articulo ha Adam expressum sit, ut attendatur ad sensum mysticum, qui respiciat totam speciem. Sed in sectione, Hic est liber generationis Adami (cap. 5. 1.) in qua nullum plane mysterium, quaque tota est literalis de Adamo primo, semper occurrit nomen אדם Adami, sine he demonstrativo.

Ad quartum argumentum ex verbis Esra, libri primi Chronicorum desumptum respondeo, quod Kajinum propter impietatem & Habelem propter defectum commemorare noluerit, ideoque genealogiam recta via exorsus sit ab Adamo, Setho, Enoscho. Ita neque mentionem factam esse deprehenderit regum Israelitarum, propter ipsorum impietatem. Nec quidquam occurrit de Thamare & Amnon, de Batscha & Uria Hittæo, de negotio Absalomi cum patre suo, neque reliquas res malas memoravit, licet mentionem fecerit Judæ & Aaronis, propter propriam & patrum dignitatem.

Ad quintum ex verbis Sapientum depromptum rehero, quod illi dicere voluerint, Kajinum & Hebelem, sororesque eorum omnes fuisse a natura Chavve matris suæ proclives ad comedendum de arbore scientiæ, haud secus ac illa; ideoque dicunt, quod in horto nati sint, quod ibi peccaverint parentes ipsorum, & ut eos assimilarent vili isti conditioni & qualitati, tradunt, quod omnes nati sint ex uno ventre. Neque etiam in oculis meis absurdum videtur, quod cognoverit Evam uxorem suam, antequam egressa est horto, & quod illa ibi conceperit Kajinum & Habelem gemellos, eorumque sorores. Non enim impossibile est, uxorem peperisse quatuor vel quinque filios. Etiam septem nasci posse, Medici docent. Multo magis id fieri potuit initio creationis, ubi benedictio divina illis adfuit, atque Adam

Et Eva creati sunt, ac si viginti annos jam essent nati, statura, voluntate & facultate gaudentes magna & multa, juxta potestatem Regis, qui eos creavit. Ut etiam mundus inhabitaretur, placuit Deo Benedicto, ut Eva filios & filias pareret ex uno ventre. Sicut enim pater e terra natus, & mater ex costa, præter naturæ ordinem, ita filii, quos genuerunt, fructificaverunt, & copiose producti sunt, non naturali modo. Et quamvis illo die, quo creati parentes, filii concepti sint in Paradiso, non est tamen mens Sapientum, quod apud me dubium non est, quod ibidem sint generati, quia geniti sunt extra Paradisum in illa terra, in qua Paradiso expulsi commorati sunt. Ex quibus omnibus planum est, in Sectione illa biblica (Gen. iv. 1. & seqq.) rem vere gestam, & simul variam, que ibi latet, Sapientiam, contineri, absque omni dubio & disceptatione. Ideoque eam ita explanabo juxta literam, ut simul doctrinas inde mysticas & res significativas eliciam, quemadmodum feci in sectione superiore.

Ita rectissime istud commentum confutavit Abarbenel. l. c. f. 25. 2. 3. Quamvis enim mos Scripturarum, proponendi quandoque tanquam historice gesta, quæ non nisi parabolice intelligenda, cujusmodi in utroque Instrumento complura, in limine tamen Historiæ, & principio rerum omnium fingere parabolam, & ambigere de rei gestæ veritate, & absurdissimum est, & verant historici simplicissimus stylus, circumstantiæ temporis, loci, nominum, parentum, nativitatis, liberorum, quorum vestigia passim apud Ethnicos scriptores, vitæ, rerum gestarum, mortis, & omnia veræ historiæ criteria seu characteres, strictim utur omnia percenseantur. Aut vocandæ erunt parabolæ, quæ passim in historiis Abrahami, Josephi, Pharaonis, Mosis, Josuæ, Samsonis, Jonæ, & similibus, sacræ literæ tradunt.

C A P U T II.

Peccavit Lamech duas ducens uxores.

Primus igitur Polygamus, quem refert sacra pagina, Lamechus, filius Methusæ, a quo quintus narratur Gen. iv. 19. 23. argumentum nobis præbet, polygamiam esse illicitam, quia inventum est hominis impii, contra primam Institutionem, quicquid secus ex historia Mosaica contrarium sentientes collegisse videantur, quorum argumenta in pauca contraham. Athanasius p. 184. 185. 204. 205. & qui in sec-

nam

nam producuntur ab Arcuario p. 107. & seq. dubitant, an Lamechus in Ante-diluvianis primus & unicus fuerit polygamus, contrarium potius suspicantes ex *Bereschit Rabba*, & *πολυτεκνία*, Kajinique condita civitate. 2. Si vel concedant, primum fuisse, probari tamen primo volunt, polygamiam esse peccatum, antequam ille ideo convitiis prociudatur. 3. Ipsum potius ut virum pium describi & bonum patremfamilias, a Deo benedictum & insignibus artificii donatum contendunt. 4. Dubium esse, an homicida fuerit. Et si vel talis fuisset, id nihil præjudicare polygamix, cum sæpe in sceleratissimo lateat virtus, & inventores rerum bonarum sæpe sint malæ notæ homines. 5. Scripturam ejus factum (matrimoniale) tanquam singulare & heroicum antea inauditum recensere, quod præter morem communem, posthabito polygamias odio a Diabolo post lapsum instillato, primus deliberato consilio duxerit duas uxores. Plerosque veterum Abrahamum, Jacobum, Davidem, non dedita opera & præmeditate, sed occasione data, ad polygamiam processisse; sed Lamechum deliberata mente, juxta primam institutionem Gen. 1. 28. *crescite & multiplicamini*. 6. Sibi mirum videri, ait Theophilus, cur Lamechus, ut primus auctor polygamix a plerisque modernis Hieronymum & Lyranum sequentibus, fugilletur, & Jacobus, Abrahamus, David, Salomo, Abia, cæterique omnes excusentur. 7. Lamechum nunquam a Spiritu S. reprehensum ob polygamiam, neque verbis neque factis a Deo punitum, cum Deus tamen soleat delictum prima vice perpetratum severissime coarguere, ne illud peccator repetat, sicut factum in Adamo, Kaino & Davide adultero.

II. Respondebimus strictim ad singula, lectorumque arbitratui subjiciemus. Cum Moses, qui historiam antediluvianam paucis capitibus absolvit, hoc factum Lamechi tanquam extraordinarium designavit, hæcenus in ipsa posteritate Kaini, fatente Theophilo, inauditum, quod *duas uxores acceperit*, contra institutionem & præter consuetudinem, procul omni dubio primus fuit polygamus; etsi adduci non possim, ut credam, in antediluvianis, quia solus memoratur, unicum fuisse, qui hoc peccato se contaminavit. Filiis enim Dei, quo titulo pii & fideles insigniuntur, accipientibus filias hominum, impiorum & infidelium, uxores ex posteritate Kaini, Gen. vi. 1--5. non defuisse videntur, qui Lamechi

chi factum imitantes plures uxores vel pellices, quot & quas voluerint, sibi fociarint: quemadmodum Menochius ex eo, quod commate 1. *filias procreasse* dicuntur, colligit, plures foeminas mascululis esse genitas, idque medicamenti procuratum, ut singuli pluribus foeminis fruarentur.

III. Lamechi quidem seculo, atque eo, quod inde ad diluuium intervenit, traditio prisca est, in *Bereschith Rabba*, Sect. 22. כן היו אנשי דור המבול עושין אחד מרין לוקח לו שתי נשים אחת לפניה ורביה אחת לחשמיש זו שדחתה לפניה ורביה היתה יושבת כאלו אלמנה בתיה וזו שדחתה לחשמיש היה משקה כוס של עיקרים שלא תלך והיתה יושבת אצלו מקוטטת כוונת הינון הך דאיתמו רועה עקרה וגומר *Sub diluuii tempora hominum morerat, ut pro libitu binas sibi quis duceret uxores, alteram prolis gratia, alteram in concubitum. Ea autem, qua prolis gratia haberetur, velut vidua quamdiu superstes esset, debebat. Sed ea, qua in concubitum adhiberetur, sterilitatis poculum exhaurire solebat, ut sterilis redderetur, & juxta virum accumbere solita, velut meretrice habitu ornabatur. Quod innuitur verbis illis (Job. xxiv. 21.) pavit sterilem, quæ non peperit, sed viduæ bene non fecit. Eadem repetit R. Sal. Jarchi Commentario ad hanc historiam de Lamechi uxoribus, atque ad Jobi xxiv. 21. Et Lamechi uxorem Adam prolis gratia, alteram, nomine Zillam, in concubitum adhibitam voluit.*

IV. Sed præterquam quod falsitatis arguat glossam Rabbincam pagina sacra, quæ testatur, ambas Lamechi uxores, Adam & Zillam foecundas fuisse & liberos peperisse; unde R. Isaac ben Aramah in עקרה יצחק fol. 30. col. 2, scribit, *Mirum hoc est, cum scriptum sit וזלה גם היא ילדה* Et Zilla peperit ipsa quoque (Gen. iv. 22) *Dicendum ergo ipsis, eam bibisse illud poculum, sed nihil ei profuisse: pariter R. Bechai Comm. in Legem fol. 15. col. 4. Etiam Zilla peperit במעשהו לכן ולא הועיל זרע ולא הועיל לכן במעשהו invito Lamecho; Deo ex ea semen producente, ut artes ad sterilitatem inducendam adhibita Lamecho non prodesse. Quis tam vœcors sit, qui credat, sterilitatis illud poculum, & contemptum uxoris, quæ prolis gratia adhibita, Deum habuisse auctorem? in dubium licet vocare nolumus, corruptos ejusmodi mores tunc obtinuisse. Neque hoc factum probabitur nostris polygamix defensoribus, qui prolis gratia plures uxores ducendas esse contendunt.*

V. Deinde falso supponitur, civitatem tunc condi non potuisse a Kajino, nisi polygami fuerint homines ante Lamechum, haud fecus

cum Deo, eique adhaesit. Ideo eum dicunt modo justum, modo impium fuisse.

VIII. Sed Methuschalechum, quia absolute justus fuerit, distulisse dicunt matrimonium usque ad annum 185. Et pro eo, quod dominatus sit spiritui suo, & non appropinquaverit ad uxorem suam subito, ad majorum exemplum, hanc mercedem a Deo reportasse volunt, ut omnes dies vitæ ejus fuerint 969 anni; Lamechum quidem etiam conjugium distulisse, neque tamen tantam ætatem obtinuisse, propter diluvium. Noachum autem omnes majores in hisce duobus superasse, primum quod subjugarit concupiscentiam suam, ne accederet ad mulierem, donec esset quingentos annos natus; deinde quod genitis tribus filiis, ab uxore separatus non amplius genuerit; ideoque Deum ex aquis diluvii eum eripuisse, vitamque ad 950 annos protraxisse. Ecce polygamia defensores, quam leve & ficulneum, quod attulistis pro vestra sententia ex Hebræorum scitis de patriarchis antediluvianis. Hic cadunt vestrae objectiones, de natura masculi una uxore non contenta; hic falsum esse deprehenditis, maledictum esse qui fero & negligenter se accingit ad matrimonium, & quæ sunt id genus bene multa. Quamvis inclinemus in Augustini sententiam, a Theophilo etiam allegatam Th. LXXV. quam probabilem judicat de Civit. Dei, lib. xv. Cap. xv. non hic primogenitos filios commemoratos esse, sed quos successionis ordo postebat, ut perveniretur ad Noë. Quemadmodum Mathaus, Abraham, inquit, genuit Isaac, cur non dixit Ismael, quem primitus genuit? Isaac autem, inquit, genuit Jacob: cur non dixit Esau, qui ejus primogenitus fuit? Quia scilicet per illos ad David pervenire non posset; & ita porro. Videmus tamen, quid Hebræi de Patriarcharum conjugio sentiant.

VIII. Ad 2. Resp. polygamiam esse peccatum, hætenus probatum dedimus, & ulterius probare conabimur. Ad 3. notamus, de Lamechi pietate altum esse silentium in Scriptura sacra. Impium fuisse, conjicere licet ex eo, quod Kajin esset ex Ἐπιγονῆς a malo, imitator scilicet Diaboli, cujus & opera mala erant 1 Joh. 111. 12. Jud. com. 11. Filii enim plerumque vestigiis insunt parentum. οἱ πλεονες κακίας παῖδοι δὲ τε πατρὸς ἀρείας. In Pirke Eliezer cap. XXI. Rabbi Ismael inquit: a Kajin descendunt Ἐπιγονῆς profapia habent omnes generationes impiorum, rebellium & pravaricantium cum superbia. Sicut Kajin contra mandatum Gen. 1. 28. peccavit cædendo, ita Lamech contra primam institutionem Gen. 11, 24.

uxores multiplicando. Testis est Abarbenel, in digamia Lamechum peccasse, ideoque singulari iudicio divino punitum.

IX. Dein absurdissima est consequentia, Lamechus bonus fuit paterfamilias, a Deo benedictus, & filios habuit artium inventores. Ergo ejus digamia Deo non displicuit. Kajin procul dubio talis fuit, neque tamen ejus sacrificium Deo placuit. Dona filiis Lamechi a Deo concessa sunt communia, ex quibus Dei beneplacitum & hominum bonitatem & virtutes judicare non licet. Non placuit scortatio Gileadi, licet ex meretrice sustulerit Jephtham, cujus fides aliæque virtutes celebrantur in Scriptura. Sagacissimum Abarbenelem si audiamus *fol. 37. 2. in Leg.* neque filii Lamechi ob artium inventionem tanto honore sunt mañtandi :

הנה נקרא תובל קין לפי שאין היה רוצה וזה היה עושה כלי למעשהו חרב וחנית לשבן
 וזה הוציא קין הרומח וכן נתיחס אל קין הרומח
Vocatur Thubal Kajin, quia Kajin erat homicida, cujus operibus promovendis ille arma paravit, gladium scilicet & hastam ad effundendum sanguinem, ideoque generi & familia Kajini accensetur.

X. Dubio quarto occurrendum dicendo, Lamechum fuisse homicidam, clarissime liquere ex Gen. 1 v. 23. Hebræorum traditionem amplectuntur plurimi Interpretes, Hieronymus, Lyranus, Abulensis, Genebrardus, Delrio, Salianus, alii, quod scilicet Lamechus venationi deditus in sylvâ Kajinum, feram suspicatus, per puerum Tubal Kajinum, ex incitâ, lethali vulnere confixerit, atque mox etiam, tritavum esse animadvertens, ex impatientia ipsum puerum suum; uxoresque inde malum timentes consolatus fuerit hisce verbis: *Audite vocem meam uxores Lamechi, auribus percipite sermonem meum.* כי אש הרגתי לפצעי וילד
Nam virum occidi ad vulnus meum, & adolescentem ad tumorem meum. Cum septuplo sit vindicandus Kain, utique Lamech septuagies septies. Quorum sensum hunc esse vult R. S. Jarchi: *anne ego virum vulneravi data opera, ut vulnus meum, & a me tanquam auctore denominari queat? & num puer, quem occidi, ad ulcus meum occisus est? nonne enim ex errore patravi hoc?* Et si enim ferendi non sunt, qui Judæorum somnia exofculantur, non tamen omnes Hebræorum traditiones fabulis sunt annumerandæ, ubi dubia facta narrantur, quemadmodum 2 Tim. 1 11. 8. Judæ com. 14. modo Scripturæ sacræ & rationi non repugnent.

XI. Sed esto, traditioni isti fidem non esse habendam, & erra-

re Rabbinos atque Arabes in subjecto, uti censent Celeberr. viri Hottingerus & Heideggerus, clarissima tamen sunt verba, eadem a Lamecho patratam significantia: כי איש הרגתי *nam virum occidi*. Talmudici omnia hujus voculae כי significata reducunt ad quatuor אי *si*, דלמא *forsan*, אלא *sed*, & הריא *quia ecce*. R. D. Kimchi in libro *Radicum*, rationalem tantum conjunctionem esse putat. Sed frequens adhuc alia significatio est *quamvis* Gen. viii. 21. *non maledicturus sum terra amplius propter hominem*, כי *quamvis figmentum cordis sit malum a pueritia ipsius*. Conf. Gen. xlviii. 14. Exod. xiii. 17. cap. xxxix. 9. Jos. xvii. 18. Psal. xxv. 11. xli. 5. lxxi. 15. Dan. ix. 9. Applica omnia ista significata huic textui, neque tamen Lamechum ab homicidio absolveris. lxx legunt ὅτι ἀνδρα ἀπέκτενω *quia virum occidi*. A quibus non abludit Syrus: *בני* *quod virum occidi*. ⁷ Syrorum & Chald. idem est, quod *quia* vel *quod*. Samaritana versio interrogativa particula utitur *אנא* הלא *annon*, sive *quia*. Interrogatio vehementer asseverat, q. d. certissime, sicut Gen. xiii. 9. Deut. xxxii. 6. Jos. x. 13. Pariter Onkelos לא גברא קטלית לא *nonne occidi virum?* Quo sensu לא etiam occurrit Exod. viii. 26. ולא *& non lapidabunt nos?* pro הלא *annon?* Adde Thren. i. 12.

XII. Thrafonice se jactare, & in malitia quasi gloriari videtur Lamechus, *Nam*, sive *annon* virum occidi, sed ad vulnus meum, quid hoc ad vos? & adolescentem damno meo, non vestro. Ego non video, significantioribus verbis Lamechi eadem exprimi potuisse. Instant tamen, id non praedjudicare polygamiae. Sed quis non suspicabitur mecum, Lamechum impia progenie ortum, homicidam, durum & inhumanum, praeter morem, ex mera libidine duas uxores ducentem peccasse, & quidem contra primum institutum? etsi in homine sceleratissimo latitare queant non quidem verae, sed externae quaedam virtutes, quae splendida sunt peccata. Libet hic etiam sententiam proferre Abarbenelis in Leg. f. 40. 4. *Initio non nisi unam uxorem unus vir possidebat, ut Eva Adam, Kain suam gemellam, & ita reliqui, ideoque deerat illis dispositio & apparatus ad peccandum. Sed postquam filia multa illis nata sunt, ut quisque posset plures uxores accipere, ad plures filios generandos, tunc in hanc libidinem proruperunt.*

XIII. Ad 5^o Respondeo, verum esse, Scripturam Lamechi factum tanquam singulare, heroicum & hactenus inauditum recensere.

fere, eo scilicet modo, quo Jesaias Cap. v. 22. גבורים *strenuos, fortes*, & heroës ad inebriandum se vino, & Seneca gigantes ad potandum appellat, queis plurimum meri cepisse virtus est. In lapsorum angelorum locum successisse electos homines, mera conjectura est; sicut inde nonnulli simul inferunt malorum angelorum numerum, quod tantus sit, quantus electorum; & pauciores bonis malos Thomas Aquinas cum aliis Scholasticis ex 2 Reg. vi. 16. & Greg. de Valentia ex Apoc. xii. 4. colligunt; qui pedem inferunt in ea, quæ non viderunt. Quæ Deus non revelavit, ingenio tentare non licet. Ideo autem Satanam Evam seduxisse, ut conjugium & polygamiam omnibus exosam redderet, quod viderit genus humanum in angelorum lapsorum locum evectum esse, nuptiam legimus. Primum angelorum peccatum cum hominis seductione potius conjunctum fuisse videtur, quod in veritate non steterint, in qua creati erant, (principiis practicis æquitatis, rectitudinis, justitiæ & sanctitatis naturæ eorum inscriptis,) Deumque per mendacium calumniati sint & hominem deceperint. Si conjecturæ locus, Diabolus homini, a Deo constituto Domino terræ & terrestrium creaturarum hanc dignitatem invidisse eamque proprio motu sibi concupivisse, atque ita superbia peccasse videtur, argumento loci 1 Tim. iii. 6.

XIV. Ad 6. Resp. Id ipsum est, quod ad reliquorum patriarcharum excusationem aliqualem adducimus, & quod firmissimum nobis præbet argumentum, ejusmodi conjugii genus Deo non probari, polygamiam nempe sanctis patribus variis occasionibus extortam, sed Lamethum primum hoc ausum esse data opera, fatente Theophilo, quemadmodum Abraham sterilitate & persuasione Saræ, Jacobus fraude Labanis inductus, ut cum pluribus confuescerent. Neque tamen eos propterea absolute & a toto absolvimus & excusamus; scelera enim, teste Musladino Sado in *Rosario Politico* Cap. viii. *a quocunque patrata fuerint, detestabilia sunt. Si vero a Sapientibus parentur, etiam detestabiliora; quia scientia telum est ad debellandum Diabolum.* Falsissimum autem est, ex memoria deceptæ Evæ, & exilii Adamitici posteros ejus timidos redditos, a polygamia abstinuisse; cum Adam, ut supra ostensum, statim cognoverit uxorem, Deo novum mundi regimen instituyente, & concursum suæ providentiæ ad generationem similis addicente.

T 3

XV. Deni-

XV. Denique etiam solvitur, imo sponte liquet cit 7. Objection, *Quicumque polygamiam prima vice commissam neque verbis neque factis punit, ille legislator polygamiam pro re licita seu indifferenti habet. Atqui Deus supremus legislator polygamiam prima vice commissam in Lamecho neque verbis neque factis punivit. Ergo.* Falsissima enim est consequentia majoris; quia supponitur, non probatur, nihil reprehensione dignum esse, nisi quod reprehenditur *αὐτολεξεί* in Scriptura. Reprehensiones generales sufficiunt, quæ ad exempla specialia applicandæ. Ubi idololatriam ante diluvium legimus reprehensam? quam tamen jam tunc introductam haud obscure Moses innuit, non tam Gen. iv. 26. quam cap. vi. 5. & seq. & post Mosem Josephus ac Orientales; indene sequitur, a Deo esse approbatam? Ebrietas Noachi, Lothi incestus, Gideonis idololatria, Simsonis scortatio, Saulis *αὐτοχειρία* ideo non excusantur, quod expressis verbis non reprehendantur. Athanasius Vinc. in eos invehitur, qui dixerint, Deum instigare ad peccata, esse causam peccati, & similia, quorum commemoratione invidiam eis concitat, qui durioribus expressionibus cum Scriptura utuntur. Permittit Deus peccatum, præcipit Simeï, ut maledicat, neque tamen peccati auctor est. Ad solis a terra recessum tenebræ oriuntur, neque tamen sol vel terra est earum causa.

XVI. Ad minorem etiam observari velim, historiam antediluvianam brevissime factum Lamechi, sicut alia omnia, perstringere, illud plane non reprehensum, pro certo asseverari non posse. Sufficit, quod in genere Spiritus Dei cum illis hominibus disceptasse dicatur. Ne dicam, quod J. Lightfootus *Observ. in Genes.* asserere non erubescat, *Lamechum conscientia horrore percussum propter polygamiam suam, agnoscere peccatum suum septuplo gravius Caini, & pena meritum ex proportione. Cain enim unum modo hominem occidisse, & solum ejus corpus; at illum pravo exemplo occidisse juvenesque senesque, atque ipsas eorum animas. Ideoque expostulare de eo cum uxoribus suis, quæ ipsum eo induxerant. Quod ego in mediò relinquo. Atque ita breviter mihi dixisse videor, quantum hic locus postulabat.*

CAPUT III.

Probari nequit Polygamia ex mandato & benedictione divina Noacho repetita Gen. viii. 15. 16. 17. ix. 1. atque exemplis Pharaonis & Aegyptiorum Gen. xii. Abimelechi ac Philistinorum Gen. xx.

Pergunt Theophilus & Athanasius Th. xxxvi. & xxxvii. prolixè narrare benedictionem divinam Noacho post diluvium ad propagationem generis humani redditam, *Crescite & multiplicamini* Gen. ix. 1. Ex qua ita argumentantur: *Quicumque se multiplicat ex omnibus viribus, a Deo homini conceditis, ille ceteris paribus implet sanctissimam voluntatem Dei. Atqui polygamus. Ergo. Item, Quicumque magis se multiplicat & melius replet terram, (cæteris paribus, quod hic repetendum monet Athanasius p. 209.) Ille mandato Dei magis approximat. Atqui polygamus. Ergo.* Refutationem ipsi adjiciunt dicendo, *cæteris paribus, i. e. si hoc alibi non sit prohibitum.* Sed quia cætera paria non sunt, uti supra satis superque ex prima institutione demonstratum, hæc argumenta futilia sunt, nullius momenti, & meræ petitiones principii. Vid. Sect. 1. cap. 1. & cap. vii. Th. 1. 11. Athanasius Vinc. p. 205. asserere quidem non audet, Noachum ipsum fuisse polygamum, quia unica uxor cum eo arcam ingressa dicitur, sed annon reliquæ communi diluvio fuerint deletæ, tacente scriptura, se ignorare ait. Quæ suspicio nullo fundamento nititur.

II. Hoc tamen certum, vi hujus benedictionis, citra polygamiam, post diluvium ex octo hominibus, brevi temporis spatio, tot potuisse nasci, quot urbi & turri Babylonicæ extruendæ, regnis atque rebus publicis condendis sufficerent; quemadmodum videmus, intra paucos centenos annos ex uno Abrahamo tantam multitudinem Israelitarum derivari potuisse, quanta in Exodo & Numeris recensetur. Quia multitudo populi ejusque incrementum a Deo est, qui illud pollicetur Gen. xiii. 16. Cap. xv. 5. Lev. xxvi. 9. Deut. x. 22. Psal. cvii. 38. s. Heb. xi. 12. Hos. 1. 10. miraculosa fuit multiplicatio sub Josaphato, duarum tribuum rege 2. Chron. xvi. 13. habuit enim delectos ad militiam 116000 præter præsidarios in urbibus munitis. Merum enim commentum est, nullo S. Scripturæ fundamento firmatum, quod nonnulli prodiderunt, benedictionem nempe a Deo datam esse Noacho, ut se multiplicaret, quinquagesimo de-

num.

num anno post diluuium. Quis enim credat, per 50 annos post diluuium homines non esse multiplicatos? Annis 250 e tribus Noachi filiis genus humanum ita multiplicatum fuit, ut solus Ninus, teste Diod. Sic. lib. III. c. 11. contra Bactrianos eduxerit peditum decies septies centena millia & equitum ducenta millia.

III. Theſibus xxxviii. xxxix. & xlvi. ex historia Abrahami Theophilus polygamiam ſtabilire conatur, & primum quidem ex verbis Abrahami ad Saram Gen. xii. 8. 9. 10. & Pharaonis comm. 15. 16. Atque ex parallela historia Abimelechi Gen. xx. Ex quibus apparere ait, polygamiam ſimultaneam muliebrem etiam apud gentes Ægyptios & Philistæos exotam & peccaminosam fuiſſe, ſed polygamiam virilem uſitatam & legibus conformem habitam. Ex qua hiſtoria hoc modo argumentatur: *Quodcumque Pharaon, Abimelech, & ſimiles gentes, qua ſatis honeſte & ſobrie juxta legem naturæ vixerunt, pro peccato non habuerunt, illud non eſt peccatum contra legem naturæ, & cum illa conformem legem moralem. Atqui prædictæ gentes polygamiam pro peccato non habuerunt. Ergo. Et ulterius: Quodcumque prælaudatæ ſobriæ & cultiores gentes pro peccato habuerunt, illud merito pro tali habetur. Atqui multiviratum, ſeu polygamiam ſimultaneam muliebrem pro peccato habuerunt. Ergo.*

IV. Reſpondeo, utriuſque ſyllogiſmi majorem non eſſe univerſaliter veram, cum Sect. 11. cap. 1. Th. xii. & ſeq. & Cap. 1v. toto oſtenſum ſit, a gentibus non ubique obſervari regulam morum. Ita ſæpe uni quid indecorum eſt, quod alteri decorum, v. gr. Corporis totius nuditas inhoneſta eſt Europæis, honeſta autem Indis; ebrietas apud Germanos, Venerea peccata apud Italos tanti non æſtimantur, quanti apud alios. Ipſe Theophilus fatetur, raptum feminarum ſolutarum apud gentes, præſertim Ægyptias & Græcas, non fuiſſe infrequentem, nec tantæ criminationi obnoxium. Furta omnia apud veteres Ægyptios fuiſſe licita & impunita, teſtatur A. Gellius l. xi. Cap. xviii. & Diodorus lib. 1. fuiſſe apud Ægyptios legem de furibus perquam ſingularem, qua ſodalitium aliquod furum inſtitutum, cujus quaſi opificium erat furari, cui ſe quiſque addicere poterat, & cui præfectus princeps publica auctoritate. Adeoque virtutes & vitia ex gentium ingenio & actionibus metienda non ſunt, ſed ex legis divinæ norma.

V. Haſce autem gentes quod attinet, quomodo illæ honeſte, ſobrie & congrue legi naturæ vixiſſe dici poſſunt, in quibus non erat

erat reverentia & timor Dei Gen. xii. 9. Cap. xx. 11. fatente ipso Athanasio Vinc. p. 222. sed iniquitas & libido dominabatur, in quam effusi erant vicini incolæ Sodomi & Gomorræ, nec non Ægyptii, teste Abarbenele in *Legem* f. 72. 1. Scortationem gentes pro peccato non habebant, ideoque conversæ in N. T. ab ea abstinere jubebantur Act. xv. 19. 20. 29. Ut ergo scortatio, raptus, cædes, quam Abraham etiam metuebat, & similia facinora minime erant licita, quod ab illis gentibus patrarentur, ita nec polygamia.

VI. Pergit argumentari Theophilus Th. XLVII. ex Gen. xx. *Quicumque justus iudex in polygamo & adultero punit saltem adulterium præsumptum, & quidem ex ignorantia, non autem absolutum; polygamiam vero diu exercitam & continuandam non punit, ille polygamiam non pro peccato, adulterium autem pro vero peccato habet. Alias non esset justus, si utraque essent peccata & non æque punirentur. Atqui Deus in adultero & polygamo Abimelecho punit tantum ex ignorantia præmeditatum, nondum vero perfectum adulterium, polygamiam vero diu usitatam & continuandam non punit. Ergo. Sed illatio ista inanis est & inconsequens. Nam I. non desunt sapientissimo legislatori rationes, ob quas non omnia ubique puniat peccata, quæ tamen ideo non desinunt esse talia. David utique plura commisit peccata, quam illud cum Bathseba & Uria, propter hoc tamen singulari modo reprehensus est & punitus a Deo. Et Abimelechum Deus forte non monuisset, sed sivistet eum Saram attingere & peccare, quemadmodum alias gentes sivistet ire in viis suis, si Abrahamus, servus Dei, quem dilexit, huic negotio non fuisset implicitus.*

VII. 2. Gravius peccatum in raptu & adulterio committi, quam in polygamia, nemo ignorat. Recte judicat R. Levi Barzel. *leg. xxxv. גור איש עם אשת איש צד גור quod adulterium ubi cum proximi uxore res habetur, sit species rapina, & homicidia ex eo facile oriri, docet. Quæ etiam ratio est diversarum pœnarum Lev. xx. 10. & seq. & com. 17. 1q. 3. Unde probabit Theophilus, Abimelechum jam polygamum fuisse, & ob hanc polygamiam non punitum? regem dicit habuisse multas uxores, & ancillas, quarum ventres Deus occluserat. Moses autem tantum meminit ושרא uxoris ejus in singulari numero Gen. xx. 17. & ancillarum, quæ servis potuerunt esse nuptæ, more Hebræorum. Ego quidem præfracte negare nolo, Abimelechum polygamum fuisse, sed ex textu id clare demonstrari nequit.*

V

VIII. Ma-

VIII. Majori cum specie objici posset, quod Abimelech uxorem jam habens com. 17. & insuper Saram mulierem accipiens com. 2. 3. tamen ad justitiam suam & integritatem cordis provocarit com. 4. 5. quam Deus etiam approbat com. 6. Quod ergo alteram superinducere voluerit, id ex integritate cordis fecisse videtur? Respond. peccari paralogismo figuræ dictionis, & a dicto secundum quid; justum & integrum vocari Abimelechum, non ἀπλάγς, sed κατὰ ἴ, sicut gentes, quæ legis sunt, facere & hoc respectu excusabiles dicuntur Rom. 11. 14. 15. etsi totam legem non observent, atque ita in totum excusari nequeant. Comparative justus potuit dici Abimelech, quatenus magis injustus & improbus fuisset, si Abrahamo uxorem rapuisset. Igitur integer erat, respectu illius adulterii & raptus. Ita Thamar justior erat Jehuda Gen. xxxviii. 26. quæ tamen justa non erat, quando se adulterio temeraverat. Et Habacuc vocat Judæos in Babyloniam deportatos populum justiorem Chaldæis. Sane qui hoc modo justus, etiam improbus est, & non nisi ad alium comparatus justus; sicut exosa dicitur Lea, id est, minus amata Gen. xxix. 30. 31. Hoc ergo fecit Abimelech cum integritate cordis, quod nesciverit Saram fuisse marito junctam, Abrahami uxorem, adeoque vi alterius uxorem non rapuerit. Alia jam loca dictis affinia, brevitati studens, tacite prætermitto.

C A P U T IV.

Exemplum Abrahami Gen. xvi. & sequentibus, non probat polygamiam.

EX historia Abrahami magnum causæ suæ præsidium & patrocinium quærunt polygamiae defensores Theophilus & Ath. Vincentius, sed Arcuarius pag. 135. & seqq. varia exempla patriarcharum examinans, præterito Abrahamo, cum primis urget exemplum Davidis 2 Sam. xii. de quo nos suo loco. Libertatis nostræ memores, qua hæctenus nostrorum confutavimus argumenta, primum expendemus Theses generales XLVIII. XLIX. L. quibus patriarcharum exemplis probatum eunt polygamiam, deinde in specie exemplum Abrahami inde a Thesi xl. usque ad LIV. Etsi autem prolixus admodum sit Theophilus, omnia tamen argumenta, quæ

quæ nervum & momentum habere videntur, excutiemus. Ita inquit Th. XLVIII. *Quemcunque Deus a polygamia neque per somnia, neque aliis dehortationum modis abstinet, ille polygamiam tanquam rem indifferentem, liberam, peccato vacuum permittit. Atqui Deus suos fideles a polygamia neque per somnia, neque aliis modis dehortatus est. Ergo. Majorem probat exemplo Abimelechi ethnici, quem in somnio a peccato meditato duntaxat dehortatus est Deus, multo benignius ergo erit erga suos amicos in præcavendis peccatis.*

II. Quod multi hic regerant, patriarchas ex ignorantia peccasse, id ei absurdum videtur Th. XLIX. quia Deus tam familiariter cum Patribus locutus, ut ipsius voluntatem ignorare non potuerint. Imo Deum obligatum fuisse in promulganda lege ita se gerere, ne subditi se ignorantia excusent, & teneri suis fidelibus ignorantiam peccatorum adimere, sicut Abimelecho ignorantiam præmeditati saltem adulterii exemit. Quæ omnia hujusmodi comprehendit argumento: *Cuicumque Deus ignorantiam putativi peccati polygamias non eximit, ad quod lumen ceu legislator, imo Pater obligatur, illi polygamiam ceu rem indifferentem peccato carentem concedit. Atqui Deus suis fidelibus ignorantiam putativi peccati polygamias nunquam exemit, &c. Ergo. Quod alii excipiant, Deum in fidelibus suis ita dispensasse & polygamiam permisisse, æque absurdum esse ait, eo quod renatis seu fidelibus minime permittatur, ut in legem Naturæ & Decalogum peccent, & injuste, inhoneste ac turpiter agant. 1 Thef. iv. 3-7. 1 Tim. i. 9. Dispensare in lege nature ne Deum quidem posse, manente eodem objecto, & iisdem circumstantiis.*

III. Quibus ut satisfiat argumentis, in antecessum primo observari velim, quod suppeditavit nobis ipse Theophilus Th. xxxiv. & lvi. plerosque veterum non dedita opera & præmeditate, sed occasione data ad polygamiam processisse, Abrahamum sterilitate uxoris diuturna & amica ejusdem persuasione inductum ad bigamiam pervenisse; Jacobum per fraudem Labanis ad polygamiam adactum; Davidem occasione exilii, prima uxore orbatum, divitem & prudentem Abigail ambivisse. Variis ergo occasionibus sanctis patribus extorta potius fuit polygamia, quam ultro ab illis cum Lamecho affectata. 2. Adde etiam sanctissimos viros quandoque peccasse, ubi bonam suam intentionem non adstrinxerunt ad Dei voluntatem revelatam. Moses supra cæteros homines commendationem habet pietatis, fuit Deo familiarissimus Num. xii. 7.

& tamen in bona sua intentione peccavit Deut. III. 23-25. quod ex ira Dei constat, quando contra revelatam Dei sententiam aliquid petit. Conf. Exod. IV. 13. Ita peccavit Gideon, qui fidelibus annumeratur Heb. XI. 32. quia fecit Ephod privatim, illudque in domo sua erexit, quod erat interdictum, hinc id familiæ ipsius exitio fuit Jud. VIII. 27. Sara laudem pietatis quidem habet I Pet. III. 6. cum vero audivisset ex Abrahamo nasciturum semen promissionis, quo illud promoveret, quia sterilis erat ipsa, suo consilio Hagarrem illi conjunxit, unde multum deinde ipsi creatum molestiæ Gen. XVI. 21. Non ergo æstimandæ sunt actiones a bona intentione virorum sanctorum, quia hæc subinde est occasio vel causa peccandi. Nec quærendæ regulæ obedientiæ ex nostra intentione, sed accipiendæ a Dei revelatione in Scriptura sacra.

IV. Hisce præmissis, nego consequentiam argumenti Theſi XLVIII. a Theophilo allati. Ex silentio dehortationis vel increpationis Dei, relaxatio legis concludi nequit, quippe qui & omnia peccata contra legem commissa in genere taxat, & in graviora plerumque invehitur. Plura peccata a patribus admissa, quorum specialis increpatio vel dehortatio nusquam reperitur. Gratiam illam præstitit Deus Abimelecho, ut eum cohiberet a raptu alienæ uxoris & adulterio, quam non tenetur exhibere singulis. Roganti diviti epuloni singularem revelationem, & dehortationem fratrum respondebatur ab Abrahamo, *Habent Moſen & Prophetas, audiant eos.* Luc. XVI. 27-29. Jonas jusſus est Ninivitas dehortari a peccatis, non item Hierosolymitanos, quibus Deus notas fecerat vias suas. Deinde falsa est minor, quod Deus nullo modo fideles V. T. a polygamia sit dehortatus. Contrarium liquet ex institutione conjugii Gen. II. 24. & Levit. XVIII. 18. Mal. II. 14. 15. Quid Deus fecerit per somnia, nobis non constat, cum de expressis tantum in Verbo Dei judicare licet.

V. Neque ego quidquam absurdi video in ista sententia, ex ignorantia in multis peccasse patres, exemplis & longa consuetudine seductos, cum lex scripta nondum esset. Abraham v. gr. ante fuit idololatra, in Sabæorum religione educatus, an mirum est, si ille aliquid ex ea gente retinuerit? Equidem fuit ignorantia vincibilis, quia institutio contrarium docebat, quæ tamen etiam in animis fidelium obsolescere potuit, cum homines sæpe non attendant ad præcepta, uti attendere debent. Valet hic illud Dion. Chryſost. *Orat. LXXIX.*

Lex.

Lex natura amissa est, & exolevit apud vos o infelices! Pharifæi & Scribæ ignorabant legis mentem post tot oracula Mosis & prophetarum Mal. 11. Matt. v. & XIX. Neque Deus de novo legem revelare & inculcare, aut a peccato unumquemque abstrahere tenetur, cum id ab ejus libero arbitrio dependeat. An Adamo & Evæ majus lumen debebat Deus, ne peccarent? quidni etiam Diabolo & angelis malis de novo legem promulgavit? Adeoque iterum negamus consequentiam istius argumenti, Cuicumque Deus ignorantiam polygamix non eximit, scilicet post Institutionem & legem generalem, illi eam concedit. Negamus etiam, Deum ad id esse obligatum.

VI. *Dispensationem* quod attinet, notari velim, de præceptis legis naturæ, quæ ex Dei natura fluunt, cujusmodi sunt in priori Decalogi tabula, Deum nullo modo dispensare posse, sicut semetipsum abnegare nequit 2. Tim. 11. 13. Non potest Numen sui odium præcipere vel indifferens se inducere ad id, ut vel coli velit a suis creaturis, vel abnegari; cui perinde sit vel subditos suos ad sui abnegationem, vel ad sui agnitionem obligare; id enim destrueret Dei naturam, & Deum non-Deum faceret. Posterioris autem tabulæ præcepta, quæ ex natura hominis & aliarum rerum fluunt, etiam quidem non sunt mutabilia, minorem tamen immutabilitatis gradum obtinent, quam quæ a natura Dei pendent, cum Deus absolute loquendo naturas rerum mutare queat. Ita leges divinæ aliquando acceperunt restrictionem, non quidem pietatis erga Deum, quam laxare Deus nequit, cum creaturam nexu obedientiæ solvere non possit, sed amoris erga creaturas, quando post lapsum quorundam odium imperavit Gen. 111. 15. Conf. Deut. VII. 2. XIII. 14. 15. XX. 16. f. XXIII. 3. f. 2 Chron. XXIX. 2. Pf. CXXXIX. 21. 22.

VII. His ita expensis, satis liquere potest lectori, quid super hoc argumento sit sentiendum. Nimirum quanta Dei in lege naturæ, quæ a natura creaturarum pendet, condenda libertatis indifferentia est, tanta ejusdem circa istius legis mutationem vel dispensationem est potestas. Qui enim suo arbitrio & mero beneplacito præcepta quædam dedit, quæ si placuisset, etiam plane non dare, vel aliter dare potuisset, sicut meræ potestatis & libertatis erat ab initio unam homini jungere uxorem, cum plures creare & sociare potuisset, (quod Sect. I. cap. 11. Th. I. I. I. demonstravimus) is eadem

libertate posset, si vellet, vel ejusmodi præceptis quasdam personas eximere, vel eadem prorsus abrogare. Quis hic summi legislatoris potestatem limitabit? homini non sibi legem dedit. Actiones ejus omnes sunt justæ, licet ratio illarum nobis non semper constet. Ita censet gravissimus Theologus Rivetus *Exerc. in Genes. XLV.* Deum a communis legis obligatione Israelitas absolvisse. Quæ sententia non videtur omni probabilitate destituta Celebrissimo Wittichio *Theol. pacif. cap. XVIII. Th. CCLXXIII.* qui tamen cum aliis statuit, Polygamiam citra istam dispensationem esse illicitam. Unde fallum esse liquet, quod Daph. Arcuarius statuit pag. 140. dispensationem Legis naturæ sine ejus abolitione fieri non posse. Quin ipse Theophilus cum Magno, cujus verba citat, Theologo concedit, mutatis circumstantiis, posse Deum dispensare, uti de præcepto VIII. circa Israelitas. Annon in patriarchis aliquo modo circumstantiæ dici possunt mutata, quando instar Lamechi, studio & ex libidine, bigami non fuere, sed data occasione, ex desiderio impletionis promissi divini, ut quærent semen Dei, ad Dei gloriam? Quam solliciti fuerint veteres de hærede, inter alia ex historia Thekohæ liquet 2 Sam. XIV. 7.

VIII. Utut autem dispensatio divina, sive exemptio ab obligatione legis, circa quædam præcepta, quæ non habent intrinsecam turpitudinem repugnantem imagini divinæ, locum habeat, hic tamen eam factam vel concipiendam esse, negamus. Polygamia olim tolerabatur a Deo, & immunis esse potuit a pœna, et si non esset immunis a culpa. Gravissimi tamen Theologi crucem domesticam Abrahamo impositam, & æmulationes atque jurgia inter uxores Jacobi transmissa, non immerito de calamitatibus, quibus eos Deus castigaverit, exponunt, quod gratis negat D. Arcuarius pag. 139. Multa hujus generis toleravit & dissimulavit divina clementia, quæ non approbavit divina sanctitas. Si Deus aliquid, minus cum ordinatione sua conveniens, permittere & tolerare velit, certas ob causas, quis cum ipso disputabit, aut trahet in exemplum casus singulares, & pro lege habebit? Neque tamen dicendum, Deum permittere fidelibus, ut peccent. Non est hæc permissio ethica & legalis, qua Deus nulla lege prohibeat peccatum. Absit; vel qualis datur circa res indifferentes & bonas, divitias, honorem, valetudinem; sed est permissio physica, consistens in actu voluntatis Dei positivo, quo deliberato con-

consilio suspendit illam actionem, per quam poterat peccatum impedire, & non impedit futuritionem talis actus, cui peccatum adheret.

IX. Nunc in specie exemplum Abrahami aggredimur examinare, Thesi XL. & sequentibus prolixè a Theophilo allegatum, ex quo ita argumentatur pro polygamia. *In quo Abraham vir illuminatissimus & familiarissimus amicus Dei uxori obtemperavit & a Deo non fuit culpatus, illud ei pro peccato non fuit. Quia Deus non est προσωπολήπτης unum aequè reprehendens ac alterum. Atqui in polygamia Abrahamus non fuit taxatus. Ergo. Cui subjungit generalissimum argumentum in omnibus exemplis repetendum Thesi, XL. I. Quodcunque in Abrahamo non fuit peccatum, etiam nobis non est peccatum. Atqui polygamia etc. Ergo. Ratio iterum, quia Deus non est προσωπολήπτης, & peccatum, in quocunque invenit, verbis & factis punit: nec potest ex peccato non peccatum facere. Peccatum est & manet peccatum, fidelis vel infidelis illud perpetret.*

X. Respond. Prioris syllogismi consequentia negatur. Sæpius a Sanctis admittuntur peccata, neque tamen ideo semper culpatores legimus. Non ideo divortia ob quamlibet causam honesta & legitima erant, quod prophetæ Israelitas non reprehenderint ubique & ab hoc facto non avocarint. Satis habuerunt eos reprehendere ob peccata, quæ directè contra leges a Deo positas incurrerant. Conf. dicta præced. Cap. III. Th. VI. Annon Deus cum propterea culpaverit expressis verbis, nobis lateret, saltem non legimus. An Deus ideo προσωπολήπτης est, quod reprehendat peccatum Davidis cum Bathseba & Uria patratum & non plurima alia peccata? Siracides patrum facta recensens Cap. XLIV. & sequentibus, peccatorum Moysi & Aaronis non meminit, sed Davidis tantum & Salomonis, Cap. XLVI. quia hæc erant enormia peccata. Urget Theophilus exemplum Adami, quod is obediens uxori suæ malesuadæ contra mandatum Dei, taxatus & punitus sit, ideo non potuisse non pariter Abrahamum culpari a Deo, quod in hoc negotio uxori obtemperaverit.

XI. Verumenimvero peccatur hic elencho parium, eandem esse rationem Adami & Abrahami. Non est comparandum exemplum illud Adami obedientis Evæ cum Abrahamo obtemperanti Saræ. Adam enim recens e manibus Dei tanquam sui opificis egressus, integro intellectus lumine, & voluntatis perfectione,

con-

contra expressum mandatum modo datum, cujus erat conscius, solis uxoris blanditiis succubuit. Neque id tantum particulare peccatum, sive gulæ sive superbiæ erat, sed omnia peccatorum semina hic concurrebant; de veracitate Dei addubitatio, timoris Dei excussio, infidelitas, superbia & divinitatis affectatio, contractio rei vetitæ, ἀσπογία in posteros, & totalis a Deo apostasia. Adeoque gravissimum hoc fuit peccatum totius naturæ, quam totam corripit. Et tanta rerum copia abundans facile vitare poterat hoc peccatum, præcepto non repugnante inclinationi naturali. Abraham, inquit Mercerus, hic nimium uxori obsequitur, per errorem tamen, non per contumaciam, ut Adam, cui specialiter mandatum fuerat factum, ne arboris vetitæ fructu vesceretur. At Abraham hic nondum sciebat, an ex ipsa Sara futurum esset semen illud, quod sibi pollicitus erat Dominus. Longe ergo alia ratio fuit Abrahami, de quo Abarbenel scribit *Commentario in Pentat. f. 61. 2.*

ולמר הכתוב התנצלות על אברהם למה עשה את הרבר הזה באמרו מקץ עשר שנים לשבת אברם בארץ כנען רוצה לומר שבראותו שיערו השם שיתן לו זרע בארץ כנען ושעמד שם עשר שנים ולא הוליד חשב בלבו כמחשבת שרה שלא יוליד. *Docet Scriptura excusationem Abrahami, quare hoc fecerit, quando dicit (Gen. xvi. 3. accipiens Sarai Hagarem ancillam suam) exactis decem annis, ex quo habitabat Abram in regione Canaanis; hoc est, cum animadverteret, Deum promississe sibi dare semen in terra Canaan, & postquam ibi decem annos substiterat, se nondum genuisse, reputavit in animo suo idem, quod cogitaverat Sarah, Deo non placere sibi dare semen ex ea, ideo accepit Hagarem.*

XII. Posterioris argumenti, quod in Abrahamo non fuit peccatum, etiam in nobis non est, negatur consequentia & assumptio. Quia variant circumstantiæ. Abraham prolis suscipiendæ & tanti hæredis promissi causa hoc fecit, quem, Sara sterili manente, exactis nunc decem annis, non amplius exspectavit, hinc Augustinus *lib. xvi. de Civit. Dei c. xxv.* alijque Patres & Theologi Christiani cum a peccato absolvunt. Verba illa Abrahami, *ego liberis carens incedo Gen. xv. 2.* Abarbenel ita interpretatur: *Abraham non proponebat sibi murmurare propterea, quod a Deo non nactus esset liberos, secundum naturam suam, sed postquam eos Deus dare promiserat, per modum benignitatis & gratia convenire putat, ut daret in juventute sua, ut essent sibi in auxilium & prodesse. Nam ut sagitta in manu*

manu robusti, ita sunt pueri (Psal. cxxvii. 4.) Ita ex mente eorum, qui locum Malach. ii. 15. de Abrahamo exponunt, consequentiam Iudæorum, (Abraham non tantum cum Sara, sed etiam cum Hagar concubuit, Ergo & nobis illud non est prohibitum,) Propheta negat, quia Abraham, Sara sterili manente, exoptavit habere filium, non ex libidine carnis; nec contra voluntatem Saræ Hagarem accepit, neque Saram odio habuit. Et licet Abraham sit pater credentium, non ideo nobis integrum est omnia imitari, sed quatenus ille Deum imitatus est. Neque dubium nobis est, quin Abraham peccaverit, æque ac Lamechus, alique non fœderati & infideles, dum prolis causa leviter media captat & rationes illicitas, præter Dei verbum & voluntatem, contra institutionem Dei, etsi bona ejus esset intentio, quæ in tantum excusat. Quia amplius expectari promissionem Dei oportebat, quam recentem superiore capite de eodem argumento a Deo acceperat.

XIII. Pergit Theophilus Thesi XLII. *Quodcumque increatus Angelus Dei approbat, non est peccatum. Atqui polygamiam Abrahami cum Hagar inchoatam, per acrem reprehensionem superbia, & intermissam taxationem concubitus approbat. Ergo.* Respond. verum est, Angelum ibi loqui increatum, de quo Abarbenel in legem f. 61. 3. 4. testatur, quod non possit esse Propheta, quia dixit, *multiplicabo valde semen tuum* (Gen. xvi. 10.) & quia vocatur יהוה אל יהוה *Jehova fortis Deus*, qui cognovit cor & cogitationes Hagaris, com. ii. 13. Sed nego, Angelum istum approbasse polygamiam. Jubet tantum Saræ heræ suæ se submittere, & afflictionem subire com. 9. seq. non autem probat factum, neque jubet cum Abrahamo iterum concumbere. Videtur potius Abraham ea abstinuisse post natum Ismaëlem, prout jussus est a Deo, ex voto Saræ, ancillam ejicere Gen. xxi. 10. & seq. Displicebat Deo consilium Israelitarum, quod regem sibi postularent, i Sam. viii. 7. 8. & tamen miram ostendit providentiam in toto hoc negotio i Sam. ix. 17. seq. & cap. x. Id nos non debet in eam opinionem deducere, ut credamus, Deo placuisse.

XIV. Sequitur aliud argumentum, quod quidem speciosum videtur, haudquaquam tamen solidum est Thesi XLIII. *Quodcumque Deus, Angelus, Abrahamus, Sara, & omnes circa illa tempora viventes (vicina gentes Hemor, Sichemita,) omnesque Propheta, Apostoli & Patres Ecclesie omni tempore pro legitimo habuerunt, illud illegitimum*

seu peccatum censeri nequit. Atqui Deus, Angelus, Abraham &c. filios Patriarcharum ex uxoribus secundariis natos, non pro spuris aut natis, sed pro legitimis habuerunt. Ergo adhuc hodie pro legitimis sunt habendi; & per consequens, polygamia, ex qua nati sunt, est legitima, & adhuc hodie erit legitima, seu legi divina non contraria. Citat patres nonnullos & Lutherum, qui ab omni crimine Abrahamum absoluerint. Minorem probat eadem Thesi XLIII. & L.L. LII. ex eo, quod Deus Ismaeli ex Hagare nato benedixerit, longam vitam concefferit, curamque paternam & exactissimam ejus habuerit Gen. XVII. & XXI. cum spurii nulla benedictione Dei fruerentur, & a cœtu Dei arcerentur usque in tertiam generationem. Cui haud dissimile est argumentum ex historia Jacobi desumptum Gen. XXIX. Thes. LV. Jacobus cum uxoribus illis tribus Lea, Bilha & Silpa, quas post primam duxit, & cum prima retinuit, legitimos procreavit filios, qui venerunt in cœtum Domini, Ergo ei polygamia ceu res indifferens est permissa. Eandem benedictionem divinam ad probandam polygamiam allegat etiam Arcuarius pag. 139. pari modo alii argumentantur. Si polygamia fuisset illicita, sanctos patres plerosque, a quibus Christus descendit, censendos spurios.

XV. Resp. absurdam hanc esse consequentiam, Deus benedixit liberis ex polygamia susceptis, a cœtu atque hæreditate eos non exclusit, & homines pro legitimis habuerunt, Ergo polygamiam ceu legitimam, & legi divinæ non contrariam, approbavit, & adhuc hodie approbat & pro legitima habet. Etenim 1. non omne id legitimum in foro conscientiæ, quod tale in foro civili, in quo polygamia olim tolerabatur & immunis erat a pœna publica, etsi non esset immunis a culpa. Legitimi ergo possunt esse filii æstimatione civili, quamvis conjunctio parentum non sit legitima in foro conscientiæ. 2. Si id procederet, simili argumento colligeretur, Deo scortationem Gileadi placuisse, quod ex meretrice sustulerit Jephtham, cujus fides & aliæ insignes virtutes celebrantur. Kajini curam Deus gessit, ne a quovis obvius occideretur Gen. IV. 15. neque tamen ideo ipsi placuit. Abraham per 400. annos carebat terra promissa, quia tantum temporis adhuc concefferat Amoræis Gen. XV. 13-16. ideone Amoræi Deo placebant?

XVI. Moab & Ammon filii Lot, (qui Abrahami fratris filius, ejusdemque comes ex Chaldaea in Cananæam, atque consors pietatis

tatis 2 Pet. 11. 7. sq.) veri Mamferi *spirii* erant, ex incestu nati, & quidem inebriato patre; at tamen duabus nationibus, quarum auctores erant, quia Loto oriundæ, & Israelis consanguineæ, Deus benefecit, & insignem hæreditatem donavit. Bis occurrit mandatum de non offendendo Moabo Deut. 11. 9. 17. 18. 19. Edom fuit hostis infensissimus Israelis, nihilominus tamen Deus ei dedit quietem in possessionem, & salvam custodiam ad tempus, ut tunc eum attingere non liceret Deut. 11. 4. 9. Magna meretrice inimica est Ecclesiæ, & tamen longa fruitur quiete, sed impleta mensura peccati, iudicium ejus erit eo gravius Apoc. xvii. 12-16. cap. xviii. 7.

XVII. 3. Lex illa Deut. xxiii. 2. tempore Abrahami & Jacobi nondum erat lata. Neque, ut modo audivimus, in foro & æstimatione civili illegitimi erant ex polygamia a Deo tolerata suscepti. Neque lex ista omnes promiscue illegitimo concubitu prognatos ab honoribus excludit, sed eos qui & illegitimi sunt in se, & in publico omnino infames pronunciati, quales Ismael filius Abrahami & filii Jacobi, ex Lea, Bilha & Silpa nati non erant. Etiam si enim concubinae contra institutionem Dei ducebantur, honestiore tamen loco habebantur, quam prostibulae, quarum conjugatio plane & semper injusta est. Lex autem agit de *Mamzer*, quo, Celeberr. interprete Fr. Junio, significatur is, qui ex scorto sive prostibulo natus est, plane incerto patre, sed certissima infamia; est ergo vir *ἐκ πόρνῆς ἐκ scorto* (ut vertunt LXX.) cui & incertus pater, & mater infamis est, talem Deus non vult admittendum in populo suo, ad Ecclesiæ & reipublicæ administrationem. Vocem *מזר* derivat Kimch. a *זר* quod sit *alienus* a legitima familia R. Saadia habet *זר* *illegitime genitus*; nempe ex scorto. Versio Arabica Erpeniana *ابن الزانية* *pullus meretricis*.

XVIII. 4. Adde Grotii Annotata ad 2 Sam. xi. 27. mala visa est res, quam fecit David, in oculis Domini. id est, displicuit adulterium, nuptiis conglutinatum cap. xi. 9. Neque tamen irritæ fuere eæ nuptiæ, neque filius postea natus, ob id minus legitimus. Multa enim in hoc genere non probe sunt, quæ tamen rata sunt. Nec frustra Bethsabea in genealogia Christi diserte nominatur, ut ejus exemplo moniti Judæi minus averfarentur illos alienigenas, qui vitiis quondam obsiti vitam emendaverant. Recte monet Grotius, non sine ratione Christum Bathsabeæ, aliorumque gravissimorum peccatorum nomina inserta voluisse

catalogo majorum suorum, qui tamen in foro civili non habebantur pro illegitimis. Filius Davidis Salomoh ex Bathseba natus, per Nathanem Prophetam vocatus est *Jedidja dilectus Domini*, quod Dominus diligeret ipsum. 2 Sam. xii. 24. 25. Factum ergo & matrimonium displicuit Domino, attamen filium dilexit. Augustinum aliosque patres Abrahamum a crimine absolvere novimus, aliqualem excusationem concedimus. Lutheri exitum Dei organi sententiam, quam prolixè citat Ath. Vincentius, *non esse prohibitum, plures ducere uxores*, non moramur. Scriptura sola nobis debet esse norma doctrinæ & morum, non hominum commenta, qui falli possunt, quia omnes sunt mendaces Psal. cxvi.

XIX. Reliqua argumenta Theophili ex historia Abrahami desumpta, non sunt magni momenti; ut quod extat Thesi XLIV. *Qui peccatilla punit, & que censentur magna peccata, non punit, ille peccatilla habet pro veris peccatis, reliqua vero, que putantur magna, pro indifferentibus.* Atqui Deus punivit risum in Sara Gen. xviii. 12. qui in comparatione ad polygamiam, quam in Abrahamo, Sara & Hagare nunquam punivit, est peccatillum. Ergo polygamiam habet pro indifferenti. Respond. 1. Neg. Consecutionem majoris, quia Deo possunt esse sanctæ rationes, cur unum peccatum magis reprehendat & puniat, quam aliud, pro renata, ut tamen alterum propterea pro indifferenti non agnoscat, aut e numero peccatorum non excludat. 2. Nego, risum illum fuisse peccatillum, quo in fide festinavit Sara, quæ festinatio improbatur Esa. xxviii. 16. Quia non exspectavit Dei promissionem, sed ex hominum sensu Dei facultatem æstimavit, reprehensa est acriter propter incredulitatem & impatientiam, atque ob consilium de Hagare ancilla Abrahamo conjungenda. Acute pro more scribit Abarbenel *Comm. in Pentat. fol. 67. 2.* Quia jam ante Sara hoc audiverat ex ore Abrahami, magnum reatum contraxit, quod neque prima neque secunda vice hoc crediderit.

XX. Pergit Theophilus th. XLV. Cui Deus revelat ea, que ad ipsum proprie non spectant, ei non abscondit ea, que ad salutem ipsius aternam concernunt. Atqui Deus revelavit Abrahamo interitum Sodomæ, ergo magis ea, que salutem ejus aternam concernunt, uti est polygamia, si peccatum est. Respond. 1. Majorem non esse universalem, exempla Bileami Num. xxiv. Cajaphæ Joh. xi. & aliorum docent. 2. Negatur, interitum Sodomæ ad Abrahamum non spectasse.

Cum

Cum enim Deus subverteret illas civitates, recordatus Abrahami emisit Lotum e medio illius subversionis Gen. xix. 29. Revelavit Abrahamo intentum Sodomæ, ut præciperet filiis suis & familiæ suæ post se justitiam & jus, ne iisdem peccatis commaculati in idem iudicium incurrerent. Dabat etiam hac ratione Abrahamo ansam pro justis in illa civitate intercedendi. 3. Gravissima Sodomitarum peccata & horrenda illa divina vindicta non debent comparari cum peccato ab Abrahamo per infirmitatem, si non ignorantiam, commissio. Etiam amicos Dei in peccato maxime ignorantia subinde manere, probant exempla Asæ, qui rectum fecit in conspectu Domini, sicut David, neque tamen excelsa abstulit 1. Reg. xv. 11. 14. & Josaphati cap. xxii. 43. 44.

XXI. Thesi XLVI. reperit, quæ jam superius proposuit, nempe *Deum Abrahamo, cum quo familiarissime conversatus est, polygamiam seu peccatum neque in peculiari lege, neque in exemplis committentium proposuisse, adeoque eam pro peccato non habere.* Resp. Neg. consequentiam, illud non esse peccatum, de quo Deus non peculiarem legem dedit. Contrarium ostendit Christus explicans Decalogi præcepta Matt. v. Dein legem expressam habemus Gen. 11. 24. licet ejus forte oblitus fuerit Abraham, sicut aliorum præceptorum. Denique Thesi LIII. objicit, *polygamiam Nachoris seu bonum nuncium Abrahamo allatum, liberosque, ex illa natos sine ulla reprehensione narrari Gen. xxii. 24.* Abrahamum polygamiam continuasse, & plures uxores secundarias sibi ascivisse Cap. xxv. Unde ita argumentatur. *In quocunque Abraham (Iacobus, Elkana, Gideon, David, Salomo) per dies vite sue perseveravit, illud non fuit peccatum, quia perseverare in peccato & pœnitentiam agere, non possunt esse simul in eodem subjecto. Atqui in polygamia Abrahamus & ceteri perseverarunt Gen. xxv. 16. 1. Par. xxxii. Ergo.*

XXII. Respond. 1. Nihil Gen. xxii. 24. dici, nisi quod Nachor quoque concubinam habuerit, in eadem cum Abrahamo, Sabæorum religione forte educatus. Factum illud nec probatur, nec improbat. Bonum illud nuncium consistebat in eo, quod Nachoris fratris sui semen intelligeret multiplicatum, sicut Deus supra promiserat, propter Abrahamum etiam amicis se benedicturum, quod gaudium pariebat patriarchis. 2. Ex historia Mosaica non liquet, Abrahamum polygamiam continuasse. Gen. xxv. 1. Ke-

turam uxorem accepisse legitur, quam eandem fuisse cum Hagar, quam rursus duxerit, sine fundamento, & contra scripturam asserunt quidam Hebraei, quia dicitur *וַאֲבֵרָה נָשִׂיאָהּ* & addidit, vel perrexit Abraham uxorem ducere, i. e. adhuc uxorem duxit, & quia diversa sunt nomina Ketura & Hagar, cujus etiam distincta mentio com. 12. Tertio quia concubinarum fit mentio com. 6. & denique tres generationes distinctae narrantur, ex Ketura com. 2. 3. 4. ex Hagar com. 12. 13. 14. 15. ex Sara com. 19. Accepisse autem Abrahamum Keturam post mortem & decessum Saræ, & matrimonium Isaac, Hagar, quam ante diu cognoverat, jam dimissa, satis ex ordine hujus historiae manifestum est. Quamvis Ketura com. 6. concubinæ nomine designetur, respectu consortii tamen justa fuit Abrahami uxor. Quia procul dubio hoc cavet Abraham, cum Keturam ducturus esset, ut solus filius Isaac hæres esset. Qui ergo probabunt nostri, Abrahamum in polygamia perseverasse? Cur Deus iussit Abrahamum auscultare voci Saræ, & ejicere ancillam, non tantum propter filium, uti vult Ramban, sed propter ipsam, ut Abrabanel Gen. XXI. 10. 11. 12. si grata fuerit hæc copulatio?

XXIII. Audiamus & hic Doctiss. Scripturarum Interpretem quem Theophilus citare solet, Fr. Junium ad Gen. xxv. *Hic quaeritur, utrum post obitum Sara Abraham Keturam duxerit, nec ne, ac proinde uxor justa, an concubina illius fuerit.* Respondet hoc modo cum Augustino & aliis: *Abrahamum post Sara obitum Keturam justam uxorem duxisse: quæ res tum sanctimonia & exemplo Abrahami, tum verbis Moysis confirmatur. Sanctimonia, quia Abraham non erat nescius naturalis de conjugio juris, ac proinde polygamiam fugiebat. Exemplo, quia ne de Hagaræ quidem ducenda consilio cogitasset, nisi Sara importunius fecisset, supra 16. Verbis denique Moysis, quia dicitur adjecisse, sive perrexisse uxorem ducere. Adjecisse autem non superstiti Sara, sed defunctæ: quia superstes Sara, neque conjugium ante oculos suos neque liberorum procreationem fuisset perlatura, quod argumento c. 16. & 21. quæ ancilla cum filio ejecta est, confirmatur. 3. De Iacobo, Elkana, & reliquis, quos perseverante in polygamia dicit Theophilus, postea videbimus. Consequentia autem falsissima est, in quo Abraham, Iacob, David, similesque viri sancti perseverarunt, illud non est peccatum. Annon fideles in multis peccatis, quæ sæpe ignorant, perseverant, ad mortem usque, quia tunc demum totaliter deponitur corpus peccati, neque tamen desinunt respicere,*

re, exemplo Pauli Rom. VII. 24. Neque Apostolus absurdum iudicat, in uno eodemque subjecto reperiri carnem & Spiritum, malum & bonum, vetus & novum principium.

XXIV. Concludimus verbis Celeber. Spanhemii Par. III. *Dub. Evang. CXXII. §. II. Aliud longe, narrari aliquid in sacris, aliud, laudari; aliud tolerari à Deo, vel non puniri, aliud, vel præcipi vel probari. Aliud, loqui de jure; aliud loqui de facto; aliud loqui de officio; aliud de praxi; aliud, de lege, aliud, de exemplis. Inepta illatio ab uno ad alterum, quando illa disparia. Narrantur sane multa de concubinariis & polygamiis, non probantur, quippe que contraria primæ institutioni matrimonii. Hæc applicari possunt omnibus reliquis exemplis, quæ nunc explicare aggredimur.*

CAPUT V.

Neque Esavi, Jacobi & Onanis exempla Gen. XXVI. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXVI. XXXVII. probant, polygamiam esse licitam.

QUAMVIS dicta hæcenus sufficere deberent polygamie defensoribus ad assensum permovendis, ab exemplis patriarcharum perperam argumentum duci ad probandum, polygamiam licitam esse, reliquæ tamen theses de Esavo, Jacobo & sequentibus patriarchis breviter sunt examinandæ, & discutiendæ argutationes paucis, ut dubitandi locus nullus relinquatur. Objicit Theophilus Thesi LIV. Esavi bigamiam ex Gen. XXVI. 34. & trigamiam cap. XXVIII. 8. 9. ob quam neque a Spiritu S. neque a parentibus sit reprehensus, sicut nec Jacobus polygamus. Unde talis syllogismus: *Quodcumque Spiritus S. neque in locis propriis, nec alibi, vel generaliter vel specialiter taxat, illud non est peccatum. Sed polygamiam Esavi & Jacobi Sc. Ergo. Respond. I. Esavi exemplum nihil efficit, quia fuit $\epsilon\epsilon\sigma\eta\lambda\theta$ profanus & nequam Hebr. XII. 16. & uxores duxit Cananæas ad Sanctorum parentum vexationem Gen. XXVI. 35. A qua impia polygamia procul dubio $\pi\acute{o}\rho\gamma\omicron\varsigma$ scortator eodem loco ad Hebræos appellatur, quia tam polygamia, quam matrimonio quæsito ex profapia maledicti Canaanis peccavit. Abraham & reliqui sancti viri, aliquo modo excusantur, quia quærebant multiplicare semen sanctum, quod fieri per Esavum non poterat. Displicuit ergo factum Spiritui S.*

II. 2

II. 2. Circumstantiæ textus docent, displicuisse etiam Isaac. Is enim præcepit Jacobo, ut acciperet sibi uxorem (non uxores) de filiabus Labanis, non autem Cananæorum. Quod videns Esavus abiit ad Ismaelitas, & accepit uxorem sibi Machalatam filiam Ismaelis, præter superiores uxores suas Gen. xxviii. 1. 2. 5-9. Fecit ergo in toto hoc negotio, quod parenti displicuit, qui iussit unam ducere uxorem a consanguineis, quod & Jacob intendit facere, nisi deceptus fuisset a Labane. Syllogismum quod attinet, ex capite præcedenti liquet, non valere consequentiam. Leges Deus dedit, non omnia & singula peccata taxavit. Generaliter tamen polygamiam Gen. ii. 24. improbatam esse, supra audivimus. Speciales leges tempore Moysis demum scriptæ dabantur. Optima mandata dederat Abraham liberis suis & familiæ suæ post se Gen. xviii. 19. sed generaliora, & quæ viam Dei ipsis commendarent. Ast ne quidem in domo sua dum vixit, obtinuit obsequium. Ismaelem filium, & Esavum nepotem vidit impios homines.

III. Thesis LV Theophili de filiis Jacobi ex Lea, Bilha & Silpa natis legitimis, refutata est Cap. præcedenti IV. Th. xiv. & seqq. Thesis LVI polygamie patronis plane adversatur, quod scilicet Jacobus *præter intentionem*, deceptus Labanis loceri impii fraude Leam in uxorem acceperit, quam fatente Athanasio Vinc. summo jure repudiare potuisset, nisi ratione habita tum parentum, tum famæ virginis, tum propriæ tenerrimæ ad restitutionem in integrum inclinantis conscientie, jure suo relicto, beneficio matrimonii illam restituisset. Id ad aliqualem Jacobi excusationem adduximus Cap. II. Th. xiv. Non ergo a libidine & petulantia id processit, quia ultra annos 80. cœlebs vixerat, neque ullus in Scriptura S. intemperantiæ insimulatur.

IV. Objicit benedictionem, qua Deus *εὐτεκνίαν* & polygamiam profecutus est Gen. xxx. 18. *Deus recompensat polygamiam a Lea Jacobo suppeditatam. Ergo non est peccatum, quod Deus odit & punit, sed bonum opus.* Respond. 1. certum est, fuisse in V. T. *εὐτεκνίαν* & *πολυτεκνίαν* divinæ benedictionis signum Deut. vii. 14. Exod. xxi. 26. Psal. cxxvii. & *ἀτεκνίαν* ac sterilitatem exosam, & signum maledictionis Gen. xxx. 1. 2. 23. Luc. i. 25. sicut judicium fuit in domo Abimelechi propter Saram, ut omnes sterilefcerent, Gen. xx. 17. 18. neque tamen ideo omnia media feminis multiplicandi

candi Deo probata sunt. Ehud recte faciebat, quod liberaret populum Jud. 111. 16. quia Deus eum excitasse dicitur, licet dolo uteretur, quem Deus non mandaverat. 2. Quando Lea dicit *שפחתו לאיש נתן לי אלהים שכרי אשר נתתי שפחתו לאיש* *Dedit Deus mercedem meam, postquam dedi ancillam meam viro meo*, non est sensus, quod substitutio ancillæ adeo grata fuerit Deo, ut mercedem etiam rependere dignatus sit. Cum filium sibi datum præcedentis peccati mercedem jactare non debuerit. Sed respicit comma præcedens 16. *mercede conduxit te mandragoris filii mei*, & dicit: rependit mihi Deus *mercedem meam*, scilicet quam solveram torori pro nocte ex Dudaim filii mei, eam Deus abunde compensavit, qui mihi prolem dedit etiam postquam desperato partu eam in ancilla mea quæsieram. 3. In isto capite xxx Geneseos Deus incommodis zelotypiæ & contentionis mulierum, sibi polygamiam displicere, potius testatus est, etsi misericordia Dei vitiositate hominum non potuit intercipi, quin beneficeret suis.

V. Addit Arcuarius p. 139. quod *Deus recordatus sit Rachela, & Hanna* Gen. xxx. 22. 1 Sam. 1. 19. Atque ita benedixerit polygamix. Non enim benedicit Deus neque auxiliatur hominibus in rebus voluntati divinæ repugnantibus. Respond. Rachelem & Hannam veras fuisse uxores Jacobi & Elkanæ, non mirum ergo, quod Deus eorum partui benedixerit. Hinc Jarchius Rachelem Gen. xxxi. 14. prius nominari vult, quam Lea, quæ natu major erat, quod illa fundamentum familiæ fuerit, propter quam Labano affinitate junctus Jacobus, idque posteros Leæ confessos esse Ruth. iv. 11. Et verum est, quod dixit Jarchius, quia absque Rachele, quam ob formæ elegantiam & morum honestatem ac suavitatem Jacobus deperibat, nunquam Leam uxorem duxisset, per dolum suppositam. Ideoque Rachel sola ex omnibus Jacobi uxoribus *Jacobi uxor* appellatur Gen. xlvi. 19. Majori specie objecisset Arcuarius Gen. xxix. 31. ubi Jehova Leæ vulvam aperuisse legitur. Sed fatebitur ipse, Deum meretrici Gileadi, & filibus Loti etiam aperuisse vulvam, cum Dei solius sit eam claudere & aperire Gen. xx. neque tamen scortationem & incestum approbasse.

VI. Pergit Theophilus Thefi LVIII. *Cultiores & moratiores gentes a polygamia non abhorruerunt, Ergo non est contra legem naturæ, & exinde compositum Decalogum. Id probat exemplo Labanis, duas filias*

filiis & ancillas Jacobo dantis atque ita polygamiam approbantis, & ne plures filiabus suis superinduceret, & molestias ex hac adductione plurium crearet, tranquillumque statum turbaret, juramento eum obstringentis Gen. xxxi. 50. Labani autem propter Jacobum polygamum, Deum benedixisse, ait. Respond. 1. Illud argumentum uti prolixè satis a Theophilo & Athanasio propositum Thesi v. seqq. ita a nobis Sect. II. Capp. II. III. & IV. satis est confutatum. Quamvis enim mala consuetudine polygamia introducta in ipso populo Dei vigeret, moratiores tamen gentes ea abstinuerunt. 2. Labanem non adeo congrue legi naturæ & præceptis decalogi, qui tamen plus continet quam legem naturæ, vixisse, ex eo satis liquet, quod idololatriam exercendo, Jacobum decipiendo & injuria afficiendo, invito filiam obrudendo, mercedem nullam dando, aut sæpe eam immutando, & maximam avaritiam hac in parte præ se ferendo, contra Deum & proximum peccaverit. 3. Neque Deus Labani benedicens propter Jacobum Gen. xxx. 27. seq. polygamiam approbavit, sicut nec idololatria, malis artibus & injuria Labanis delectatus est. 4. Etsi Laban in illo fœdere cum Jacobo inito Gen. xxxi. 44. 50. ne plures filiabus suis superinduceret uxores, non plane detestatus fuerit polygamiam, sed eam usitatam tunc fuisse ostenderit, haud obscure tamen innuit polygamie incommoda, afflictionem scilicet, molestias & tranquilli status perturbationem.

VII. Ridiculum est, quod Theophilus Thes. LIX. LX. & LXI. ex historia Jacobi Gen. xxxii. 14. 15. coll. 2. Paral. xvii. 11. profert, Jacobum fratri mittendo 200 capras & 20 capros, oves 200 & 20 arietes, vaccas 40 & 10 boves, inter bestias & jumenta sua polygamiam observasse, unde colligit, quod si polygamia inter bruta non sit peccatum, quia cum prima creatione concordat, etiam inter homines peccatum dici nequeat. Atque sic argumentatur: *Polygamia brutalis post & præter primam creationem introducta à pastoribus, ab omni improbatione fuit libera. Ergo Deo placuit, & non fuit peccatum. Jam, quia Deus majorem habet complacentiam in hominibus, quam in brutis, etiam majorem habebit complacentiam in hominum propagatione possibili seu polygamia. Ceteris paribus, addit, si nullibi suam displicentiam hac in re contestatus fuerit.*

VIII. Respond. Consequentiam a brutorum generatione & appetitu Veneris, quorum commixtio vaga & promiscua, non est con-

contra naturam, ad conjugium hominum, quibus id solis institutum est, inanem & stolidam esse, superius Sect. I. Cap. IV. & V. satis superque demonstratum est, & hactenus satis ostensum, Deum displicentiam suam in polygamia contestatum. Varro de re rustica lib. II. Cap. III. suo commendat exemplo hanc proportionem. *De maribus, inquit, & fœminis idem fere discrimen, ut alii ad denas capras singulos parent hircos, ut ego.* Sic proportionem hanc decuplam servavit Iacob, rei pecuariae haud imperitus, in ordinatione rerum fratri præmittendarum. Quid inde? ergo illa proportio vel saltem polygamia etiam inter homines. Nugamenta.

IX. Thesi LXII Theophilus argumentatur ex Gen. xxxi II. 5. *Polygamia & πολυτενία est donum Dei, seu provenit a Deo, Ergo non est peccatum.* Sed quisque videt crassam fallaciam compositionis, Liberi dicuntur donum Dei, dono dati, & a Deo profecti, polygamia non item. Argutationibus, quas Th. LXIII. ex Gen. xxxv. II. repetit, occurrimus Sect. I. Cap. VII. & Sect. III. Cap. III. Iacobus iustus est se multiplicare modo aptissimo & legitimo, sive legi divinæ conformi. Diutius igitur hisce non modo ejusdem rei, sed & eorundem verborum inutilibus repetitionibus immorari superfedemus, ne tædium pariant lectori. Thesi LXIV. refertur, Patriarchas a peccatis contra V. & VI. decalogi præceptum, juxta suam divisionem, vel potius contra VI. & VII. perpetratis, ab homicidio nempe, adulterio, incestu, & polygamia muliebri abhorruisse Gen. xxiv. xxxv. 22. xxxix. 12. XLIX. 4. a polygamia virili non item; Iacobum filiorum scelere perturbatum, cum cæteris patriarchis in polygamia tranquillam conscientiam habuisse; Simeonem accusasse, nulla mentione facta concubinæ, de qua Gen. XLVI. neque in agone mortis constitutum filios a polygamia dehortatum fuisse.

X. Respond. I. Sæpius dictum, polygamiam minime comparandam cum primis in V. T. cum homicidio, adulterio & incestu filiorum Iacobi. Vide sis præcedens caput IV. Ita nondum oblitterata erat lex naturæ, ut ea horrenda scelera fuisse ignorarint. 2. Si adeo tranquillam conscientiam habuerit Iacobus in statu suo polygamico, nec filios suos ab eo dehortatus sit, cur nemo eorum plures uxores duxisse legitur? Simeonem quidem dicit, non probat, concubinam habuisse. Procul dubio id colligit ex commate

10. citati capitis Gen. XLVI. coll. cum Exod. VI. 15. Num. XXVI. 12. Et filii Simeonis Iemuel & Iamin, &c. Saul quoque filius cuiusdam Canaanitidis. Hanc nominatim expressam volunt Trem. & Junius, ut intelligamus, reliquos Simsonis aliorumque patriarcharum liberos non esse natos ex matribus generis maledicti, excepto Schela, filio Jehudæ, de quo v. 12. & cap. XXXVI. 11. Sed ex textu erui nequit, Simeonem Cananæam istam simul cum altera uxore habuisse, quemadmodum nec Abraham simul sibi junctam habebat Saram & Keturam. Quod Hebræi tradunt, Cananæam illam esse Dinam, ita dictam, quod a Cananæo vitata fuisset, id nullo nititur fundamento.

XI. Tandem Theophilus adducit factum Onanis Gen. XXXVI. 11. indeque ita argumentatur: *Monogamus juvenis abundans semine, non adhibet semen nisi a Deo destinato, nempe procreationi sobolis, Ergo aque ac Onan reus est mortis. Contra, polygamus semen a Deo concreditum deputat procreationi sobolis, Ergo est vita dignus, & non morte puniendus, ut modernus mundus solet polygamos capitaliter plectere. Denique & hoc addit: Omnis juvenis masculus pluribus potest communicare vitam per polygamiam, quod monogamus non facit. Ergo juvenis monogamus peccat.* Respond. 1. inde sequeretur, omnem juvenem protinus debere uxorem ducere unam vel plures, quod tamen multi pii, imo omnes fere patriarchæ non observarunt. Ergo illi omnes morte fuerint digni, quod tot annos matrimonium distulerint. Ergo falsa erit doctrina Pauli 1. Cor. VII. Nugæ certe vix dignæ responso. Abarbenel in Legem f. 82, 4. docet, Magistros quidem præscripsisse annum 18 quo juvenis ducat uxorem, non quasi tunc eam ducere debeat, sed quia natus 18 annos decentes ad generationem liberorum vires possideat. Inde etiam Scripturam istum ordinem servare volunt Magistri Deut. xx. 5. 6. 7. *Quis est vir qui edificavit domum novam &c. Quis est vir, qui plantavit vineam, &c. Quis est vir, qui desponsavit uxorem, necdum duxit eam?* Quod oporteat hominem primo in ædificio esse occupatum, dein in vinea plantanda, & ultimo in ducenda uxore, exemplo patriarcharum, ut ibidem refert Abarbenel.

XII. 2. Malitiose & proterve contra naturam & honestatem omnem, peccavit Onan, cujus factum nullatenus simile est illis, qui unam vel nullam uxorem ducunt. Onan, inquit Calvinus, violento abortu fratris sui sobolem ex utero materno crudeliter & fœde

de in terram projecit. Erat hoc crimen, quale mulieris foetum ex utero medicamentis abigere conantis. Quomodo generis humani partem, quantum in se, delere conabatur. Turpissima nequitia, quæ ne quidem inter gentes nominata est. Ideoque morte punitus. Eodem supplicii genere afficiendos polygamos, nos non statuimus, quin improbamus. Reliqua, quæ huc pertinent, vide supra Sect. II. Cap. III.

XIII. Concludit Theophilus Aleth. hæc ex Genesi sufficere, quanquam multo plura exinde possent elici. Cætera se silentio involvere, & erudito lectori relinquere. Profecto si & Theophilus, & Athanasius & Arcuarius plura inde elicere potuissent, non tam futilia argumenta inde sæpe produxissent, nec eandem cramben toties recoxissent. A nobis nullum exemplum, nullum dictum, nullum argumentum pro polygamia ex historia patriarcharum præteritum.

XIV. Ne cui autem mirum videatur, cum Th. x. duodecim patriarchas polygamos fuisse negaverimus, quod a 70 viris intra annos 215. tanta multitudo hominum propagari potuerit, ut in egressu ex Ægypto numerarentur bellatorum solum a 20 ætatis anno sexcenta millia virorum, non accensitis Levitis, senibus, pueris ac mulieribus Exod. xii. 37. Num. i. 46. xi. 21. perpendi & considerari velim 1. Israelitas quasi germinantes, reptilium ac piscium more, abunde progenuisse Exod. i. 7. per unum partum gemellorum aut plurium. 2. Ægyptum valde fertilem fuisse, teste Aristotele *historia anim. lib. vii. Cap. iv.* & Gellio *lib. x. c. ii.* cum mulier quædam quatuor partibus viginti ediderit, & ex Trogo referat Plinius *lib. vii. c. iii.* in Ægypto septenos uno utero simul geri; quanquam hoc non commune & ordinarium fuerit. 3. tribuendam præcipue esse hanc multiplicationem singulari benedictioni divinæ, Abrahamo promissæ, & protectioni, qua hæc propagatio consiliis Pharaonis impedita non est. 4. etiam ordinaria via naturali tantum numerum, imo longe majorem prodire potuisse. Si assumatur, annos tantum 200 Israelitas in Ægypto exegisse, & 40 tantum, qui generarint. & cuilibet tantum tres masculos fuisse, nec ante 20 annum eos generasse, ita per decem vicenarios multo major numerus proditurus est. Nam primo annorum vicenario prodibunt 120. secundo 360. Tertio 1080. Quarto 3240. Quinto 9720. Sexto 29160. Septimo 87480. Octavo 262440.

Y 3.

Nono

Nono 787320. Decimo 2261960. Ita non opus erit cum Th. Tannero fervorum circumcisorum familiam, quæ istuc demigravit, nec cum Iacobo Rudierd, quem citat Tannerus Tract. de *Orgine & increm. prima Dei Ecclesia*, concubinarum usum in auxilium vocare.

SECTIO QUARTA

LEGES, DICTA ET EXEMPLA DE MONOGAMIA ET POLYGAMIA, SUB LEGE, A MOSE USQUE AD CHRISTUM CONTINENS.

CAPUT PRIMUM.

Quæcunque in V. Testamento de Monogamia & Polygamia loca occurrunt, generaliter enarrantur.

PRO ratione instituti ordine historico primum omnia illa loca V. T. proferemus, quæ duas non plures personas matrimonialiter conjunctas testantur, deinde leges dicta & exempla, quæ polygamiam stabilire videntur, eadem serie enarraturi. Monogamiam respiciunt e libris historicis textus sequentes Exod. xxi. 3. 4. 5. Lev. xviii. & xx. 10. seq. ubique in singulari numero de uxore, de muliere dicitur, (quo pertinet lex Lev. xviii. 18.) cap. xxi. 7. 13. 14. Num. v. 12-31 xxvi. 59. Deut. xiii. 6. xvii. 17. xx. 7. xxi. ii. xxii. 13. sq. xxiv. 1. 5. xxv. 5. ii. xxvii. 20. xxvi. 1. 30. 54. 56. 57. Judic. iv. 4. 9. 17. 21. v. 24. xii. 8. 9. xiii. 2. seq. xiv. 1. seq. xv. 1. 2. 6. xix. 1. seq. xx. 4. 5. xxi. 1. 18. 21. 22. 23. Benjaminitæ uxoribus destituti, civitates restauratum jubebantur sibi rapere quisque unam uxorem suam e puellis Schiluntinis. Isti tamen, si quis unquam, pluribus opus habuissent. Ruth. 1. 1. 3. 5. 6. 8. 11. 14. 5. 10. 12. 1 Sam. 11. 20. 17. 19. xiv. 51. xviii. 20. 21. *וְנָשָׂא* in altera duarum (filiarum) gener fias mihi; alii, in duabus, ut ambæ fuerint ei in uxores, quia post mortem Merob acceperit Michal. adde com. 26. 27. cap. xix. 11. xxi. 5. 6. xxv. 3. 14. 37. xxx. 22. demus cuique uxorem suam, & filios suos. 2 Sam. xii. 3. pauper nil habebat præter ovem unam. xiv. 4. seq. 1 Reg. 11. 17.

II. 17. IV. II. 15. XIV. 2. 4. 6. 17. XVI. 33. XXI. 5. 7. seq. 2 Reg. VIII. 18. XIV. 9. 1 Chron. I. 50. II. 36. VII. 15. 16. 23. IX. 35. 2 Chron. XXII. II. XXXIV. 22. Est. II. 61. Neh. VI. 18. VII. 63. Ester. V. 10. 14. VI. 13.

II. Ex reliquis Hagiographis Psal. XLV. 10. 11. seq. Subjectum hujus Psalms Sponsus Christus est, & sponsa Ecclesia, quia *Psalms adeo emphaticus est*, inquit Coccejus Celeberrimus Interpres, *ut nisi contorte & coacte, & cum multiplici extenuatione, ad alium Regem, quam Christum, non possit accommodari.* Unius Christi unica Sponsa Ecclesia intelligitur 2. Cor. XI. Eph. V. Hof. II. non autem Filia regis Ægypti, Salomonis sponsa, etsi metaphoricis vel allegoricis quibusdam locutionibus ad eam alludatur. Adde Ps. CXXVII. 1. 3. Prov. II. 16. 19. V. 18. 19. 20. VI. 26. Iq. XI. 16. 22. XII. 4. XIV. I. XVIII. 22. XIX. 14. 26. XXI. 9. 19. XXV. 24. XXVII. 15. XXXI. 10. seq. Cohelet IX. 9. Quamvis etiam in Cantico ad Salomonem & filiam regis Ægypti sponsam alludatur, non video tamen, quid obstet, quo minus secundum literam, de amore Christi erga unicam Ecclesiam explicari queat; siquidem omnia, quæ in eo dicuntur, Christo & Ecclesie, juxta verborum emphasin, Scripturæ phrasin, & analogiam aliorum locorum, apertissime congruunt, sicut iterum monet Coccejus, aliud subjectum hic non esse querendum. Totum Canticum monogamiam insinuat. Vide sis Cap. I. Comm. 5. 6. 8. 17. Cap. II. 2. seq. III. 1. seq. caput IV. & V. Et quanquam pompa illi reginarum, pellicum atque puellarum Cant. VI. 5. 6. ad regni Christi commendationem faciat, non novit tamen nisi unicam conjugem cum puellis sequentibus, quæ sunt singuli fideles, a quibus distinguit unicam columbam suam, quam solam approbat. Adde caput VII. & VIII. Unitas divisionem & disparitatem excludit, ideo & columbam vocat, quæ adulterii expers est. Conf. Sect. I. Cap. V. Per reginas quidam intelligunt patres antediluvianos, per concubinas vero prophetas post diluvium.

III. Sequuntur loca ex prophetis Jesa. L. I. LIV. totum. Cap. LXI. 10. LXII. 4. 5. LXVI. 7. 8. Jer. II. 2. Fit Ecclesia sponsa propria, ut jam tum adultera fiat, & poenam ejus criminis ferre debeat, siquidem alii misceatur Deut. XXI. 23. & Domino, qui sibi desponsavit, facta est peculium Exod. XIX. 56. Deut. VII. 6. Porro Ier. II. 32. *וַיִּתֵּן יְהוָה וַיִּתֵּן* Vincula tribuit sponsæ ceu momentia de amore, quo colligantur desponsati, & de arcto illo con-

conjugii vinculo. Cap. III. 9. 15. perfide descivit uxor ab amico. Cap. VI. II. XVII. 2. XXXI. 4. 22. *fœmina ambit virum.* Quod quidam de vulgari fœmina amplexante maritum, atque de Ecclesia Israelis vaga, Deum ambitura, interpretantur, uti Ruth Boazum Ruth. III. vidua levirum Deut. xxv. 5. seqq. Abarbenel Rachelem intelligit, quæ virum Deum sit ambitura. Potius fœmina virgo illa est Esa. VII. 14. viro non cognita. Pergimus ad Ezechielem, cujus caput XVI totum favet monogamiæ. Adde Cap. XVIII. 6. II. 15. XXII. II. XXIII. ecclesia Dei meretrix facta. Cap. XXIV. 18. XXXIII. 26. XLIV. 22. 25. Dan. XI. 6. 17. Hof. I. 2. 3. Deus enim marito, Ecclesia uxori comparatur; hinc de meretrice una. Proprium conjugii est servare fidem, cap. II. 2. 16. III. 1. mulier licet unice adametur a marito suo, tamen adulterium committit. adulterium auget amor mariti; nam quæ exosa est, minus peccat. XI. 13. Iocel. I. 8. II. 16. Amos VII. 17. Mich. VII. 5. *Ne creditote amico, ne confidite duci, ab ea, quæ cubat in sinu tuo observa fores oris tui.* (Huc facit adagium, Neque mulieri neque gremio credendum. Hinc קרן נשא *Mulier sinus* i.e. uxor Deut. XIII. 6. XXVI. 11. 54. Sirach. IX. 1. & קרן זכר *vir sinus* i.e. maritus Deut. XXVI. 11. 56. quemadmodum sinus usurpatur in re amorum Prov. V. 20.) Denique Malach. II. 14. 15. Athanasius Vincentius, nullum s. Scripturæ dictum plures uxores adungere uni viro, sed semper unam, negans pag. 166. 167. opponit locum Prov. XXXI. 3. *Ne des mulieribus fortitudinem tuam.* Sed quis non videt, Batscham matrem indolis filii optime gnaram, quam scilicet propenderet ad vagos mulierum amores, monitum hoc suggestisse Salomoni, ut se temperaret in re venerea, & plures mulieres vitaret? Id igitur neutiquam illegitimam aut imperfectam reddere Inductionem, sed confirmat.

IV. Subjungemus loca ex libris Apocryphis, qui licet non sint Canonici, præferendi tamen Historiis profanis, sicut etiam a nostris polygamie patronis citantur. Omnes illi non pro polygamia, sed monogamia militant. Judith. VIII. 2-8. Tobie 1. 9. II. 22. 11. 19. 22. III. 7. 25. IV. 13. 14. V. 22-28. VI. 11-22. VII. 2. 8. 10. 20. VIII. 1. 4-23. IX. 10. 11. X. 3-13. XI. 3. 6. 16. 18. XII. 3. 14. XIV. 5. 12. 14. Insignis cum primis hic est Ecclesiasticus, sive Sirach. Cap. III. 13. 18. IV. 10. 11. VII. 21. 27. 28. IX. 1-13. זילג *amulatio*, qua maritus aut uxor dolet in conjugio alterum non frui, quod ipse aut ipsa maximopere adamat. Commate 2. præcipit

præcipit moderationem & temperantiam, in amanda conjuge, ne sit amor viri in uxorem vehementior, ut ordo naturæ invertatur, muliere maritum sibi subjiciente. xv. 2. xxii. 25. 30. 31. 32. xxv. 2. i. 23. 27-35. mulier est data viro sociâ vitæ, consors & particeps omnium temporum.

V. Capite xxvi. 1. 4. 8. mulier zelotypa mulieris, vel in amore æmula proponitur, & sollicita, ne rivalem habeat, qualis animi affectio in viris est. (Conf. 1. Sam. 1. 10.) comm. 9. 10. conjuges pari boum comparantur; nam *συζυγία* & *σύζυγοι* conjugium & conjuges dicuntur, quod illud benevolentia & fide vinctum ac junctum esse debeat, ut sit stabile ac firmum; ac vir & foemina eodem quasi jugo juncti sint. Magistri Hebræorum suum quoque *מִשְׁכַּב זִוּוּג* de matrimonio, a Græcorum voce fecerunt; qua & Syri & Arabes non multum immutata utuntur; sicut Latine *jugatos* dicimus, unde *conjugium* & *vincla jugalia* poetis. Adde commata 11. 12. 16-23. uxor est anima. com. 17. est firmum propugnaculum ad defensionem & salutem viri, ut alio adjutorio non indigeat. Cap. xxxvi. 24-27. uxoris consortium comparatur sepi, qua possessio aliqua undique munita & custodita est. c. xl. 19. 24. xlii. 6. 10. 12. 14. xlvii. 21. 2. Maccab. xiv. 25. Histor. Susan. v. 1. 2. 4. 7. 28. 63. lib. 3. Ezræ iv. 20-31. v. 38. lib. 4. Ezræ ii. 2. 3. 4. 15. ix. 43-47. Cap. x. Hactenus de monogamia.

VI. Sequuntur præcepta, exempla & dicta, quæ stabilire videntur polygamiam; ut & ea uno intuitu Lector inspiciat, ordine historico rursus visum nobis omnia recentere. Deut. xxi. 15. *Si alicui fuerint duæ uxores, una dilecta & altera exosa.* Iudic. vii. 30. 31. Gideoni uxores multæ erant. 1. Sam. 1. 2. 4. 5. Elkanæ erant duæ uxores. xxv. 42. 43. 44. xxvii. 3. fuerunt Davidi uxores Achinohama & Abigail xxx. 2. 3. 5. 18. duas uxores captas eripuit David 2. Sam. ii. 2. ascendit David, etiamque duæ uxores ejus 1. 11. 2-5. 7. 8. 13-15. de uxoribus Davidis & concubina Saulis. v. 13. accepit David adhuc concubinas & uxores xi. 2-27. ducit David uxorem Uriæ. xi. 1. 8. 9. 10. 11. 15. 24. xv. 16. reliquit David domi decem foeminas concubinas. xvi. 21. xix. 5. ereptæ uxores & concubinæ Davidis. xx. 3. xxi. 8. 11. Ritzpa concubina Saulis. Dein 1. Reg. xi. polygamia Salomonis occurrit; quo referunt nonnulli 60 reginas & 80 concubinas Cant. v. 1. 7. Sed R. Samuel Laniado dicit, *אין לו עסק בזה* id huc non pertinere, quod non sit literaliter sed mystice intelligendum.

Z

1. Pa-

1. Paral. 1. 32. 11. 26. fuit uxor altera Ierachmeeli. Sed non constat, an vivente altera. comm. 46. 48. 111. 1-9. filii Davidis ex uxoribus & concubinis. iv. 5. Aschuri erant duæ uxores. com. 18. uxor ejus, scil. vel Calebi, vel Meredi, vel Iisbachi, vel Esfræ; & vii. 4. 14. viii. 8-11. xiv. 3 de Davidis uxoribus. 2. Paralip. xi. 18. 21. 23. Rehabeam uxores 18 duxerat, & concubinas 60. filiisque procuravit multitudinem uxoribus. xi. 11. 21. Abiia duxerat sibi uxores quatuordecim. xx. 14. Uxores Iehorami, facientis quod malum in oculis Domini. xxiv. 2. Ioascho accepit Iehojadah uxores duas. Esther. i. 11. 3. 4. 8. 12. 14-17. Esā. iv. 1. (aliis est caput 111. 18.) tempore illo prehendent septem mulieres virum eundem. Ier. xxxviii. 22. 23. Zedekia uxores, legitimæ & pellices. Daniel. v. 2. 3. 23. Belschazaris uxores & concubinæ. Tantum de locis V. T. quæ polygamiam probare videntur, quæ nunc una cum præceptis Exod. xx. 14. 17. & Lev. xviii. 18. cæterisque a Theophilo allegatis, ordine historico sunt examinanda.

CAPUT II.

An Exod. xx. 14. 17. & Deut. v. 24. 27. septimo & decimo Decalogi præceptis polygamia sit prohibita.

Nunc ordine præcepta Mosæica examinanda veniunt, quorum primum in ipso Decalogo de conjugio occurrit Exod. xx. 14. Deut. v. 24. *לֹא תִינָף* lo tinaph non committes adulterium, a Junio versus, non scortaberis. Quod in textu Hebræo septimum, sed in Græco Lxx Exodi sextum præceptum est, & præmittitur præcepto de homicidio; qui ordo ab Evangelistis & Apostolo etiam observatur Marc. x. 19. Luc. xviii. 20. & Rom. xiii. 9. partim quia Græca versio erat in omnium manibus, partim quia cætera vitia apud gentes odiosa erant & infamiam habebant, sed adulteria & scortationes propemodum turpitudinis notam amiserant, partim etiam quia hoc scelus gravissimum & frequentissimum. Quemadmodum Philo Judæus observat lib. de Decalogo, quod præceptum de honorandis parentibus claudat præteritum illum Divinum quinarium; alterum vero scripturus legislator interdicit continentem & spectantem ad homines ἀπὸ μοιχείας ἀρχεται, μέγιστον ἀδικημάτων τῶν εἶναι ὑπολαβῶν ordiatur ab adulterio ut peccato gravissimo; & de Specialibus Legibus inquit, in
tabula

tabula posteriore primum mandatum est, *Non mœchaberis, ut opinor, quia ubique terrarum voluptas pollet plurimum.*

II. Apud Hebræos vox נאף in sensu adulterii sumitur, teste Kimchio Lexicographo אין נאף אלא אשת איש וכן נמצא בכל המקרא *Vox Niuph nihil aliud significat, quam adulterium, quo sensu in tota Scriptura reperitur: rationem adfert ex Hof. iv. 14. Sed quia plus in lege est, quam dicitur, & docente Maymonide in Porta Moysi p. 40. res, quæ possunt elici argumentis ab universali & particulari desumptis, tradita sunt a Mose e Sinai, juxta illud Magistrorum כללית ופרטית universalis ejus & particularia ejus; non immerito cum Aben Esra scortationem & quemcunque concubitum illicitum comprehendimus, sicut Ralbag omnes nuditates hic vetitas esse censet, a qua sententia non recedit Isaacus Abarbenel in Pent. f. 176. 2. סרמון זהו לומר לא תנאף בכל הערות כלם וכל מתי הנאופים non committes adulterium, comprehenduntur omnes nuditates, & omnes species adulteriorum. Addit, quamvis נאף adulterans in specie eum significet, qui cum uxore maritata concumbit, includit tamen omnes nuditates & incestus. Deinde interpretatur legem Exod. xxii. 16. hæc verba præmittit: Postquam Moses retulit præcepta, in sexto & octavo Decalogi præceptis comprehensa, refert etiam, in verbis, ne mœchaberis, alia præcepta contineri, non solam uxorem mariti. Et quamvis hæc pellecta non sit desponsata, comprehenditur tamen hæc materia in vii. præcepto.*

III. Id enim extra controversiæ aleam positum, per unam speciem sæpe totum genus intelligi, & de natura legis esse judicandum ex toto complexu atque ex scopo & natura legislatoris, ex regulis item generalibus ad legis expositionem necessariis, & explanatione Moysi ac Prophetarum. Ideoque Syrus & uterque Arabs Interpretes locum Exod. xx. 14. vertunt Math. v. 27. לא תהוה & לא תהוה ne scortator (Perfa adulterium & scortationem ne feceris.) *enim Syris scortari, & mœchari, & زنى Arabibus coire & scortari significat. Vix unquam aliter sumitur, inquit Castellus. Sicut etiam hæc duo conjuncta reperiuntur in Parte secunda paranetica Epistola Barnaba, & πορνείας, & μοιχεύσεις. Non fornicaberis, non mœchaberis.*

IV. Iam polygamiam quod attinet, negat Theophilus Th. xxi. ii. xxiv. xxv. in vii. aut x. Decalogi præceptis eam prohiberi, quia Patriarchæ, Reges, Prophetæ & Apostoli non ita intellexerint ista præcepta, nec explicuerint mentem legislatoris, sed factis potius at-

que exemplis, exemplorumque approbatione, intermissa reprehensione polygamiae legalitatem ostenderit. Addit Daph. Arcuarius p. 22. in V. T. viros multas uxores & concubinas habuisse, nec tamen unquam dici matrimonium violasse, nisi cum alterius mariti uxore congressi sint, exemplo Davidis. Verum enimvero ante Mosem Patriarchae ista praecepta tali forma nondum habere. A Lege Mosæica vix alii præter reges, qui sibi præ aliis licentiam tribuere solent, in populo Dei polygami leguntur, neque tamen illi aut alii mortales ideo excusandi. An ex eo, quod populus Israëliticus vitulum aureum ab Aarone factum coluit, sequitur, Deum in Decalogo recens promulgato simulachra & imaginum cultum non prohibuisse? quam severe Deus omni tempore prohibuit idololatriam, quoties tamen Israelitæ, speciatim reges, eam exercuerunt? Scivit David, homicidium & adulterium in Decalogo esse prohibitum, utrumque tamen commisit. Temerarium etiam est statueret, Deum, si videat subditos non recte intelligere legem a se propositam, teneri ita clare eam explicare, ne subditi se ignorantia excusent. Eva dubitante de sensu legis, Deus non statim tenebatur mittere legatos, qui eam explicarent.

V. Mosem, Prophetas & Apostolos etiam aliis in locis polygamiam prohibuisse, ac reprehendisse, postea videbimus. Nunc saltem demonstrandum, in Decalogo esse prohibitam, quod haudquaquam erit difficile. In VII præcepto omnis turpitudine verita est, & quicquid violat leges castitatis in matrimonio & extra illud, cujus turpitudinis ut gravissima species non est posita, quando humanum genus & sexus legitimus negligitur, quia hæc nimis abominanda, nec nisi ab eo, qui humanam naturam exuit, committitur; ita nec levissima, sed proxima gravissimæ adulterium damnatur, quod R. Levi Barzelonitæ Leg. xxxv צד גול species est rapina. Et quamvis largiamur, Scripturam hic aliisque in locis præcipue illud adulterium damnare, quod est concubitus conjugati cum conjugata, & vice versa, non negandum tamen est, adulterium a conjugato committi cum innupta, & soluta, ac a soluto cum conjugata, neque alia adulterii & turpitudinis species sunt excludendæ, ut juxta cum aliis Hebræis recte monet Abarbenel.

VI. Cum enim uxor mariti sit חברה ואשה כרית *socia & uxor fœderis*, perfide agit contra eam, qui plures ei superinducit Mal. 11. 14. 15. Festo adulter & adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hac ad alterum sese

con-

conferunt, a in u mutato; quod probat Vossius in *Etymol. lat. lin.* adeoque adulterium committit mulier conjugata, si alteri viro sui copiam faciat 1 Cor. vi. 1. 4. quod concedit D. Arcuarius p. 21. & vi correlatorum adulter est, quicumque pluribus mulieribus potestatem dat in suum corpus, quod Arcuarius loco citato negat sine ullo fundamento. Siquidem vi primæ institutionis Gen. 11. 24. unica tantum uxor in ejus corpus potestatem habet. Ideoque falsissimum est, quod maritus tantum adulterium committat debitum conjugale, amorem & defensionem uxori denegando, non autem aliam superinducendo. Idem Apostolus docet viventi marito mulierem esse alligatam vi legis divinæ, ita ut mœcha vocetur, si fiat alterius viri Rom. v. 11. 2. 3. Pariter vi correlatorum, vivente uxore mœchus vocabitur vir, si fiat alterius fœminæ. Et si vir, qui dimissa uxore sua duxerit aliam, mœchetur adversus eam; & mulier, quæ dimisso viro suo nupserit alteri, mœchetur, teste Christo Marc. x. 11. 12. non minus, imo magis mœchabitur, quicumque retenta uxore sua, superinduxerit aliam, aut pluribus se commisceat, quia ratio adulterii datur, quod duo tantum in una carne esse debeant. Id approbat Carpz. *Pract. no. Crim. P. 11. Q. 66. §. 2.*

VII. Denique idem Salvator noster, qui optimus est hujus VII præcepti Interpres, Matth. v. 28. concupiscentiam alterius mulieris præter suam, non mulieris tantum nuptæ, verum etiam cœlibis aspectum, annumerat adulterio. Quomodo etiam loquuntur Talmudistæ כל המסתכל באשה בכונה כאילו בא עליה *Quicumque aspicit mulierem cum intentione, perinde est, ac si rem cum ea habuisset. Quia cogitatio impellit ad ipsum opus.* Vide sis *Sohar in Lev. Col. 172. Cum quis cogitationes habet de uxore proximi sui & deinde rem habet cum uxore propria, illius liberi, qui hinc generantur, vocantur filii fusiles.* Cum tamen concupiscentia in solo actu interno consistat, nec prorumpat in externum. Multo magis igitur polygamorum concupiscentia, quæ cum actu externo inordinato conjuncta est, adulterio erit annumeranda. Quia qui minus prohibet, fortiori ratione prohibere majus censendus est. Ex quibus omnibus liquet, polygamiam septimi præcepti ambitu comprehensam fuisse, quando unus vir præter agglutinatum sibi jungit aliam ad tempus, vel in perpetuum; vel mulier præter agglutinatum jungitur alteri. Disputat igitur D. Arcuarius p. 22. 23. 24. cum Christo & Apostolis, virum tantum matrimonium violare & adulte-

rium committere statuens, strictissimo sensu, si uxori suæ debitum conjugale non præstet, & conjugati uxori se jungat. Quæ Phariseorum & Scribarum glossemata erant, quibus se opponit Salvator Matt. v. Et illam esse plerorumque Hebræorum sententiam de adulterio & vii præcepto, falsum esse vidimus; quamvis R. Levi, quem unicum ille ex Hottingero de jure Hebr. citat, ךַּוּי absolute & simpliciter strictissimo sensu congressum cum uxore viri alterius denotare dicat.

VIII. In x. præcepto tantum polygamiam simultaneam muliebrem, nullatenus autem, ne quidem virtualiter, polygamiam simultaneam virilem prohiberi, absurde docet Theophilus Th. xxiv. Rationis oppositæ pondus nullum est, quod scilicet in eo *concupiscentia rei aliena, sive quatenus alium Dominum habet, prohibeatur*. Si quidem est concupiscentia rerum indifferentium, quarum usu Deus positiva lege ludæis interdixerat, vestiri heterogeneis, vesci carne suilla, & quæ sunt id genus alia positiva. Nec quisquam inficias ibit, omne malum turpe per se, & quicquid pietati & justitiæ adversum est, prohiberi decimo præcepto, juxta Jac. i. 14. seq. & Rom. vii. 7.8. xiii. 9. ubi Apostolus simpliciter hanc legem proponit, sine expressa objecti determinatione; atque sic nec ejus ambitu polygamiam simultaneam virilem esse excludendam, quando quis præter unam concupiscit plures. Si enim ipsum aspectum mulieris ad concupiscendam eam adulterii in corde Christus damnaverit, etiam primos illos motus cordis, qui aspectum sequuntur, & actus externos damnavit. Aut dicat mihi Theophilus, annon Salomo multiplicando uxores, non conjugatas, peccaverit contra x. præceptum? peccavit enim concupiscentia.

IX. Deinde prohibet Deus cupiditates eorum, *quæ sunt proximi nostri*. Quis autem non videt, eum, qui cupit aliis corpus concedere, præterquam suæ uxori, cupere aliquid, quod est proximi nempe uxoris suæ, quæ sola potestatem habet in mariti corpus? Quemadmodum ipse Theophilus concedit, uxorem habere jus aliquod in corpus mariti, respectu debiti conjugalis, quod non quidem dici debeat dominium, sed obligatio conjugalis. Si tale jus, talis potestas & talis obligatio hic agnoscat, agnosci etiam debet, non licere aliam concupiscere. Licet enim marita non habeat dominium in maritum, non tamen ita illo in conjugio inferior est, ut mutuum jus non sit in utriusque corpus, ut sine ejus violatione possit plures uxores adsciscere.

X. Ex

X. Ex his omnibus manifestum est, polygamiam etiam legi naturali, & morali, quæ in Decalogo continetur, repugnare, sicut supra eam legi naturæ, ab ipso Naturæ auctore in creatione & rerum primordiis positæ, cordique humano inditæ, adeoque posteritati universæ perpetuo observandæ, adversari, demonstratum ivimus. Decem enim illa verba cum ore Dei promulgata sint, & quidem publice in monte, tam alta voce, ut a sexcentis hominum millibus per aliquot milliaria exaudiri possent Deut. v. 22. & ipsius Dei digito lapidibus inscripta, perpetuæ sunt observantiæ, cum reliqua præcepta a Mose in tabernaculo data sint. Infirmum enim est, quod Scholastici putent, legem moralem gentes non obligare, quia solis Judæis lata Exod. xx. Deut. v. Quamvis enim iis solis data fuerit per modum privilegii, non tamen solos Israëlitas obligasse patet, quia a profelytis & peregrinis etiam erat observanda, & in lege naturæ fundata. Quæ etiam ratio est, quod Paulus Rom. xiiii. Eph. vi. & passim, eadem præcepta gentibus inculcet. Atque ita Hebræi docent, שהן על כל בני העולם בכלל בין ישראל בין גוי quod ista præcepta omnes homines concernant, sive Israelita fuerint, sive gentiles.

CAPUT III.

Neque leges Exod. xxi. 9. & xxii. 16. probant polygamiam.

SEQUUNTUR leges, quas confirmandæ & stabilindæ polygamie Sadducit Theophilus. Thesi LXXVI dicit, legem illam Exod. xxi. 9. si ulla alia in tota Scriptura, clarissime docere, Deum permisisse parentibus, ut filiis suis quarant duas uxores. Hoc autem salva sua justitia & sanctitate nullatenus facere potuisse, si polygamia contra primam institutionem aut alias ipsius leges esset. Legem enim ille ita exponit: Moses patri præscribit, quomodo se gerere debeat, si suam ancillam suo filio desponsset, quod scilicet instar filiæ illam debeat dotare, & si filio adhuc aliam secundam scilicet desponsset, priori, nempe ancillæ nihil de alimentis, vestimentis & debito conjugali detrahere. Ath. Vincentius Biblia Ernestina allegat, in quibus hæc verba extant: Si filio aliam præter primam istam ancillam adhuc acquirat. Sed mihi videor istam difficultatem facile solvere posse.

II. In quem finem ipsa verba Hebræa sunt inspicienda, ut, quem

ret, ut spe matrimonii puella excideret, non habebat jus eam alicui e populo extero vendendi, sed dare tenebatur huic puellæ *שאר* alimentum ejus (Auctor Michlal Jophi explicat על כל מון *de omnis generis alimento*) כמותה tegumentum ejus, & ענתה habitationem sive domicilium ejus. Quod alii vertunt lectum & dotem, quam solebant sponsi post concubitum uxoribus suis dare; ut posset hoc modo dotata honestum sponsum invenire. Quod si tria ista non fecerit ei, nempe proxime immediata victum, amictum & domicilium, tum exito gratis (sine pretio, immerito, sine causa, culpave, sicut תם Psal. xxxv. 15.) absque pecunia, ut non teneantur cognati pecuniam dare Domino ancillæ ad redimendam eam. Alii tria ista, aliter exponunt, nempe si Dominus neque filio servam junxerit, neque etiam redimi curaverit. Sic R. Bechai comment in leg. f. 94. 2. והם שלש אלה כלומר היעור לעצמו או לבנו או שיפרנה האב Id Abulenti quidem non probatur, quod illa copulativa impleri nequeant. Verum isti difficultati facile fieri potest fatis, si cum Auctore Michlal Jophi verba illa *שאר* sumamus pro *שאר* id est; si unum ex hisce tribus non fecerit, sicut Judic. xxi. 7. Jephtha Gilhadita sepultus est בערי גלעד in civitatibus Gilead, id est in una, vel aliqua urbium Gilead.

IV. Phrasin אם אחזר יקה לו si aliam ei vel sibi accipiat, non prodesse polygamie fautoribus, vidimus. Sed aliud ex hoc textu argumentum duci potest ex voce ענתה com. 10. quam nos habitationem vel domicilium ejus vertimus, alii vero cum Pellicano, pretium pudicitie, (pro defloratione) sive interesse ejus quoad pudicitie honestatem & famam attinet, ut solvat virginitatis jacturam; alii debitum conjugale & nuptias. Atque ita Hebræi communiter intelligunt tempus statutum & determinatum, scilicet concubitus maritalis quod חשמי i. e. officium debiti conjugalis appellant. Ut ita suo tempore præter aliam, etiam huic ancillæ debitum conjugale præstare jubeatur, ad suscipiendam ex ea prolem, qui finis est conjugii. Ita Maymonides אישה sive de Connubiis Cap. XII. §. 1. 2. Qui ducit uxorem, virginem, mulierem, majorem, parvam, Indeam, proselytam, manumissam, is ei promittit res decem. Ex quibus tria ista lege sancita sunt, curatio corporis, vestitus, & statum tempus. Curatio corporis, hoc est, ejus alimentum: vestitus est, quod nomen ipsum declarat: sed ענה statum tempus, ut consuetudine communi cum ea se jungat. Reliqua septem auctoritate Sapientum sunt instituta,

(quæ ex Maym. in pauca contraham, videlicet,) *Sors donationis propter nuptias, ut vir ægrota uxoris curam habeat, captivam redimat, mortuam sepeliat, vidua prospiciat de domicilio & alimentis, ut filia ex bonis paternis vivat, donec nubant, & pueri hæreditatem ex æquo partiantur.* Quæ sex forti donationis sive doti principali adjuncta Dotis conditiones vocantur.

V. Verum enimvero & hæc argutationes carent fundamento, quia voces cognatæ מעון 1. Sam. 11. 29. 32. Psal. LXXVIII. 6. LXXI 3. XC. 1. & מעונה Deut. XXXIII. 27. Psal. LXXVI. 3. Amos III. 4 *habitaculum*, vel juxta Kimchium, *locum commorandi* denotant. Quidni pari modo מעונה, ut idem sit, quod מעון? Atque ita Aben-Ezra monet, quosdam interpretari *ריוחה habitationem ejus*. Accedit, quod juxta Masorethas Hof. x. 10. talem significationem habeat *לשתי מעונה in duabus habitationibus ipsorum*. Atque ita hic manebit sensus: si filius sibi, vel Dominus (pater) ei (filio) aliam accipiat, victum & amictum ejus, & habitationem ejus non diminuat, id est, non veluti exteram eam tractet, nec ignominiose expellat, sed honeste & liberaliter ceu ingenuæ & liberæ puellæ tria illa dabit, comm. 11.

VI. Siquis vero præfractius contendere velit, vocem מעונה non aliter vertendam esse, quam per *statutum tempus*, (Saadias habet *זמנים קצורים tempora sua præfinita*), existimat Clariss. Pfeifferus, dici posse, innui tempus non *debiti conjugalis uxori, sed laboris & quietis ancillæ Israeliticæ præstandum*. Cui placet subjungere aliam solvendi rationem, quod scilicet, si cum Chaldæis, Arabe, Fagio, Piscatore, Castalione & Grotio, quique eos sequuntur, ita alicui visum sit verba interpretari, *Si alteram quoque acceperit ei, ipsa nempe ancilla retenta*, (quod fieri potuisse censet Abulensis) non autem repudiata, & vocem מעונה *de debito conjugali* exponere, hæc non tam lex, quam permissio dicenda sit, qualis est divortii, pro duritia cordis ipsorum Deut. XXIV. 1. seq. Matth. XIX. 7. 8. Quod conditionales illæ locutiones haud obscure innuunt. *כי יקח איש אשה quum duxerit quis uxorem.* *כי ימכר איש את בתו quum venderit quis filiam suam.* *אם לבנו ייערנה Si filio suo desponset eam*, & ita porro. Quæ ratione cadit omne præsidium, quod polygamie patroni in hac lege quærunt, quam clarissime polygamiam adstruere putant.

VII. Altera Lex Mosaica in Exodo, ex qua polygamiam stabilire conantur Theophilus Aleth. & Athanasius Vinc. eadem Thefi

LXVI. extat cap. XXII. 16. וכי יפתה איש בתולה אשר לא ארשה ושכב עמה וכו' יפתה לו לאשה. *Si quis iephateb pellegerit virginem, qua non est desponsata, & cubaverit cum ea; omnino constituens ei dotem accipito eam in uxorem.* com. 17. *Si plane rennet pater ejus eam dare illi, pecuniam pendito, prout est dos virginum.* Verba illa, si quisquam, in genere poni dicunt, sine determinatione ad cœlibem. Quia igitur Spiritus S. non determinat nec hic nec alibi, nec nos determinare debere, sed de omni viro accipere, sive sit uxoriatus, sive non. Conferunt locum parallelum Deut. XXII. 28. 29. quem eodem modo cum illis explicat Daph. Arcuarius pag. 23. tam de conjugatis, quam solutis, sine ulla limitatione, sicut versum 22. ejusdem capitis tam solutos quam maritatos concernere contendit.

VIII. Ast nulla nos cogit necessitas, ut de conjugato legem interpretemur, tamen sine determinatione *אין* quisquam dicatur, non valet tamen universaliter, sed subjectum illud restringendum est; si scilicet esset vir de eadem tribu, de qua puella vel profelytus Num. XXXVI. si non esset gentilis Deut. VII. (qualis graviori poena erat afficiendus, quia sic toti universitati Hebræorum ignominia nota inurebatur, sicut inter nos majore poena afficiendus foret Judæus vel Turca, qui cum Christiana scortaretur) nisi etiam esset servus Hebræorum, aut consanguineus, aut sacerdos summus. Ita etiam restringere licet legem ad cœlibem. Huc spectant, quæ habet Seldenus *Uxore Ebr. Lib. I. c. XVI. Quod vero de nuptiis heic dictum, intelligendum est de ea, cujus stupratori nuptiæ non alias interdictæ. Nam si secundaria erat, aut aliquo precepto sive expresse negativo, sive negativo ex affirmationis nota (juxta superius dicta) nedum incestus nomine ei interdictæ, non erat ducenda. Verba illa sit ei in uxorem interpretantur per ל לאשה הראויה ל in uxorem, qualis ei e lege alias idonea. Igitur tamen si virginem vi compresserat Pontifex maximus, ducenda ei non erat. Quoniam jam virgo non erat ipsa. Et solum virgo ei ex lege, ut ostensum est, ducenda. Ita etiam de viro intelligendum hoc est, cujus nuptiæ non sunt interdictæ, quemadmodum interdictæ sunt conjugato cum aliis mulieribus Gen. II. 24. Lev. XVI. 18. Fr. Junio Exod. XXII. 16. *Lex concubitus inter cœlibes est, si quis pellegerit virginem nemini desponsatam, eamque compresserit. Quod Abarbenel non obscure innuit, quando pellicientem in hoc concubitu gloriam apud juvenes quarere dicit. Nec desunt, qui comma 22. Deut. XXII. quod Arcuarius urget, ad**

conjugatos tantum, adeoque ad duplex adulterium referant. Quamvis nihil obftet, quo minus, & de conjugato & de coelibere ista lex intelligi queat, quia licet coelebs reus non sit perfidiae, tamen aequè jus publicum violavit, atque foemina adultera. Haec sententia etiam Calvinii, Junii, Zepperi & aliorum est.

IX. Differentiam horum praëceptorum, paucis subnectere visum est. Agitur in Exodo de puella, quæ blandis verbis seducta in stuprum ultro consensit, sive de virgine, quam juvenis pellexerit obtentu futurarum nuptiarum, ut loquuntur maximi Theologi Junius & Rivetus. Verbum enim פִּתָּהּ *pittah* in Pihel *pellicere* & *polliceri*, *illecebris fallere*, *verborum blanditiis inescare*, *blandiendo decipere*, *veris vel falsis rationibus persuadere* significat, unde Graecum *πειθω* *suadeo*, & *ἀπατάω* *persuadendo decipio*, *blandis verbis induco*, quo verbo LXX utuntur *ἐὰν δὲ ἀπατάσῃ τὴν παρθένον*. Onkelos & Syrus verbum *שׁוּר* *adhibuerunt blanditus, adulatus est, commovit, sollicitavit, decipit*; unde nomen *שׁוּר* i. e. *res plausibilis & ficta*, quæ primo aspectu emtores allicit. Sed in Deuteronomio aliud verbum usurpatur *חָפַשׂ* *apprehendit, cepit, tenuit, manibus deprehendit, & deprehendendo contrectavit*.

X. Verba Deut. xxii. 28. 29. ita sonant: *אִם לֹא אִרְשָׁה וְתַפְשָׁה וְשָׁכַב עִמָּה וְנִמְצְאוּ: וְנָתַן הָאִישׁ הַשֹּׁכֵב עִמָּה לְאִבֵי הַנְּעִרָה: Si invenerit quis puellam virginem, qua non est desponsata, utephasa & prehendens eam, concubuerit cum ea, & manifesti fiant: Tunc dabit vir ille, qui concubuit cum ea, patri puella quinquaginta siclos argenteos; & esto illi in uxorem; quod compressit eam; nepotesto dimittere eam omnibus diebus suis. Qui casus diversus est a priori, cum quis occasione arrepta, puellam vitiaverit. LXX id voce *βιάσασθαι* *vim faciens* expriment, quod quidem non de violento raptu, qui capitali poena mulctabatur, attamen de ipso facto *apprehensionis*, citra suasionem & puellæ consensum, intelligi debet. Ideoque hic etiam dicitur *אִם יִמְצָא אִישׁ יִמְצָא אִישׁ* *Si invenerit quispiam puellam casu scilicet, quo notatur, quod eam antea non sollicitaverit, matrimonium & dona pollicendo*.*

XI. Abarbenel *Commentario in Exod. xxii. 16. fol. 181. 4.* poenam delicti & rationem ejus exponit: *וְהָיָה דְבַר שְׁנָא יְהוּהוּ שְׁבַפְתוּי יִשְׁכַּב אִדָּם: עִמָּה: וְלִכֵּן יִהְיֶה עֹנֵשׁ הַמִּפְתָּה שְׁמֹדֵר יִמְהַרְגָה לּוֹ לְאִשָּׁה רֹצֵחַ לֹמֵד שִׁקְחָנָה לּוֹ לְאִשָּׁה מִדֵּר יִכְתּוּב לָהּ כְּתוּבָה כְּמוֹהָר הַבְּתוּלוֹת שֶׁהוּא קָצוּב חֲמִשִּׁים כֶּסֶף אֶצֶל הַתּוֹפֵס אֹת: Est illa res exosa Domino, si quis pelliciendo & seducendo concubar cum puella. Ideo poena ejusmodi*

ejusmodi pellicienti constituta est, ut dotando dotet eam sibi in uxorem, id est, ut mox eam sibi in uxorem accipiat, & instrumentalem dotem ei scribat, prout est dos virginum, quæ apud vi apprehendentem virginem definita & determinata est Deut. XXI. 29. a quo scilicet quinquaginta sicli argentei solvendi. Idem commentator hujus juris rectitudinem & æquitatem ostendit verbis seqq. quorum sensum exprimam; quod scilicet plerumque juvenes non puellam sibi convenientem & æqualem pelliciant, quam ducere animum induxerint, sed quod qui sibi videntur honoratiores, pulchras alicujus filias spectantes & concupiscentes aliam quam blanditiis decipiant, & ab ea matrimonii promissione concubitus impetrent, carnisque desiderio & appetitu impleto, eam deserant, & apud juvenes hac propter gloriose sese efferant. Ideoque Deum injunxisse pellicienti, ut dotando eam sibi dotaret in uxorem, & per nuptias eam acciperet, licet non ejusdem cum ipso esset status. Et Pater ejus non dabit ei ullam dotem muliebrem, vel ulla dotalia ornamenta. Sin vero contingat, ut puella seducta dignior sit seducente, ideoque pater eam illi dare renuat, si vel illam ducere vellet, tunc vir pecuniam pendito puella patri, prout est dos virginum, in Deuteronomio, ubi de apprehendente, expressa, quia coram juvenibus eam corruptit & profanavit. Et patri tunc necesse est dotem & dona multiplicare. Decens autem est, ut hoc persolvat pelliciens. Sed quia illa etiam peccavit hac in re, non ab illa, sed a patre ejus pendet nuptiarum scriptura. Pergit fol. 381. i. ad Deut. XXI. 28. 29. Si vero non fiat per modum seductionis sed violentiæ, & testes testentur, וְאִם כֹּחַ אִשָּׁה אֲחֻזָּהּ quod vim ei intulerit, tunc dabit patri puella quinquaginta siclos argenteos &c. Quia neque matrimonium, neque dona ei promissit, quemadmodum prior, pelliciens puellam, אִם כֹּחַ אִשָּׁה אֲחֻזָּהּ sed vi apprehendit eam; ideoque lex hanc geminam ei multam imperat, ut respectu donorum patri puella solvat quinquaginta siclos argenteos, & respectu promissi matrimonii, ut accipiat eam in uxorem; & ne unquam eam repudiet, ideo precepit, ut non dimittat eam omnibus diebus suis.

XII. Recte recedit Abarbenel ab eorum Hebræorum sententia, qui priore lege Exod. XXI. 16. tantum de multa nomine virginitatis ereptæ solvenda, non autem de uxore ducenda, præceptum contineri volunt; quæ etiam sententia videtur Chaldæorum Interpretum Hierosolymitani & Pseudo-Jonathanis, nec non Arabum Saadiæ & Erpeniani: ita ut si uterque velit, nuptiis jungantur, si vero ipse aut puella, aut puellæ pater renueret, multam velut dotem virginalem patri persolveret, Deut. XXI. 29. expressam;

pressam; si vero illectam puellam duxisset, eam pro more dotaret. Addunt, cum, qui virginem vi compresserat, debuisset eam ducere, & multam solvere, sive cœca illa esset, sive clauda, sive leprosa, sine dote virginali, quam minorem 50 siclis argenteis, seu 200 Zuzis sive denariis, non fuisse constitutam tradunt. Auctores citatos vide sis apud Doctissimum Seldenum in *Uxore Ebraica*,

XIII. Id profecto ex omnibus circumstantiis liquet, Sapientissimum Legislatorem graviore pœna afficere *apprehendentem*, sive eum, qui *vi comprimit* puellam, quam qui *blandis verbis eam allicit*, cum hoc in casu culpa quoque sit in puella, quod seduci se sit passa. Neque tamen in viri pellicientis arbitrio positum fuit, an ipsam ducere vellet, aut in puellæ potestate, quæ stupratoris mores novit, qui ei postea displicere non debent, & volens se libidini ejus subjecit, cum solius patris arbitrio legislator illud reliquerit ob patriam potestatem, dilertis hisce verbis commate 17. *Si plane rennet pater ejus eam dare illi, pecuniam pendito, prout est dos virginum, vel juxta modum dotis virginum, Seb. Castal. vertit, ut feri dos virginum.* Et quamvis diligenter & accurate inquirendum sit, an stuprator matrimonium promiserit, quo casu vitiatam ducere adhuc magis obligatus est, æquitas tamen exigit, ut unusquisque sibi matrimonio jungat, cui virginitatis honorem abstulit, cum ablati restitutio sit juris naturalis. Ideoque Vulgata versio, quam sequitur Lucas Osiander, hæc duo sigillatim expressit, *dotabit eam, & habebit eam in uxorem.* Biblia Tigurina, Lat. & Germ. L. Jud. & Pellic: *donatione donabit eam, (eritque) ei uxor.* Bibl. Germ. Norimbergæ impressa an. 1482. *er hemo; gengabe sy und hab sy zu einem weib.* Pariter Luth & Piscator. Anglicana; *he shal surely endow her to be his wife / q. d. ita dotabit, ut uxor ejus esse possit legitima.* Italica Diodati; *Se alcuno haurà sodotta una vergine, laquale non sia sposata, e sarà giaciuto con lei, del tutto dotata, e prendalasi per moglie.* Reliquæ versiones licet id non ita exprimant, innuunt tamen. Fr. Junius in *Analytica Explic.* Exodi dicit: *Lex est, si quis pellegerit virginem eamque compresserit, ut dotet eam, & uxorem ducat, v. 16. sin parentes puella rennerint, dotem præstet pro conditione persone v. 17.* Quæ etiam Calvinii explicatio est.

XIV. Ideoque meo judicio, in Exodo, pellicenti virginem injungitur, ut eam secundum facultates suas, & puellæ statum atque dignitatem *dotet simulque ducat*, etiamsi ope & dignitate
sit

fit inferior, nec a focero dotem exigat; ut eam tamen ob injuriam illatam, tolerante Deo repudium & divortium, dimittere posset, quia & ipsa omni culpa non carebat; Si vero pater ei dare renuat, tantam pecuniæ summam, quantam dotis loco a patre accepisset, & quantam ille dare potest, numerare tenetur. Sed in Deuteronomio comprimenti sive apprehendenti virginem mandatum est, ut vitiatam duceret, dotem ei assignaret, & insuper patri, cujus est liberos matrimonio collocare, & cui nunc injuria est illata, 50 siclorum argenteorum mulctam solveret, quam Pellicanus alteram dotem vocat qui addit *vir solvere non valens, servitio compensabit pecuniam*. Denique utcunque matrimonium caderet, omnes molestias, quas ab uxore, injuriæ illatæ causa, esset percepturus, devoraret, utpote quam *nunquam dimittere* potuit (כִּי נָשָׂא דָּתוֹ דְּבִיבְרָא דָּתוֹ דְּבִיבְרָא דָּתוֹ דְּבִיבְרָא) dato libello repudii, addit Targum Uzielidi tributum,) sed *omnibus diebus vita retinere* debuit. Semper enim puellam, quam in uxorem accipere compellitur, odio haberet, & nulla causa existente repudiaret, ideoque isto privilegio dimittendi, quo prior pelliciens cum cæteris gaudebat, privatus est.

XV. Ut dotem a mulcta 50 siclorum patri solvendorum Deut. xxii. 29. distinguam, suadent celebriores Hebræorum Magistri, qui non *ex ipsa lege*, sed ex majorum institutis taxationem dotis manasse, in lege autem de dote tantum virginis compressæ cautum volunt. Et Philo *lib. de special. legibus*, Si quis, inquit, raptam vitiaverit, ducatur ad judices. Tum si pater violata superfuerit, agat cum vitiatore de sponsalibus; que si recusarit, mulctetur pecuniis in dotem puella nuptura alteri; quod si assenserit, sine dilatione ducat eam, assignata dote nihilominus. Quod etiam suo calculo probant Gerhardus *Comment. ad Deut.* & Henr. Brouwer in celebri tractatu *de jure Connubiorum lib. I. Cap. xxvi. §. 17. præter dotem, patri vitiata quinquaginta siclos argenteos fuisse solvandos*. Qui vero mitigant pœnam, alterutrum pellicienti eligendum volunt. Quemadmodum Grotius annotat ad Deut. xxii. 28. 29. *Qui pellexit, si eam permittitur uxorem ducere, non dat dotem, nec dimittere vetatur*. Ad Exod. xxii. 16. differt hæc facti species ab illa, que est Deut. xli. 28. 29. *ibi matrimonium cum mulcta imponitur*. Hic patri virginis optio datur mulctæ aut matrimonii. Rectissime Grotius inter duas istas leges differentiam agnoscit, atque in Exodo non stupratori, qui ad matrimonium & mulctam erat obligatus, sed soli patri utriusque optionem adscribit, quæ tamen pro-

pro-

procul omni dubio in Deuteronomio venit tubintelligenda, si pater filiam stupratori dare nolit, ut tunc æque dotem & mulctam solvere teneatur.

XVI. Igitur non video, quo modo Jus Canonicum divinam de stupro constitutionem, quam *Decret. Greg. Lib. v. Tit. xvi. c. 1.* ex capite *xxii Exodi* transcripsit, dilatare aggrediatur, quatenus & stupratae & stupratoris consensum in nuptias subnexa glossa ad *d. Cap.* exigit: *Si pater eam dare sibi voluerit, & ipsa in eum consensit, & etiam si ipse eam accipere voluerit: alias punietur; & quatenus copulativam particulam dotabit eam ET habebit in uxorem, mutavit in disjunctivam sive alternativam aut ducat, aut dotet; & denique quatenus Gregorius Papa jussit, ut stuprator condemnatus ducere stupratam, & nolens parere judicis sententiæ, excommunicetur, & post corporis coercitionem, in monasterium, ut poenitentiam agat, detrudatur, hisce verbis *Cap. 11. Pervenit ad nos, quod Felix quandam virginem stupro decepit: quod si verum est, quamvis esset de lege poena plectendus, nos aliquatenus legis duritiam mollientes, hoc modo disponimus: Ut aut, quam stupravit, uxorem habeat: aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterio, in quo agat poenitentiam, retrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine preceptione licentia.**

XVII. Amplexi sunt istam de alternativa particula expositionem *Jcti A. Matthæus de Criminibus ad Leg. XLVIII. Dig. Tit. III. Cap. VII. §. 17. & Carpzovius lib. 11. de Jurispr. Consist. Tit. XIV. Defin. 2. §. 9. & 240. Jus, inquit, divinum requirere utrumque, cui adsentiatur Canonicum sed in terris imperii copulativam illam juris divini (ET) in alternativam esse resolutam, & eatenus receptam. Sufficere enim alterutrum, arbitrio stupratoris optione relicta. Quin Lessius *De Justit. & Jur. 2. c. x. Sanches lib. VII. Disp. XIV. de Sacram. Matr.* cæterique Jesuitæ audacter asserunt, stupratam, quæ non decepta consensit in stuprum, etiamsi prius reluctata fuerit, nullam ob omisum virginitatis honorem, contra stupratorem suum actionem habere; cum jure naturæ, volenti non fiat injuria, nec quis cogatur refarcire damnum cupienti illatum; & voluntarii stupri ratione, ne quidem ipsi patri adversus stupratorem ullam actionem concedendam judicant, cum filia sui corporis sit domina, eoque suo jure uti possit etiam ad committendum stuprum. Quæ omnia sunt ficta præter & contra Scripturam.*

XVIII. Cla-

XVIII. Clarissima enim sunt verba legis, quæ solius patris arbitrio optionem relinquunt, & stupratori tam matrimonium, quam mulctam imponunt; nec necessitatem matrimonii sub quacunque pœna remittunt, nisi pater nuptias ipse repudiet. 2. Quamvis in Exodi Hebræo textu illa verba, ut a Vulgato versa sunt *dotabit eam & ducet eam*, non reperiantur, istum tamen sensum fundunt, & quidem majori adhuc emphasi, *dotando dotabit eam* *in uxorem* i. e. *ut sit uxor*, quasi diceret, certo & cito atque prompte ei dotem dabit & in uxorem eam accipiet. Dico certo; quia bis dicitur *dotando dotabit*, sicut Gen. 11. 17. *moriendo morietur*. Hab. 11. 3. *veniendo veniet*, id est certissime. Dico cito atque prompte, quia verbum *dotare* & *festinare* notat. *Dotabit autem in uxorem*. Litera *ל* idem significat, quod *ad* vel *in*, ac motum ad aliquid denotat, idemque valet, quod *להיות* sicut Gen. 11. 22. *ædificavit costam לֵאשָׁה in foeminam*, i. e. *ut esset foemina*. Jud. viii. 27. Gideon aurum aptavit *in Ephod* i. e. *להיות אפוד*. Unxerunt me למלך *in regem* 2 Sam. 11. 7. Targum *ut essem rex*. Accedit, quod apud Arabes *dotare* *dotem scribere*, *dotemve sponsale mulieri mittere*, & *ita eam uxorem ducere* significet.

XIX. Sed Deut. xxii. 29. copula in ipso textu Hebræo expressa est: *Tunc dabit vir ille patri puella 50 siclos argenteos, & ei erit in uxorem*. Verum quidem est, quod *ו* *van copulativum* interdum sit disjunctiva particula, sicut Exod. xii. 5. loco *LXX* habent *et aut*. Exod. xx. 15. Cap. xx1. 15. *qui percussit patrem suum* *LXX* *et matrem suam*. com. 17. *maledicens patri suo* *LXX* *& matri sua*. Hoc autem in loco, præterquam quod nemo Interpretum Orientalium, nec quotquot mihi inspicere licuit, Occidentalium, disjunctivam conjunctionem somniaverit, contextus eam plane repudiat, quia disertis verbis dicitur, *ne potesto eam dimittere omnibus diebus suis*. Contendit quidem loco citato Ant. Matthæus, *mores & legislatorem disjungere posse, quæ Deus conjuncta voluit, quia non simpliciter Deus jubeat utrumque fieri, sed ita jubeat, si non dissentiat pater. Si igitur patri permittatur conjuncta separare, non minus id permitti magistratui, cum is pater patria sit.*

XX. Verum enimvero ut libere dicam in libera Republica, quod sentio, quamvis libenter concedam, Magistratum tanquam patrem

patrem communem statuere posse, quid expediat vel non expediat, & expensis circumstantiis alterutrum imponere, si tamen hæc ita disjungat legibus ubique, nunquam dabitur optio parenti. Et rogo, cur non fiat mentio *Seniorum civitatis* in hac controversia æque ac versibus præcedentibus Deut. xxii. 15-19. Et si enim Magistratui leges intactæ sint relinquendæ, a quo & stupratores & stupratæ, arbitraria civili pœna insuper affici possunt, quia illi commendata est Reipublicæ salus, & ea omnia, quæ ad eam pertinent, quorum causa est constitutus, non tamen parentibus omne jus & omnem potestatem, a Deo & natura in liberos concessam, eripit, sed in ordinem eos redigit, ut omnia fiant decenter, si præfractæ sua potestate abuti velint. Secus enim parentes optime norunt, quid sit e re sua, suæ familiæ & suorum liberorum.

XXI. Non possum igitur non laudare Brunnemanni sententiam *Tr. de Jure Eccles. l. ii. c. xviii. §. xxvi. Solutus stuprans virginem vel viduam honestam tenetur ad dotandam & ducendam stupratam, si ei pater vult dare nuptui, quæ sententia etiam juri divino conformis Exod. 22: 28. Carpz. l. 2. Jurisp. Consist. defin. 229. n. 8. dicit alterutrum tantum in praxi obtinere. . . . Sed in nostra Ordin. Consist. præcise ducere compellitur art. 62. . . . Et hæc sententia est etiam rationi conformis &c.* Addit S. Strykius Celeberrimus hoc tempore *ICtus* in suis *Supplementis*, *Satis aquam esse Autoris (Brunnemanni) sententiam, ad refrenandos illicitos concubitus, & ad reparandam læsionem, quæ stuprata contigit; Et optandum, ut in praxi ita pronunciaretur; sed receptum, ut si stuprata matrimonium sibi insimul promissum allegare non possit, non compellatur ad eam ducendam.* Quod si toleretur in casu Exod. xxii. 16. 17. saltem in altero casu Deut. xxii. 28. 29. tolerari minime debet, nisi prægnantes causæ obstant, & nimia personarum differentia. Quemadmodum Grotius & Matthæus notant, tractu temporis Belgas duritiem divinæ legis remisisse, quod viderent illius fiducia pauperulas puellas & ancillas formæ venustate honestiorum & locupletium adolescentum connubiis insidiari. Tunc utique Magistratus suam auctoritatem interponat, necesse est, sicut aliis in negotiis. Hoc autem culpo, quod neglecta distinctione, disjunctiva sententia a Juris consultis nimia indulgentia pronunciatur, *aut ducat, aut dotet*, imo quod vix alterutrum observetur.

XXII. Apud Iudæos, ut supra vidimus, pellicenti virginem qui.

quidem optio dabatur dotandi aut ducendi stupratam, sed ab apprehendente virginem & impetu stuprante, sententia forensis exigebat, ut duceret, si ipsa scilicet paterque id vellent, & multam solveret, idque sive cæca esset, sive clauda, sive leprosa. Neque enim jus divinum remittit necessitatem nuptiarum, sub qualicunque pœna, sed absque ulla limitatione dicit, ex voluntate patris stupratam fore stupratori in uxorem omnibus diebus suis. Cui rei non refragatur regula, quæ neminem ob unicum delictum duabus vult pœnis affici, quia hic una pœna delictum sufficienter punitum non est. Si vero legi copulativæ plane locus esse nequeat, ut cum quis plures stupravit, quas uno tempore ducere non licet, aut conjugatus est, vel propinquus, illo casu copulationem dotis & nuptiarum in alternativam resolvere, necessitas jubet. Quamvis Rivetus putet, illo tempore, cum polygamia obtineret, plures ducere potuisse.

XXIII. Denique Jesuitæ infideles sunt legum divinarum interpretes, quando ipsi patri adversus stupratorem actionem eripiunt. Etsi enim filia, quæ prius reluctata, tandem plecta consensit, non possit repudiare matrimonium cum eo, qui ipsi antea non displicuit, falsissimum tamen est, ipsam corporis sui dominam esse, & jure suo uti posse, ad committendum stuprum, adeoque Patrem in stupratorem amisisse actionem; cum ipsa nativitate liberos dominio parentum natura subjectos voluerit; ut filia peccare censenda sit contra jus naturæ & divinum, si volens stuprum patitur, eo abutens, cujus pater dominus est, vel avus. Ut ut sexus foeminei fragilitatis & consilii infirmitatis etiam ratio habenda.

XXIV. Porro a stupro Jus Canonicum non satis *Raptum* distinguit, quem definit *illicitum coitum a corrumpendo dictum P. 11. Dec. Caus. xxvii. q. 2. c. 48. c. xxxvi. q. 1. c. 1. & q. 2. cap. 8. & cui Glossa pœnam imponit, quam Deus Deut. xxii. 28. 29. constituit, 50 scilicet drachmas vel siclos (quorum unus 20 obulos habet Caus. 1. q. 1. c. 23.) aut deferendam censet taxationem ad arbitrium boni viri, ut consideretur nobilitas raptæ & persona raptoris, aliæque circumstantiæ. Cum tamen neque Exod. xxii. 16. 17. neque Deut. xxii. 28. 29. de raptu agatur, sed de stupro. *Raptum* enim committit, qui foeminam vel puellam honestam libidinis satiandæ causâ violenter rapit, & secum abducit in alium locum, cujus pœna capitalis est, Cod. ix. tit. 13. Carpz. Par. 1. Pract. nova rer. Crim. q. 40.*

n. 26. 27. 28. Quæ mitigatur in *Const. Leonis xxxv.* si gladio, aliisve armis lethalibus non sit commissus. Sive renitatur puella raptui, sive assentiatur; tum enim saltem patri vis infertur, cui invito res sua eripitur. Ejusmodi raptus innuitur a Chaldæo paraphrasta Gen. vi. 2. & censetur fuisse Dinæ Gen. xxxiv. qualis etiam fuisset Binjaminitarum, si non Seniorum, sed suo tantum consilio puellas Schiluntinas rapuissent Judic. xxi. In Lege Mosis expressa non habetur hujus delicti pœna, colligitur tamen ex Exod. xxi. 16. Deut. xxi. 23. xxxiv. 7. Annon etiam illud exemplum, quod p. 11. *Dec. Caus.* xxxvi. allegatur de raptu, *Si quis filiam cujusdam ignorante patre muneribus illexerit, & ad convivium invitaverit, finitoque convivio, virginem oppresserit,* ad stuprum referendum sit, posset dubitari. Circumstantiæ sunt expendendæ.

XXV. Sollicite igitur cavendum, ne cum raptu, qui capitali pœna afficitur, *stuprum* confundamus, quo intelligitur virginis viduæque honestæ, illegitima defloratio (addi solet, *pueri corruptio*) sive cœlibis cum ingenua virgine vel vidua honeste vivente coitus. *Vid. ff. 48. t. 5. l. 34.* Dupliciter autem juxta ante dicta committitur, vel ab eo, qui pelliciendo & persuadendo, (de quo Exod. xxi. 16. 17.) vel qui puellæ occasione arreptæ, non suasionem, neque tamen etiam proprie vi, sed ipso facto & impetu apprehensæ, neque resistenti vitium infert. Ille dotare & ducere, volente patre; hic ducere, dotare & mulctam dare, nunquamque dimittere jubebatur. Hac distinctione, quæ in verbo Dei fundatur, non observata, vario modo erratum est.

XXVI. Hinc est, quod nonnulli Jcti stupratorem, blanditiis, persuasionibus & dationibus munerum, aliisque fraudibus & fallaciis puellam ad stuprum inducentem, pœna capitis puniendum existiment, quos merito refutat Celeberrimus Carpzovius *P. 11. Pract. nov. crim. q. 68. §. 27-30.* qui violentum stuprum tunc vult gladio puniendum, si vis major & violenta coactio fuerit adhibita. Neque id tamen facile concesserim de quacunque vi adhibita, si non sit raptus, vel stuprum in quod virgo vel vidua armis coacta consenserit. Inde etiam est, quod J. Damhouder, quem allegat & improbat Carpzovius *l. c. num. 49. 50. 51.* stupratorem hoc modo pœnam evitare posse statuatur, si cum alia matrimonium contraxerit, antequam stuprata reparationem injuriæ & dotationem postulaverit, quod ille jam optionem alterutram pœnam eligendi amiserit. Respondet

spondet Carpzovius, quod sua culpa optionem amiserit. Ego autem rogo, quis ei concesserit optionem? non lex divina. Et si vel optio concessa, ad alterutrum tamen tenebatur.

XXVII. Inde etiam est, quod ipse Carpzovius ejusdem *lib. & quest. num. 70. 71. 72.* hanc sententiam pronunciet, quod maritus stuprator non teneatur stupratam dotare, eo quod dotatio sit surrogata in locum matrimonii, ut cessante pœna priori principali, dum scilicet maritus stuprator uxorem ducere nequit, cesset etiam posterior pœna dotatio; item quod ex eodem fundamento non teneatur ad dotationem, si ob proximitatem sanguinis stupratam, cum qua incestus fuit commissus, in uxorem ducere nequeat. *num. 75.* Si observentur leges divinæ, earumque distinctio attendatur, paullo aliter erit judicandum. Si enim stuprator maritus vel consanguineus sit pelliciens virginem aut viduam, cessabit quidem dotatio, sed maritus stuprator & stuprata adulterii & scortationis pœnam incurrunt, sicut incestuosus pœnam incestus. Sin autem stuprator maritus vel incestuosus sit apprehendens virginem, cum aliquo impetu, sine suasionem, uterque obligatus erit eam dotare, sicut supra Carpzovius pronunciauit in alio casu *num. 49-51.* & infimul propter adulterium maritus, propter incestum incestuosus puniendus. Rivetus existimat, stupratorem conjugatum olim vel simpliciter corruptam dotare debuisse, vel etiam, quia in illo populo polygamia locum habebat, obligatum fuisse eam ducere & pro uxore habere.

XXVIII. Hinc porro est, quod Carpzovius *num. 84.* ejusdem *quest. cum. J. Damhouder* alii que citatis Ictis censeat, stupratorem puellam aut viduam dotare non teneri, si ea recuset cum stupratore inire matrimonium, hocque cum alio quopiam contrahat. Respondeo iterum, si sit plecta, concedo, quia illi displicere non debet, quod ante non displicuit. Si vero sit apprehensa impetu, Deut. *xxi. 28. 29.* dotem dare tenetur, licet pater aut puella in matrimonium consentire nolint. Addit Carpz. *num. 91-93.* quod eligendi facultatem non habeat stuprator, an velit ducere vel dotare puellam, si ei matrimonium promiserit, sed præcise ducere cogatur, si de promisso matrimonio liquido vel ex confessione stupratoris, vel aliunde constet; secus si de hoc non constet, & stuprator promissionem neget, putat ad matrimonium implendum invitum cogi non posse, stupratam tamen dotare teneri. Ast si rigide secundum leges divinas judicari debeat, ducere

& dotare tenetur, promiserit matrimonium, necne. Absolute autem ducere tenetur, si virginem aliqua vi vel cum impetu, sine suasionem apprehenderit, juxta Deut. xxii. 28. 29.

XXIX. Si quis quærat, cur cum culpa communis esset, ubi puella in stuprum consensisset, solus vir tamen puniretur? Respondet eleganter Rivetus, *utrumque quidem in foro conscientia reum fuisse coram Deo, etsi major fuerit pellicientis culpa, quam pelleræ; sed legem civilem nullam sancivisse pœnam adversus puellam, quia jam pœna non levis erat in ipso peccato, quo imminuta erat, virginitate amissa. 2. Quod ætas & muliebris sexus infirmior excusaretur, præsertim cum arte & blanditiis fuisset pelleræ. 3. quia cum esset in parentis potestate non potuerit multari pœna, cum nihil haberet in bonis, iniquum autem fuisset insontem parentem, cui facta fuerit injuria, ob eam acceptam pœnas luere. Quod si hæc omnia accurate observentur, cessabit etiam quæstio de alimentatione infantis, de qua Carpz. *quæst.* 68. num. 104. & seqq.*

XXX. Ex hisce legibus discimus etiam, semper illegitima esse conjugia, sine *parentum consensu* inita; de quo pauca hac occasione delibare placet, antequam hinc discedamus. Neque tantum ex honestate, sed & necessitate illum requiri, contra Pontif. & Canonistas recte tenet Carpzovius *Jurispr. Conf. lib. ii. Tit. 3. def. 39.* etiamsi sint liberi majorenes *defin. 49.* Si enim nequidem, quando copula carnalis intercessit, matrimonium potest esse ratum sine consensu parentum, jus suum urgentium, multo minus ubi adhuc puella incorrupta est. Quis enim parenti negabit illud jus in integram, quod habet in corruptam? Frustra excipiunt Pontif. ibi non agi de matrimonio jam contracto, sed de futuro, quod ea conjunctio viri cum puella, in scio patre facta, non fuerit copula conjugalis, sed stuprum. *Bell. de lib. nuptiis Cap. xix.* Cum vis argumenti illo loco nitatur paritate juris, quod pater æque habet in filiam illibatam, ac in constupratam; qui & æque promissionem factam de præsentibus, vi patriæ potestatis, irritam reddere potest ac conjugium futurum.

XXXI. Quibus conspirant leges & mandata Exod. xx. 12. xxxiv. 16. Num. xxx. 5. 6. Deut. vii. 8. Jer. xxix. 6. exempla Gen. xxiv. xxviii. Jud. xiv. 2 Sam. xiii. & alia bene multa; consilium Pauli I Cor. vii. 37. 38. atque Philonis commendatio in *tr. de Special. Leg. Si bene affectus es erga virginem, accede parentes ejus,*

si forte vivunt: sin minus, fratres, aut ἐπιτρόπῃς tutores, aut quos-
cunque in quorum est potestate: & amorem ingenue detegens pete
illius conjugium, & ne te ut indignum fastidiant. nemo enim τῶν ἐπι-
μελεσμένων τῆς παιδὸς ex puella curatoribus tam erit difficilis, ut in-
stantiores preces rejiciat. Quod & gentes naturæ ducem secutæ vi-
derunt & agnoverunt Gen. xxxiv. 8-11.

XXXII. Et si ne quidem promissio puellæ Deo facta, contra-
dicente parente, rata declaretur Num. xxx. 5. 6. quanto minus
homini facta rata esse potest? Deus votum sibi factum permittit judi-
cio patris, multo magis ei permittet promissionem inter homines fa-
ctam. Et licet promissa vel vota fierent etiam de rebus ceremoniali-
bus, ratio tamen & causa hujus legis perpetua est, ut scilicet filia sit
subjecta patri, eoque invito nihil ardui incipiat, ne peccet contra præ-
ceptum V. Decalogi. Si enim in aliis rebus liberi parentibus de-
bent obtemperare, certe in matrimonio contrahendo maxime de-
bent. Nugas vendunt, qui hic iterum excipiunt, legem loqui
de filiabus, quæ annos pubertatis nondum attigerint, ante quos
non habeant plenum judicium rationis, cum in textu bis addatur:
quæ in domo parentum habitat, & quæ adhuc est in ætate puellari
comm. 4. aliam autem esse rationem earum, quæ annum 12. com-
pleverint, atque de suis actibus liberis disponere possint.

XXXIII. Nam 1. phrasis illa אביה בבית in domo patris sui, non est
de impubere intelligenda, cum Hebræi, minorennium nulla esse vo-
ta, dicant, & domum patris explicent de potestate patris, licet non sit
in domo ejus. Optimus hic nobis Interpres est Abarbenel *Comment.*
in Leg. fol. 317. 2. אמר קודם שנשא וזול. אם היה בבית אביה בנעוריה רוצה לומר קודם שנשא וזול. אם היה בבית אביה בנעוריה ער שנים עשר שנים
id est, antequam sit nupta; Sapientes autem dicunt in adolescentia sua,
usque ad annum duodecimum. Vocant majorenem, quæ annum
duodecimum & diem unum superavit. Quicquid tunc vovet, si-
ve votum intelligat, sive non, id stabile esse, neque arbitrio patris
obnoxium volunt. Pseudo-Jonathan ita vertit: mulier quæ non
transit 12. annos. Cui tamen sententiæ calculum suum non addit
Abarbenel, sed antequam sit nupta, patrem ei imperare & votum aut
promissionem irritam reddere, censet. Pergit בי אם האשה לא היתה
פנויה בבית אביה פנויה. Si vero mulier non sit adolescentula in domo patris
sui, id est cælebs, cum habet virum, tunc non amplius potestatem & impe-
rium in eam habet pater. Ex quibus omnibus manifestum est, phra-
fin

fin, in domo patris esse, de cœlibatu, deque fœmina innupta, esse intelligendam. Grotius, *filia*, inquit, *donec maritum haberet*, solebat in patris manere domo.

XXXIV. 2. Phrasis altera בנעוריה quæ redditur in adolescentia sua, non est ad annos pueritiæ restringenda, quia vox נעורים infantiam, pueritiam & adolescentiam, adeoque totam teneram aetatem complectitur, cui infirmum est iudicium, quale in pueritia esse solet. Rebecca nuptura Isaac, ut hic, נעורה puella vocatur Gen. xxiv. 14. 16. 57. Josephus natus 17. annos נער puer sive adolescens vocatur Gen. xxxv. 11. 2. xl. 1. 12. Et primogeniti, qui ante Aaronis filios sacerdotioungebantur, נעורים adolescents vocantur Exod. xxiv. 5. Esa. xxxvii. 6. blasphemarunt נעורי מלך אשור pueri regis Assur, quod LXX vertunt οἱ πρέσβεις βασιλέως Ἀσσυρίων legati regis Assyriorum; pari modo Syrus & Arabs. Ita & Ruth נעורה puella vocatur, & quidem quadragenaria, juxta quosdam Hebræos, quod tamen incertum. confer loca, in quibus dicitur אשה נעורים uxor adolescentia Mal. ii. 15. Jes. liv. 6. & בעל נעורים maritus adolescentia Joel. i. 8.

XXXV. 3. Totus contextus Num. xxx. contrarium docet, cum trium sexus fœminini ordinum fiat mentio, nempe virginis, maritatae & viduæ ac repudiatae, nomine virginis utique etiam ea intelligetur, quæ ad pubertatis annos pervenit, vi oppositionis ad maritatum & viduam, & sufficientis enumerationis partium. Quin absurdissimum est, filiam ad pubertatis annos usque pertingentem non esse sub patria potestate. Si maritus potest irritum reddere votum uxoris suæ, cur non pater filia suæ innuptæ? an majori gaudet licentia, quæ sub patris oculo constituta est? Antiqui etiam *Canones Concilii Carthag.* iv. c. 30. q. 5. & *Concil. Tolentani* 111. Cap. 10. *Hoc sanctum* 32. q. 2. paternum consensum non ut honestum modo, sed ut necessarium requirunt. Ne dicam quod juxta Paulum Phil. iv. 8. *honestæ* non sint a mandatis divinis separanda.

XXXVI. Mirari subit, objici exemplum Esavi, sine parentum consensu uxores ducentis Gen. xxvi. cum ille βέβηλος & profanus, nequam fuerit Heb. xii. 16. minimeque imitabilis. Et quamvis uxores vocentur, quibus cum contraxit, quia ille & nationes, inter quas degabat, eas pro uxoribus habebant, inde tamen non sequitur, Scripturam tale matrimonium habuisse ratum. Sicut 1 Cor. viii. 5. *dii multi sunt*, qui pro diis habentur. Legitimus non est consensus con-

contrahentium sine parentum consensu. Jacobus frater Esavi, data occasione, præter intentionem, plures sibi quidem sociavit, non tamen sine voluntate parentum Gen. xxvi. 11. 1. 2. Ne quidem servis olim, invitis dominis suis, uxores ducere licebat Exod. 21. 4. Lev. xxv. 44. cum tamen obligatio illa inter herum & servum mere civilis, inter parentes vero & liberos sit naturalis. Paulus vult, ut parentibus liberi *in omnibus* sint subiecti Col. iii. 20. Ergo præcipue in isto negotio eis se subjiciant, quod ad gentem totam pertinet, quale sunt nuptiæ; quod uti recte docet Grotius *lib. 11. de J. B. & P. C. v. §. x.* ita sine fundamento cum, qui uxorem ducit, hac in re regimini familiari subjici, negat. Non enim solvitur potestas parentum per matrimonium autecedenter ad conjugium, sed demum post conjugium; neque tamen tunc ita solvitur, ut nihil reliqui maneat, contracto matrimonio. Interim libens Grotio assurgo, parentum consilium & judicium magis requiri, cum agitur de filia elocanda, quam de filio collocando. Quod etiam innuitur Num. xxx. 2. & magis filia emancipata parentum consensum exquirere tenetur, ob fragilitatem & consilii infirmitatem, quam filius emancipatus, & qui propriam alit familiam.

XXXVII. Æque autem matris ac patris consensus requiritur Exod. xx. 12. Deut. v. 16. Eph. vi. Col. iii. 10. Gen. xxi. 21. xxvi. 7. 1. 48. Judic. xiv. 2. sed dissentiente matre, illius sententia præferenda, quia vir caput est & Dominus 1 Cor. xi. 3. Gen. iii. 16. 1 Tim. ii. 12. 1 Petr. iii. 7. & præfœmina valere præsumitur judicio & prudentia: quæ etiam ratio, quod speciatim *patris* fiat mentio istis in negotiis Exod. xxvi. 17. Sicut autem viventibus & mortuis parentibus avo & aviæ hic honos merito defertur, ut consulantur de futuro matrimonio; ita post mortem parentum recte consuluntur fratres, proximi cognati, aut etiam affines & tutores, qui loco parentum personis dantur Gal. iv. 1. 2.

XXXVIII. Consensum suum parentes denegare possunt, si v. gr. filia nubere velit atheo, impio & profano viro; vel infideli, qui est extra Ecclesiam, qualis est gentilis, Muhammedanus, Judæus, nisi se convertant; vel hæretico, cujus hæresis fundamenta religionis evertit, qualis est Socinianorum, Pontif. Enthustiarum, Libertinorum & nonnullorum Anabaptist. si sint pertinaces; quia metuenda seductio, & spes conversionis lubrica est. Secus

C c

cum

cum Pontif. & Anabapt. contrahere liceret, exemplo Patriarcharum Gen. xxxviii. 1. s. xli. 45. 2 Sam. iiii. Videtur illud peccatum notatum esse in antediluvianis, quod sibi uxores acceperint *לדן ex omnibus* promiscue Gen. vi. 2. Vide sis Deut. vii. 3. 2 Reg. xi. 1. 2. Tim. ii. 17. 1 Cor. vii. 39. Tit. iiii. 10. 2 Joh. ii. 10. Item si filius ducere velit meretricem, vel filia nubere velit turpi viro, infamiae macula adperso, venefico & praestigiatori, quem revera talem esse, probari potest; item leproso, similive contagioso morbo laboranti, si nulla spes reparandae sanitatis adfit; nec non raptori, a quo filia abducta. Attamen non ob quoslibet proci malos mores, pater intercedere potest filiae nuptiis; neque ab eo abstinendum, qui libello famoso diffamatur, vel veneficii aut similis delicti accusatur, si probari nequeat, quia charitas malum non suspicatur 1 Cor. xiiii. 5. Solum contemptum paterni consensus in sponsalibus a liberis jam contractis sufficientem parentibus dissentendi causam praebere, non immerito censet Carpovius l. ii. *Jurisp. Conf. Tit. 3. def. 57. 58.* In quibus tamen omnibus prudentiae judicis multum deferendum.

XXXIX. Parentes honesti, pii & prudentes denegati consensus rationes reddere non tenentur, si liberi sint minorenes; fecus enim tutissimum est, dissensus in honestas nuptias cautas exponere, ut constet, num illae ponderosae necne. Quod requiritur, si liberi sint majorenes, & parentes morosi, duri vel imprudentes, contra Eph. vi. 4. Quo in casu parentes consensum denegantes a liberis modeste compellendi, cognatorum & amicorum intercessio imploranda, ministri Ecclesiae in consilium advocandi, aut tandem judex & magistratus politicus implorandus; quia parentum potestas non est suprema & independens. Consule sis Voetii *Polit. Eccles. Par. 1. l. iiii. Tract. 1. Sect. iiii. c. 2. §. 4. seq.* Monendi sunt parentes, praesertim si copula carnalis accesserit, & conjuges non malae frugi sint, facti poenitentiam agant, & veniam a parentibus petant, ut non facile rescindant matrimonium, sed aequitati locum dent, ut majora scandala vitentur, & vitia ac desertae major injuria non inferatur. Cum autem pater quandoque causas dissensus proferre nequeat, nisi actionem injuriarum incurrere velit, ante laudati Jcti Brunnemanus & Strykius hanc cautelam commendant, *ut eas secreto judici Consistoriali insinuet, qui ea de re secreto inquirat. de jure Eccles. l. 11. cap. xvi. §. v.*

XL. Ita

XL. Ita vidimus maximum usum istarum legum Mosaicarum Exod. xxii. 16. 17. & Deut. xxii. 28. 29, quæ a Zeppero *Leg. Mo- saic. forens. Exposit. l. 1. c. x.* merito forensibus immutabilibus annu- merantur, quia principiis a natura inditis congruunt, & rationem habent immutabilem ac æternam, ne videlicet puellæ omiſſa vir- ginitate, & derelictæ prostibula fiant, terraque stupris inquine- tur; & quam quis contumelia affecit, eidem honorem per subse- quens matrimonii vinculum ut restituat. Hæc ratio a Sanctissi- mo, Sapientissimo & Prudentissimo Legislatore considerata, pro- cul omni dubio omnes homines ad earum observantiam semper commovere debet, consentiente Hen. Brouwero *de Jure Connub. l. 1. Cap. xxvi. §. 80.* Ideoque perperam nonnulli dicunt, Mosem non esse nostrum Magistratum, sed Judæorum in terra Canaan. Et male inquit glossa *Decr. v. Tit. xvi. l. 1. pœnam stupri secundum antiqua tempora* ibi contineri. Quasi eadem pœna nunc locum non haberet. Cum hujusmodi leges speciales non sint, terram Canaan respicien- tes, sed generales, ad nostram doctrinam quoque scriptæ. Ven- niam dabunt nostri adversarii, præcipue Ath. Vincentius, quod hac digressionem usus fuerim, quam ille instituit sæpissime inuti- lem. Quia plures casus matrimoniales explicare animum indu- ximus.

CAPUT IV.

Lex Levit. xviii. 18. duas uxores ducere prohibet.

Meditanti mihi leges Levitici xviii. de *Conjugiis. licitis*, sem- per crucem fixit comma istud 18. quod a nonnullis de duabus fororibus non ducendis, ab aliis autem de polygamia simultanea hic vetita explicatur. Diffimulare nolo, me hæcenus semper pe- pendisse in illorum sententiam, qui *sororem* strictè dictam intelli- gentes vertunt, *Mulierem ad sororem ejus ne assumito*. Sed postquam leges hæc interpretaturus omnia curatius inspexi & examinavi, argumentorum pondere convictus cum Karæis, quos sequuntur doctissimi Viri, Beza Tremellius & Junius, Rivetus, Piscator, Spanhemius, Coccejus, Heideggerus, Brouwer *de Jure Connub. l. 1. c. v. 17.* nec improbant auctores notarum Belgicarum, existi- mo polygamiam hic expressâ lege a Deo vetitam esse, quam ita verto *ואשה אל אחותה לא תקח לצרור לגלות ערותה עליה בחיה* *Et mulie- rem (unam) ad alteram ne accipito angustia afficiendo, retegendo nu- ditatem*

ditatem ejus super hanc in vita ipsius. Cujus sententiæ & versionis sequentes dabo rationes.

II. *Prima est, quod conjugium cum uxoris sorore per analogiam jam fuerit prohibitum commate præcedente 16. Nuditatem fratris tue (uxoris fratris tui) ne retegito, nuditas fratris tui est.* Quod repetitur Lev. xx. 21. Pari modo, nuditatem sororis uxoris tuæ ne retegito. Si non licet fratris defuncti uxorem ducere, excepto casu leviratus Deut. xxv. 5. Ergo nec uxoris sororem. Quia eadem est carnis propinquitas in uxore fratris, & in uxoris sorore; & similis ratio hic valet, quæ Lev. xviii. 16. ac eadem, quæ cap. xx. 21. quia est turpitudine uxoris, & *res exterminanda, sive ob immunditiam abominanda.* Siquidem gradus, non personæ tantum, sunt numerandi in Levitico. Secus enim matrimonium patris cum filia, & multæ aliæ absurditates inde sequerentur. Et rationes, quæ dantur comm. 7. 8. 10-17. æque valent in gradibus analogicis v. gr. commate 10. neptis prohibetur, ergo & nepos, & ipsa filia. Sicut Hebræi filiam per *וּמִן* *בְּ* argumentationem a minori ad majus prohibitam esse docent. Bechai in Leg. fol. 151. col. 1. nisi mavis filiam ad comm. 7. & 8. referre. Deinde hæc recepta apud omnes Decalogum interpretandi ratio & methodus est, quæ etiam obtinere debet in harum legum explicatione.

III. Duo objicit Arcuarius contra hanc explicationem pag. 113. & 115. *primum ex Christiano Vigile, dicente, se non capere sequelam: Per analogiam v. 16. antecedente Sororis ad uxorem superinductio vetita est. Ergo verbis propriis prohibitam illam fuisse, non fit verisimile. Cum quod vitari oportet, expressa lege vetari potius conveniat, ut ab illis, quos obliget mandatum, cognoscatur.* Respondeo, hoc fuisse glossema & interpretamentum Scribarum & Pharisæorum, quod Christus rejecit Matth. v. ostendens plura in illis præceptis contineri. 2. Brevissimæ sunt leges Levitici, æque ac Decalogi, ideoque non facile ejusdem rei repetitio est admittenda. 3. Scortatio igitur non erit vetita, neque in vii. præcepto, neque in Levitici xviii. capite, quia expressa verba non extant. 4. neque hæc sola ratio nos jubet hanc legem ita explicare, sed plures eam expositionem exigunt, ut mox videbimus. Instat Christ. Vigil, *Supremum Legislatorem incestum cum patre non minus quam cum matre, mixtionem cum sorore matris non minus, quam cum sorore patris, eodem capite, verbis & versibus se subsequenter prohibere*

bere voluisse, quamvis prohibitio unius virtualiter & analogice prohibitionem etiam alterius dicat. Resp. 1. Si eadem sit ratio, cur ergo lex commate 18. contenta non statim subjungitur legi de fratria com. 16. quemadmodum incestus cum patre & cum matre uni commati includitur, & interdictum de mixtione cum sorore matris commate 13. mox subnexum legimus interdicto mixtionis cum sorore patris com. 12. 2. Cur non eadem rationes prohibitionis dantur æque commate 16. & 18. ac commate 7. & 12. 13. si hæc interdicta cum illis sint comparanda? 3. Incestus parentum & eorum, qui loco parentum, magis est vitandus, ideoque ille magis expressus esse videtur, quo sibi homines diligentius ab eo caverent.

IV. 2. Objiunt apud Arcuarium p. 115. se nondum videre, ubi præceptum de sorore uxoris non ducenda contineatur; in versu 16 dici quidem de fratria, atque ita de conjugata, illam autem ad adulterium pertinere, adeoque ad VII. præceptum; unde nequaquam sit concludendum, viro sororem uxoris, quæ vacua sive cœlebs, ducere non esse licitum. Resp. Quasi vero illic fratria, vivente marito, solummodo sit vetita, cujus prohibitio evidens erat ex VII. Decalogi præcepto; & non præcipue, fratre mortuo, sicut legem illam tam Judæi, quam Christiani interpretantur, & Targum Uzielidi tributum expresse addit בחיי אחיך ובניו *vivente fratre tuo; nec post ejus mortem, si liberos reliquerit.* Plura objicit Bucholzerus, in tractatu, quo defendit uxoris sororem post mortem licitam esse, quæ nos suo loco & tempore examinabimus.

V. Secundo phrasis & voces Hebrææ אחות אל אשה ifchah el achotah (quæ vertuntur *mulierem ad sororem ejus*) etiam alibi in Scriptura præter hunc locum, septies eo sensu occurrunt, ut significant *unam ad alteram, vel sociam unam ad alteram* Exod. xxvi. 3. 5. 6. 17. ubi LXX. אחות אל אשה vertunt ἐτέρα τῆ ἐτέρα *altera alteri.* Textus Samaritanus אחת אל אחת & versio Samarit. חרה לגו חרה *una ad alteram.* Targum Onkelosi & Uzielidi tributum חרא עם חרא *una cum alia.* Syrus בחרא בחרא *una in altera.* Commate 5. vertunt LXX ἀλλήλους εἰς ἐκάστην *ad invicem, ad unamquamque.* com. 6. ἐτέραν τῆ ἐτέρα com. 17. ἕτερον τῷ ἑτέρῳ *unum alteri.* Onkelos חר לקביל חר *una e regione alterius.* Ezek. i. 9. Targum Jonathani tributum habet חרא לקביל חרא *una ex adverso alterius.* Syrus חר חר *altera cum altera.* Arabs بالآخر بالآخر *altera cum altera.* comm. 23. LXX ἐτέρα τῆ ἐτέρα

altera alteri. Targum Pseudo-Jon. חרָא לקביל חרָא, uti ante. Ezek. III. 13. LXX. vertunt ἐτέρα πρὸς τὴν ἐτέραν *altera ad alteram.* Pseudo-Jon. & Syrus חרָא חרָא *altera cum altera.* Arabs آخر آلي *alterum in alterum.* Omnibus istis in locis extra controversiam phrasim illa, *mulier ad sororem ejus*, notat *unum ad alterum*, sive *unam ad alteram*. Ergo saltem in S. Scriptura, fatentibus omnibus interpretibus, eadem phrasim hoc significatu occurrit. Utrum hoc loco ita possit sumi, disquirendum est. Regula enim hic locum habet, verba Scripturæ valent, quantum valere possunt, nisi quid obstet. Possunt hoc verba significare, modo nihil obstet huic significatui & interpretationi.

VI. Dicat aliquis, huic obstare, quod phrasim אשה אל אחותה *altera ad alteram*, sensu metaphorico, de rebus inanimatis, ratione destitutis, in S. Scriptura quidem occurrit, nusquam autem de quibusvis fœminis vel uxoribus, nulla consanguinitate junctis? Respondeo, cum in Exodo jam occurrit illa phrasim, de re inanimata licet, qui liber antecedit Leviticum, quidni hic de re animata idem cogitemus? Cum ex eo, quod, qui unius gentis & originis sunt, fratres & sorores vocantur, etiam res inanimatæ, quæ similitudinem quandam invicem habent, אחיות *sorores* dicantur. 2. id nullum dubium habet, quod אחות *soror* non semper *uterinam sororem* denotet, ut videre est Gen. XII. 19. XX. 2. 5. 12. XXVI. 7. 9. sicut masculinum אח *agnatum* Gen. IV. 12. 14. gentilem Lev. XXV. 16. & quemlibet proximum significat Levit. XIX. 17. 3. Quid obstet, quo minus phrasim illa in fœminino אשה אל אחותה *una ad alteram* de animatis & ratione præditis usurpetur, æque ac phrasim eadem in masculino איש אל אחיו *vir ad fratrem suum*, denotat *unum ad alterum*, Exod. X. 23. Lev. XXV. 14. Num. XIV. 4. 2 Reg. VII. 7. Jer. XXV. 26. XXXI. 34. Ezek. XXIV. 23. XXXIII. 30. Jesa. III. 5. XIX. 2. Similis phrasim est איש לאחיו Gen. XXVI. 31. & juraverunt איש לאחיו *vir fratri suo*, id est *alter alteri*. Nam Abimelech, Achuzath & Picol non erant Isaaci fratres.

VII. Tertio, adjuncta ratio, scilicet לצרור *ad laceffendum* vel *angendum* uxorem priorem, generalis est, & ad polygamiam simultaneam æque pertinet, ac ad matrimonium duarum sororum, Gen. XXXI. 50. אם תענה את בנותי ואם תקח נשים על בנותי *Si afflixeris filias meas* (dicit Laban ad Jacobum) & si assumpseris mulieres præter filias meas. Afflictionem explicat de assumendis mulieribus præter jam ductam, sive præter intentionem Jacobi ductas. Tunc enim

enim altera uxor murmurat & affligitur, cum altera superinducitur, siue sit soror Gen. xxx. 1. siue quæcunque alia 1 Sam. 1. 6. Quemadmodum illi ipsi interpretes, qui de sorore hunc textum exponunt, hoc accidere inter plures uxores, & ad polygamiam quamvis extendi posse, fatentur. Lxx reddunt ἡ ἀντιζήλον ne accipias pellicem; quæ est concubina alicujus viri habentis uxorem, ita dicta, quod pelliciat & decipiat virum, separando eum ab uxore sua & ad se trahendo. Rabbi Menachem Raknati exponit מציץ de מציץ fasciculo & ligatione, quod dux sorores velut fasciculus non sint habenda. Quæ similitudo optime quadrat pluribus uxoribus simul ductis.

VIII. Quarto, restrictio ad *vitam ejus* (חייך) docet, legem de sorore non esse intelligendam, quia eam nunquam ducere licet, sicut supra vidimus ex commate 16. sed aliam uxorem defuncta uxore ducere licitum est. Recte sic argumentatur Bucholzerus, si lex de sorore intelligatur, Quicumque prohibetur accipere uxorem ad ejus sororem, ad *laccessendum*, eo casu, quo angustiam pati possit, *in vita ejus*, ille non prohibetur pure & simpliciter, universaliter, & generaliter etiam post mortem; vel, Quicumque tantum prohibetur ducere uxoris sororem una cum uxore, is non prohibetur eam ducere, uxore non amplius vivente, item, Ubi cessat causa prohibitionis, nempe angustia uxoris viventis, ibi cessat ipsa prohibitio. Atqui mortua uxore cessat causa. Ergo. Hic mirum in modum sese torquent Mich. Avemannus, adversarius Bucholzeri, cæterique Interpretes, legem hanc de uxoris sorore exponentes: sed ut ingenue dicam, quod res est, nihil solidi reposuerunt, aut reponere potuerunt ad illa argumenta

IX. Gravissimi Theologi a Dedekenno & Gerharo *Thef. Consil. & Decis. vol. III. Sect. 11.* citati ad illam difficultatem respondent, negari non posse, hanc prohibitionem pertinere ad uxoris adhuc viventis sororem, sed ex eo colligi non posse, post mortem permissum esse, sororem ducere. Quia ex eo, quod scriptum est, non sit temere colligendum, quod non est scriptum. 2. quia a contrario non semper firma ducantur argumenta. 3. quia clausula illa non sit restrictiva, sed exaggerativa. 4. quia ex aliis legibus contrarium colligatur. Cessare unam rationem, concedunt, in prohibitione speciali expressam, sed non alteram in prohibitione generali versu 6. & in prohibitione speciali v. 16 de fratria non ducenda expressam: Illa clausula in specie quidem, & maxime prohiberi si-

mul-

multaneam polygamiam cum duabus sororibus; illum tamen, qui ducat successive duas, licet non agat contra hanc specialem prohibitionem, agere contra generalem v. 6. & specialem illam v. 16.

X. Nihil hic regerunt Doctissimi Viri, ut cum pace eorum hoc dicam, nisi quod prohibitum sit ducere sororem post mortem uxoris, non hac, sed aliis legibus. Id est quod nos urgemus, & cum ipsis contra Bucholzerum aliosque tenemus. Atque ita recte ratiocinatur Ayemannus: Quicquid non aufert propinquitatem inter fororium & uxoris sororem, id non potest esse causa permittens matrimonium cum defunctæ uxoris sorore. Atqui mors uxoris non aufert illam propinquitatem. Ergo. Illud procedit ex commate 16. minime vero ex 18. quia ibi mors causa est permittens matrimonium cum persona, de qua agitur. Alii alia quæsierunt effugia, *רַחֵם* non ad uxorem, sed sororem esse referendum, nempe *quamdiu vivit soror*, id est, nunquam; alii ad vulgatam regulam confugiunt: exclusiva temporis antecedentis non semper infert inclusivam temporis sequentis, sed adjecta illa exclusiva sæpius simplicem negationem continet, ut 2 Sam. vi. 23. Matth. i. 25. *עד* donec i. e. nunquam. Sed J. Gerhardus, Celeberr. Theologus, qui non de polygamia, sed de sorore legem præsentem exponit, neque illam ut coactam, neque istam explicationem probat. Ayemannus in accentu *Athnach* suæ causæ præsidium quærit, post verba, *uxorem ad sororem ejus ne assumito*, posito, ante clausulam, *in vita ejus*; qua ipsa putat non restringi universalem prohibitionem, *sororem uxoris tuæ non accipies*, (ibi enim distinctionem factam esse per accentum) sed exaggerari tantum præcedentia. Ast acute ei respondet Bucholzerus ex *Buxtorffii Thes. Gram.* p. 559. illum accentum minori distinctioni sæpe intervire, ut Gen. i. 1. Lev. xviii. 11, 14, 19. & quæri adhuc, an a Mose sint accentus. Ideoque, hanc clausulam pro ratione habendam, qua propositio vel declaretur, vel limitetur, vel restringatur, vel explicetur, vel determinetur, me iudice, optime defendit. Quamvis, ut dixi, ex commate 16. contra Bucholzerum & similes istius matrimonii cum sorore defunctæ uxoris patronos, sit agendum.

XI. Vim consecutionis, si prohibita sit soror, propter angustiam, *vivente uxore*, ergo post mortem licita est, vidit etiam Abulensis; nam, inquit, tunc non accipiuntur duæ sorores ad anxiam,

xiandum, quia una non potest alteram contristari, cum altera earum mortua fuerit. Addit: hoc autem secundum Judæorum ceremonias servabatur, ut posset vir accipere duas sorores in uxores successive, & hoc quia Deus dispensabat. Nunc autem apud nos non est talis observatio, quoniam omnis affinitas impedit matrimonium, nec est aliquis gradus, in quo contrahatur. A quo non absimilis est C. Jansenius, *quod addit, ajens, ea vivente, satis indicat, se id permittere mortua uxore, secus quam de duobus fratribus respectu ejusdem uxoris statuerat. v. 16. cum tamen eadem plane sit propinquitas.* Sed quæro, cur apud nos non observetur, quod Deus hic præcepit, & a Judæis observari voluit? si eadem sit propinquitas v. 16. & 18. cur diversa prohibitio? cur vivimus secundum hæc leges, & cur morales vocantur, si olim Deus hoc observari noluerit a Judæis, quod fuit morale & commune, neutiquam speciale, istum populum & istam politiam concernens; ubi nulla ratio dispensationis? Vel ergo adhuc debet de sorore tantum vivente uxore, intelligi, vel de duabus uxoribus non ducendis.

XII. Frustra igitur objicit Arcuarius pag. 115. non posse ab antipolygamis urgeri clausulam istam, *vivente ea*, cum probari nequeat, tunc defunctæ uxoris sororem ducere prohibitum fuisse; contrarium doceri in lege Judaica, sicut videri possit apud Hotting. l. 206. R. Levi Barzelon. Supra enim ostensum est, matrimonium cum viventis fratris uxore non solum prohibitum esse lege affinitatis, sed lege illa universali, quod non liceat alicui ad alterius uxorem accedere, sub poena mortis Lev. xvi 11. 20. xx. 10. Post mortem autem v. 16. præcipue prohibetur, quando nihil est, quod impediatur foedera conjungenda inter aliquem & uxorem fratris sui mortui, nisi jus affinitatis contractæ. Eadem ratio est sororis post mortem. Quod suo tempore ad Levit. xviii. probabimus.

XIII. Quinto, non dicit Moses *ערוה אחותך לא תגלה* *nuditatem sororis uxoris tuæ ne retegito*, sicut commate antecedente 16. *ערוה אחותך לא תגלה* *nuditatem uxoris fratris tui ne retegito*; & reliqua commata incipiunt, *ערוה אשת אבך* *nuditatem patris tui*, & ita porro. Unde evidens est non esse ejusdem generis cum reliquis præceptum, consanguinitatem vel affinitatem prohibens. Sexto, neque etiam dicitur: *אחות אל אחתך* *sororem ad uxorem tuam ne accipias*, sed simpliciter *אל אחתך* *uxorem ad sororem ejus* (unam uxorem ad alteram) ne accipias, phrasi, quam supra de duabus rebus usurpari ostendimus.

D d

XIV. Septimo

XIV. *Septimo*, In incestuosis nuptiis semper allegantur jura consanguinitatis vel affinitatis & rationes prohibitionis, com. 7. *mater tua est.* com. 8. *nuditas patris tui est.* com. 9. coll. cum Levit. xx. 17. *probrum est.* com. 10. *nam nuditas tua sunt.* com. 11. *soror tua est.* com. 12. *propinqua patris tui est.* com. 13. *nam propinqua matris tue est.* com. 14. *amita tua est.* com. 15. *uxor filii tui est.* com. 16. *nuditas fratris tui est.* com. 17. *proxima ejus sunt, scelus est.* Atqui ratio & jus consanguinitatis vel affinitatis in hoc commate 18. & sequentibus non allegatur. quæ tamen allegari debuisset, æque ac in reliquis interdictis, si de sorore intelligi deberet. Ergo non immerito concludimus, hic alterius generis sequi prohibitiones, & priores de nuptiis incestuosis, seu gradibus consanguinitatis ac affinitatis, esse expeditas, sicut revera omnes, quæ sequuntur, diversæ sunt. Atque ita procedit argumentum Bucholzert celeberrimi J.Cti contra Avemannum (etsi non probemus ejus sententiam, licitum esse sororem uxoris defunctæ ducere) *Ubi diversa sunt rationes prohibitionis matrimoniorum. ibi etiam diversi sunt casus. Atqui in ante dictis matrimoniorum generibus sunt diversæ rationes. Nam ratio prohibitionis cum fratris uxore est, quod nuditas fratris est, nuditas mariti defuncti; sed sororis prohibitionis ratio est, ne affligatur.* Nos loco tororis solummodo vocem *uxoris* ponimus, atque ita nostrum facimus istud argumentum, totoque genere differre censemus ista præcepta; Quia hic quidem illiciti concubitus prohibentur, non autem incestus, propter consanguinitatem vel affinitatem.

XV. *Octava* ratio est, quod hanc expositionem exigit ordo præceptorum. Si de torore hoc intelligendum foret, non hic demum collocatum fuisset, sed statim comma 16. excipere debuisset, tanquam similis prohibitio, quemadmodum incestum cum patre & cum matre com. 7. & cum sorore patris ac sorore matris comm. 12. 13. conjunxit. Hic vero ad calcem omnium nuditatem, sive incestuosarum nuptiarum, rejicitur.

XVI. *Nona* ratio, quia si hic textus de sorore explicaretur, nusquam in lege diserte interdiceretur digamia, nisi regi Deut. xvi. 17. cum tamen ex verbis prophetæ Malach. ii. Christi Matth. xix. & Apostoli i. Cor. vi. 15. & vii. liqueat, eam esse prohibitam. Neque id obscure innuitur, ex mente gravissimorum Auctorum, in *Targum*, quod *Jonathani* tribuitur, ad *Ruth*. iv. 6. Ubi dixit redemptor: *לית אנה יכיל למפרוק לי על ראיח לי אתחא לית לי רשו למכב אוחרניחא עלה דלמא*
תי

תהי למצי בתי אדא מחבל ית אחסנתי פרוק לך את ארום דליה לך אתתא ארום
: לית אנא יכיל למפרוק. *Ego non possum redimere mihi, quia jam est mihi
uxor; Neque est mihi facultas accipiendi aliam super eam; ne forte in-
de contentio oriatur in domo mea, & ne corrumpam possessionem meam:
redime tu tibi, quia tu non habes uxorem, & ego redimere nequeo.* Et si
Doctissimo Seldeno verba illa non jus aliquod unicam duntaxat
ducendi, aut plurium simul confortii interdictum aliquod, sed
domestica tantum incommoda respicere videntur. *Ux. Ebr. I. Cap.*
ix.

XVII. Decimo hanc sententiam inter Hebræos confirmant *Ka-
rai*. Reliqui Judæi suæ hypothefi inserviunt & perversæ consuetu-
dini patrocinantur, quam Christus redarguit Matth. XIX. 4. 5. id-
eoque Auctori *Peschiba* f. 24. minime assurgimus, tradenti ad i-
stam legem שאתמר שתי נשים בעלמא אמרות בידוע שאין להם לא דת לא חוק
שהרי כמה צריקים נשאו שתי נשים כגון אלקנה ודוד ושלמה וכדברי הימים כמה בשתי נשים
*Quicumque dicit, binas simul uxores esse interdictas, notum sit eum
nec morum, nec juris esse peritum. Nam multi justii acceperunt binas u-
xores sicut Elkana, David, Salomo. Et in libro Chronicorum multi
memorantur, quibus bina uxores.* Supra enim vidimus, ex eo, quod
justi binas acceperint uxores, neququam sequi, eas non esse in-
terdictas. Exempla illa postea examinabimus.

XVIII. קראים *Karai* dicti sunt quasi *Scripturarii*, quod relictis
traditionibus solam Scripturam reciperent; a Sadoco, primo sectæ
auctore Sadducæi olim appellati, a quorum doctrina tamen hodie
secesserunt. Hi igitur ut in aliis dogmatibus, ita etiam in rebus ma-
trimonialibus differunt a reliquis Judæis, & leges illas Levitici
XVII. XX. secus exponunt, ac alii interpretes Judæi & Christia-
ni, neque prohibitionibus incestus annumerant hoc comma 18.
Lev. XI 19. quæ sententia ab aliis ut hæretica damnata est. Missis
alii Karæorum Scriptis, quorum plenissima est Instructissima
Bibliotheca Leidensis, ex rarissimo in Christianis Bibliothecis libro,
Constantinopoli impresso, a *Rabbi Elia filio Mosis Karæo* edito, cui
titulus est אדרה אליהו *Adderet Eliahu* (in catalogo Bibl. Leidensis
num 20. in fol. *Excusi Legati Warneriani* male appellatur ספר ישר *Liber
recti*, qui quidem in ejus titulo citatur, sed cujus auctor est *Rabbi
Ieschua.*) hujus legis expositionem proferre nihil visum est, & ob
raritatem libri & ob varias variorum opiniones, ab Elia circa hujus
legis interpretationem allegatas.

XIX. Verba ejus in נשים כרר ita habent: בניאור הפרק החמישי

הנשים החמש שזכרנו וכל התלוי בהן עכשיו נדבר באלה החמש נשים כי כבר ביארנו דיני העריות במקומם ונתחיל בניאור מאמר ואשה אל אחותה לא תקח לצרור וגומרי ונאמר שבטעם מלת אחות נחלקו החכמים מהם אמרו שהם אחיות ממש ואלה הם בעלי הקבלה וקצת מהקראים ואם הוא באופן אחר: כי בעלי הקבלה אמרו שהן שתי אחיות שנשאו לשני אחים ונפלה האחת ליבום לבעל אחותה ואמרו אף על פי שהוא בחיוב ליבמה לא יקחנה ופרשו מלת לצרור לא צרור לא היא ולא צרתה וצרת צרתה מן כפל ריש לצרור כפי מה שפירשו אמנם קצת מן הקראים אמרו אף על פי שהן אחיות אמיתיות לא למדנו הכתוב לא צווי ולא התר ומה שהתנה עליה בחייה אין הטעם שאחר מותה תהיה נותר אלא אסור אחות אשה בחייה הוא מן הכתוב ולאחר מותה מן הדקדק שהוא אסור שני שארים לגוף אחד.

ומהם אמרו שאינן אחיות ממש ואלה הם בעלי מקרא ונס אלו נחלקו מהם אמרו אחיות שאולות ומהם אמרו שהן קרובות ומהם אמרו אחיות ביניקה ומהם אמרו אחיות ברין אמנם שאינן אחיות ממש והידוע מן גזרה שוה מן הכתוב כי אחרי שהכתוב אסר שני שארים לגוף אחד במאמר ערות אשה ובתה לא תגלה דין לקחת זה המשפט על כללו בכל שיהיו שני שארים אסורים לגוף אחד ושתי האחיות הן שני שארים ואסורות לגוף אחד לעולם בין בחיים בין במות וכן אסורה מקל וחומר שאם הודדה שהיא בת אבי האב אסורה האחות שהיא בת אבי לא תהיה באסור ואסור אשה על אשה יצער על בעלה ואלו היו אחיות ממש ואסורין משום וערה היה מזכיר עונש הבא אליהן בפרשת קדושים כאשר הזכיר עונש שאר העריות ועוד שלא הזכיר בסדר לשון העריות לומר ערות אחות אשתך לא תגלה או ערות אשה אל אחותה לא תגלה.

אם כן לפי הנראה שאינן אחיות עד שיהיה משפטן כמשפט אסור עורה אמנם שאינן אחיות שאולות או אחיות קרובות או אחיות ביניקה זה מבואר ממשמע פשט הכתוב בזה הפסוק לא לפי מה שפרשו הם שזה הפסוק נאמר לאיש שלקח קרובת אשתו או אחותה ביניקה בעבור צרור כי לפי זה אם יקח אשה אחרת וזולת אלה לאופן צרור מותר לו וזה לא יתכן כי הכתוב נתן דרך על צד החמלה אפילו לבעלי חיים בענין השחיטה כל שכן לאדם שהוא תכלית זה העולם השפלי ולכן אמרו כלל החכמים המפורסמים שזה הפסוק נאמר לשתי אחיות ברין וגזרו אומר מזה הפסוק שאסור לאדם לקחת אשה על אשתו לאופן צרור והטעם לגרוע מחקה הראוי לה לפי עונתה רוצה לומר שיוסף על האחת מחברתה אלא תהיינה שתיהן במדרגה אחת והצרור הנה הוא צור העונה מענין ותהיינה צרורות עד יום מותן אלמנות חיות לא צרור קנאה כי לפי זה היה ראוי למנוע בכלל לקחת אשה שנית כי מתי תהיה האשה מפויסת בלקחת אשה שנית שלא היה לה צרור הקנאה והנה מצאנו כי תהיין לאיש שתי נשים והנה לפי זה צרור העונה הוא אסור כל זמן ששתיהן תחת כנפיו אמנם אם יקדש האחת לא יהיה עובר משום צרור כי לא מנע חקה בעבורה אלא אפילו בלתי היה מונע אמנם אם יגרשנה בעבור נשיאת השנייה יהיה עובר כי זה מבואר שהוא בעבור צרור ולכן לא יהיה הקנין תופש כי הוא על זולת מכוון הכתוב ונזכר יחד עם אסור הבא על אשת איש שאין הקנין תופש והנה בחייה יהיה האסור משום צרור אמנם אחר מותה אין צרור ולכן אמר עליה בחייה לא שיש לה צרור אחר מותה הנה לפי זה לא אמר עליה בחייה אלא כדי שלא יהיה זה אסור עולמית לא זולתו ואמר החכם רבינו יפת שאלה אחיות ברין וכתוב עליה בחייה מנעו ולא אחרי מותה ואם היתה שמה כל ימיה ואם היתה זקנה ואם גשתגעה כל ימי היותה בחיים ואינו מותר

מותר לקחת עליה אשה בחייה למען צרור כי לא יקרא אחרי מותה צרור עד כאן דברי
 סוף דבר מותר לישראל לקחת נשים כמה שירצה לא לאופן צרור והטעם להיות
 צרור בעונה על שיוסף בשנית ולגרוע מהראשונה אלא להיות מספר העונה בכל
 בשוה וכן בשאר דברים כגון שאר וכסותה ובעלי הקבלה אמרו שלא ישא אדם
 יתר מארבע נשים אף על פי שיש לו ממון רב כדי שהגיע להן עונה פעם אחת
 בשבועי ופה דקדקו הלא תראה ליעקב אבינו שהיו לו ארבע נשים לא לפי דעה
 האומרים שמאמר לא תקח מופסק והטעם שלא יקח כל עקר צרה לאשתו מפני שמלת
 לצרור מקור והטעם צרור העונה לא שם ואמרו החכמים שמי שאשתו עקרה וירצה
 לולד ימתין עשר שנים ואחר כן ישא אחרת ככתוב ויהי מקץ עשר שנים לשנת
 אברם בארץ כנען ואפילו בעבור צרור כי זולתי צרור מותר לו לקחת שנית אפילו
 מהשנה הראשונה ואם ירצה לגרש מגרש ואינו מתחייב לה מוהר מאוחר ואם העכוב
 ממנו משלם מוהרה ומגרש אפילו שלא ברצונו אמנם אם ירצה בוונה ככתחלה לא
 יוסף באחת על האחרת כמה שחייב ולא יכריח אותה לשכון בחצר אחת וכל שכן
 בבית אחת כי יהיה לה צרור

XX. Quæ in Latio ita sonant: Hoc capite quinto quinque
 mulieres, quarum mentionem fecimus, & quacunque inde pendent, ex-
 plicere aggredimur, postquam jura denudationum, sive incestuosarum
 nuptiarum, suis locis antea interpretati sumus; exorsuri a declara-
 tione dicti illius (comm. 18. Lev. xix.) Veischah el achotah ne assumi-
 to ad affigendum, & cetera. Dicimusque, quoad sensum vocis אחות achoth
 disputare & discrepare Sapientes. Quidam illorum dicunt, quod sint sorores
 absolute, & illi sunt Traditionales seu Talmudici, & nonnulli Ka-
 raim, alio licet modo. Nam Traditionales dicunt, quod sint due sorores, quæ
 nupserint duobus fratribus, quarum una incidat in levirationem s. affini-
 tatem mariti sororis suæ: consentque, quod quamvis ille teneatur leviratio-
 ne, tamen eam ducere non debeat; & explicant vocem לצרור de afflictio-
 ne, qua hæc non fit afficienda, neque amula ejus, neque amula
 adversaria ejus, ex duplicatione literæ resh, in voce לצרור, juxta id, quod
 explicuimus. (de quo agunt Talmudici initio fevammoth.) Sed ve-
 ro nonnulli Karæorum dicunt, quod quamvis sint veræ sorores, Scri-
 ptura tamen nos neque præceptum, neque permissionem docuerit. Et
 conditionalis locutionis, in vita ejus, nolunt esse sensum, quod post
 mortem ejus sit licita, sed prohibitionem sororis uxoris, in vita ejus,
 volunt extare in Scriptura; post mortem ejus autem prohibitam esse
 per argumentationem, qua prohibeat duas propinquas uni personæ.

Quidam autem illorum (Karæorum) dicunt, quod non sint sorores
 absolute dictæ, illique sunt Scripturarii. Qui iterum inter se disputant.
 Quidam iradunt, quod sint sorores analogicæ, sive metaphoricè dictæ,
 alii autem volunt, quod sint propinquæ; quidam dicunt, quod sint
 D d 3 sorores

sorores in lactatione (unam nutricem habentes) quidam sorores in jure volunt (quales Lev. XIIX. 11.) non tamen sorores absolutas vel veras. Et hoc evidens est per argumentum a pari ex Scriptura desumptum. Etenim postquam Scriptura uni persona duabus propinquis interdixit, in illo dicto (comm. 17.) Nuditatem mulieris & filiae ejus ne retegito, jus didicisti, hanc esse regulam generalem, ubique observandam, quod duo propinqui sint prohibiti uni persona. Atqui duae sorores sunt duae propinqua uni persona prohibita, idque semper, non modo in vita, sed etiam post mortem. Atque ita prohibetur soror argumento a minori ad majus. Quod si enim uxor patris, filia avi mihi prohibita est, nonne soror (uxoris) qua est filia patris mihi erit prohibita? prohibitio enim uxoris supra uxorem transit ad maritum ejus. Et si essent sorores verae, & veritate ratione nuditatis, Scriptura etiam poenam, quae hosce transgredientes maneret, commemorare debuisset in Parascha Kedofchim (Lev. xx.) sicut commemoravit poenam reliquarum nuditatum. Praeterea non refert eas isto ordine & stylo, quo incestus sunt relati, ut dicat, nuditatem sororis uxoris tuae ne retegito; aut, nuditatem uxoris ad sororem ejus ne retegito.

Satis igitur apparet, non esse in textu sorores, ut inde concludatur jus, quale est nuditatum. Neque tamen etiam sunt sorores analogicae, aut sorores propinqua, aut sorores ex lactatione. Quod satis evidens est ex sensu literali hujus textus. Adeoque non valet eorum (Sapientum) expositio, qui hoc comma intelligunt de viro, qui accipit propinquam uxoris suae, aut sororem ejus ex lactatione, propter וְיָרֵךְ Nam juxta hanc sententiam, si acciperet uxorem aliam praeter illam per modum Zeror, foret ei licitum. Quod tamen aequum non est. Siquidem Scriptura hic viam & modum ostendit per indulgentiam, qua etiam vitur erga animalia bruta in negotio mactationis, multo magis erga hominem, qui finis & scopus est hujus mundi inferioris. Ideoque omnes celebriores Sapientes hunc versum intelligunt de duabus sororibus in jure, atque ex hoc textu concludunt, homini vetitum esse accipere uxorem supra uxorem suam, per modum angustiae, ne diminuatur statutum, quod ei secundum debitum suum conjugale convenit; hoc est, ne adjungat aliquam socia majorem seu magis dilectam, sed ambae sint aequales in pari gradu constitutae. Angustia enim est angustia debiti conjugalis, ex loco (2 Sam. xx. 3.) erant lacerantes usque ad diem mortis ipsarum, viduae vivae; non autem angustia zelotypiae, quia propter hanc generaliter debuisset prohiberi, ne acciperentur

siperetur uxor secunda. Quando enim uxor contenta & quæta est, si duxeris uxorem secundam, ut non sit angustia zelotypiæ? Atque ita reperimus (Deut. xxi. 15.) Si fuerint alicui duæ uxores. Ideoque angustia debiti conjugalis est prohibita, quamdiu illa due sunt sub alis ejus. Si vero desponsaverit sibi unam, non transgreditur respectu Zeror angustia, quia non denegat statutum tempus propter eam, sed præter eam id etiam inhibere & denegare potest. Si vero expellat eam, propter ductam secundam, tunc transgredietur. Hoc enim manifestum est quod fiat propter angustiam. Ideoque non erit jus apprehensionis sive possessionis, quia hoc est præter Scripturam intentionem, & simul refertur & conjungitur cum prohibita uxore alterius viri, in qua etiam non est jus possessionis. Est autem in vita ejus prohibita, propter angustiam, sed post mortem ejus non est angustia; propterea dicit, super eam, in vita ejus, non quod ei sit angustia post mortem. Adeoque non alio sensu dicit super eam, in vita ejus, nisi ut ostendat hoc non esse prohibitum in perpetuum. Sapiens Rabbenu Iaphet dixit, illas sorores esse in jure; & super eam, in vita ejus, Scripturam prohibere, non post mortem ejus: etiamsi sit polluta omnibus diebus suis, aut vetula, aut vesana, quamdiu vivit, non licet super eam in vita ejus, uxorem accipere propter angustiam. Nam post mortem ejus non vocatur Zeror angustia. Hucusque verba ejus.

Summa rei est, Israelitis licitum esse uxores ducere, quot velint, modo id non fiat per modum Zeror angustia. Ratio est, quia angustia consistit in debito conjugali, cum addit aliquid secunda, & diminuit prima. Sed numerus debiti temporis conjugalis in omnibus illis equalis esse debet, quod observetur etiam in rebus cateris in victu & amictu. Talmudici dicunt, neminem ultra quatuor uxores ducere debere, quamvis valde dives sit, ut ad eas debitum conjugale semel una hebdomade perveniat. Quod pulchre & accurate explicuerunt. Quemadmodum vides Jacobum patrem nostrum duxisse quatuor uxores. Non juxta eorum opinionem, qui docent, quod dictum, ne accipias, sit per accentum divisum, ut hac ratione non accipiat totaliter & universaliter uxoris sue amulam; quia לזרור li-zror est infinitivus (qui præcedentibus cohæret, & significat debitum conjugale) non nomen. Sapientes etiam docent, quod qui uxorem habet sterilem & tamen desiderat liberos, expectare debeat decem annos, & tunc aliam ducere queat, secundum id, quod scriptum legitur (Gen. xvi. 3. & accidit a fine decem annorum, ex quo habitavit Abram in regione Canaan; licet transgrediatur Zeror, Quia sine zeror angustia, ei licitum est secundam accipere, etiam a primo anno. Quod si velis

si velit expellere, expellat: neque tenetur ei dare posteriorem dotem. Si impedimentum siue retardatio prolis sit ab eo, dotem ei persolvat & expellat, etsi ipse nolit. Si vero velit in conjugio eam retinere, sicut ante, non addat uni aliquid super alteram, quod tenetur prestare. Neque cogat eam, ut habitet cum ea in uno atrio siue pradio, multo minus in eadem domo, quia angustiam ipsi pariet.

XXI. Negat nobiscum Elias Karæus Lev. xvi 11. 18. agi de fororibus proprie dictis. At perperam צרר afflictionem seu angustiam restringit ad tempus statum concubitus, non restringente Scriptura, sed ad totum debitum conjugale, ac Zelotypiam extendente, quam concedit semper inter duas vel plures uxores habere locum. Sed auctor *Pesichtha Zor.* eos innuit Karæos, qui binas simul uxores absolute in vita, sine ulla limitatione interdictas volunt.

XXII. CI. Druſius ad Lev. xvi 11. 18, referens, *Karæorum expositionem renovasse Trem. & Junium*; si recte, quærit, cur tot viri sancti & legis studiosissimi contra fecerint? cur non eo nomine reprehensi sint? quorsum lex illa Deut. xxi: 15. cap. xvii 17. si non licet duas habere? Resp. Primæ objectioni supra factum esse satis, nullus dubito. Leges Deut. xvii. 17. & xxi. 15. deinde examinabo. 2. ipse Druſius hanc sententiam mutavit, addita ibidem hac admonitione: *Caræorum expositionem huius loci licet praxin contra se habeat, nunquam tamen ut absurdam rejeci, quin in ea opinione semper fui, ut existimarim polygamiam lege vetitam, consuetudine tantum concessam fuisse veteribus; in qua sententia dubius adhuc animi pendeo & fluctuo. Qua si recipitur, tum corrumpit illud de sorore uxoris, & qua scripsi ea de re, scripta nolim.* Fatetur Vir Doctissimus, Karæorum sententiam non esse absurdam, nec rejiciendam; polygamiam lege vetitam, consuetudine concessam Illustris Grotius scribit ad Lev. xviii 18. *Caraitarum sententiam a Viris non ineruditis renovatam, quia nolint quicquam in Evangelio esse vetitum, quod in lege licuerit. quibus refellendis sufficere, putat, qua dicta in lib. de jure B. & P. II. c. v. §. 9.* Sed evidens est Matth. v. & xix. quæ loca allegat Grotius, Christum non alia legis præcepta dedisse, nec novum legislatorem, sed interpretem & vindicem legis, per Mosem datæ, egisse. Vid. Matt. xxii. 37. Rom xiii. 9. I. Joh ii. 7. 8. Putat Grotius. Matth. xix. nova lege polygamiam vetitam esse, cum tamen Christus provocet ad primam,

nam legem five institutionem Gen. 11. 24. Pariter præceptum Christi de non dimittenda uxore, convenit cum hypothetica & restricta permissione repudii Deut. xxiv.

XXIII. Tandem objiciunt Theophilus, alique viri Docti, nos sic recedere a sensu nativo, & in sensum omnium patrum explicationi contrarium deflectere; addit Arcuarius p. 114 Lutherum optime Biblia intellexisse, qui tamen *sororem verterit*. 2. agi ibi tantum de consanguineis & affinibus, atque ut aliæ, ita & hanc legem specialem subjungi generali v. 6. ita Arcuarius loco citato, G. Ad. Struvius in *Synt. jur. p. 11 Exer. 29. §. 51.* alique viri eruditi. 3. Obji. Arcuarius p. 116. Quia sorores viventis uxoris prohibita, ergo alias mulieres vivas superinduci posse. Resp. ad 1. Necessitas ostensa coëgit nos a sensu proprio deflectere. Multa hodie aliter explicanda esse, ac explicuere Patres, Lutherus, alii, omnes norunt. ad 2. responsum satis est, de consanguineis & affinibus agi inde a commate 6. usque ad 18. exclusive. ad 3. Negari consequentiam majoris cum minore. Ratio negationis manifesta est ex superioribus, ideoque hisce diutius immorari nolo. Eant nunc polygamiaæ advocati, & gloriantur, nullam esse legem contra polygamiam.

C A P U T V.

Neque leges Num. v. 11. & seqq. Deut. xxii. 13. 22 xxiv. com. 1. & seqq. favent Polygamia.

Quibus ita expensis, superest, ut leges nonnullas, a polygamiaæ defensoribus, ex duobus ultimis libris Mosaicis productas, discutiamus, & quid in illis sit præsidii, ad oculum demonstramus. Theophilus Aletheus *Thesi LXIX.* ex Num. v. 11. seq. ubi lex de zelotypia marito concessa per aquas probationis, *uxorem suo marito ita propriam esse, contendit, ut non possit, nec debeat se miscere cum alio, & si quando fiat, maritum habere potestatem inquirendi in illam; nusquam vero legi vel in dictis legibus, vel in exemplis, maritum peccare contra uxorem, si unam vel alteram præter primam, sibi associet. Nusquam etiam legi, Deum concessisse uxori potestatem accusandi, & inquirendi in mariti fidem.* II. Respond. 1. Privilegium quoddam viris peculiariter concessum, inquirendi per aquas probationis in mulierem suspectam, in dubium non vocari; Quemadmodum libellus repudii,

E c

præ-

prærogativa quadam, a viris dabatur mulieribus. Nec desunt rationes, cur leges ejusmodi positæ in favorem mariti zelotypi, non mulieris zelotypæ; quia magis læditur conjugium per adulterium mulieris, quam viri, dum per illud incerta redditur proles. *Qui cognoscit uxorem alterius, scribit Tostatus, præter injuriam infert damnum, quia vir illius uxoris prolem illam putans esse suam instituit heredem in bonis suis, sicut alios filios si quos habet. Et possunt ex tali coitu oriri cades, seditiones, bella, sicut Trojanum bellum ex eo ortum, quod Paris accepit Helenam uxorem Regis Menelai.* Adde, quod mulieres ad suspicionem sint proniores, & quod virorum prudentia, circumspectio, & constantia præsumatur major.

II. 2. Causa hujus permissionis eadem videtur, quæ divortii & polygamie, nempe *σκληροκαρδία* & pertinacia populi Matth. xix. ne maritus propter suspicionem ex furore uxorem occideret, & sui ipsius esset iudex. Inapte inde inferitur, viro licitam esse polygamiam. 3. Adde, falsissimum esse, maritum non peccare contra uxorem, si unam vel alteram, præter primam sibi affociet. Contrarium abunde probatum est ex Gen. ii. 24. & Lev. xix. 18.

III. 4. Etsi Deus uxori potestatem non dederit inquirendi in mariti fidem, merito tamen Celeberrimus J. Chr. Wagenfeilius in *Sota*, vult notandum, quod Gemara asseveret, haud aliter Aquas exploratorias virtutem suam in *שטה* uxorem adulterii suspectam exercuisse, quam si maritus quoque frugi esset, nec unquam furtivis amoribus operam dedisset. Ita enim habet *Mischna Cap. v.* *כשם שהמים בודקין אותה כך המים בודקין אותו שנאמר ובאו ובאו* *Quemadmodum aqua vim suam in adulteram exercebant pariter in adulterum, quia iterato dicitur (Num. v. 22. 24.) Et ingrediantur.* Idemque docet e MS suo *EZ Hechajim* ad istud V. caput *Mischna*, verbis illis Num. v. 31. Et insons erit vir ab iniquitate, & mulier illa feret iniquitatem suam, indicari, tum quidem aquas pollere virtute explorandi, cum maritus integer vita est, destitui vero eadem, cum impurus ipse deprehenditur. Et urget R. Akiba, nisi vir includatur, *super vacuam futuram copulativæ conjunctionis repetitionem.*

IV. Quemadmodum autem Num. V. de injuria agitur, quam conjunx facit conjugii, post initum conjugium, ita Deut. xxii. 13. quæstio statuitur, quid juris, si fœmina ante conjugium corrupta reperiatur, & accusetur a viro antegressæ corruptionis nomine,

nomine, jure sponsi. Marito potestas accusandi & inquirendi in virginitatem conceditur. Unde colligit Theoph. Aletheus *Thesi* LXX potuisse Deum, imo vi justitiæ & sanctitatis debuissè, si polygamia virilis esset peccatum, in gratiam uxorum, ceu sexus imbecillioris, etiam ferre leges de incusandis, repudiandis, & lapidandis maritis. Potuisse etiam Deum invenire medium probandi maritorum violatam fidem. Quia vero neutrum fecit Deus, sequi putat, Deum improbasse polygamiam muliebrem, sed virilem confirmasse.

V. Verumenimvero eadem hic valet responsio, quæ data ad Num. v. *Thesi* II. Privilegium sane erat, quo licebat plus viris, quam mulieribus, neque id tamen diminuebat, aut tollebat æquale jus, quod alter conjugum habebat in alterum, & æqualem utriusque obligationem. Temere asseritur, Deum *debuissè*, si polygamia virilis esset peccatum, leges ferre de accusandis & repudiandis maritis. Quum Deo non defuerint sanctæ rationes, cur id non fecerit. Accedit, quod virginitas olim in magno fuerit æstimo, ut Messias ipse voluerit a virgine nasci, ideoque ejus major habenda ratio erat. Vid. Matth. I. 18. 19.

VI. Huc referenda lex est Deut. XXII. 22. coll. cum Levit. XX 10. *Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata marito, omnino morientur pariter ambo*, &c. quam urget Theoph. Aletheus *Thesi* LXXII. ex qua clarissime videri dicit, adulterium non consistere in polygamia virili, sed in muliebri, seu quando quis accedit ad alterius uxorem, ita ut illa tum cognoscat duos viros. Sed vero contrarium probatum dedimus Sect. II. Cap. II. §. III. IV. V. Præceptum VII. de adulterio utrumque sexum spectat. Et quamvis peccatum viri majus sit, quam foeminae, quia plus rationis habere præsumitur, in foemina tamen impudicitia foedior, & detestabilior censetur; propter incertitudinem prolis. Ast inde neutiquam inferendum, licitam esse polygamiam virilem.

VII. Denique huc facit lex Deut. XXIV. I. & seq. a Theophilo citata *Thesi* VIII. de libello repudii, quem dicit, lege Mosaica mulieri non licuisse dare viro suo, *Thesi* LXXIII. Verum quidem est, non licuisse mulieri ob leves causas discedere a marito, eique dare libellum repudii; quod tamen a Salome sorore Herodis occupatum fuisse, Josephus scribit *lib. xv. Antiquit. Cap. XI.* quæ annis aliquot ante Christi natales, Costabaro marito libellum di-

vortii misit. Et ex Marci x. 12. videntur mulieres tunc temporis viris quoque libellum repudii misisse. Licuit tamen uxori secessionem petere, & liberationem a vinculo conjugali, sicut hanc historiam recenset Josephus Hebraicus *Hist. Judaic. lib. v. Cap. xxii.* Et Buxtorfius *lib. de Sponsalibus & divort. §. 86.* docet, posse mulierem in certis causis & casibus a viro libellum divortii petere, imo quandoque ad eum sibi dandum, judicis auctoritate cogere.

VIII. Sed iterum ex hac prærogativa, viris concessa, perperam inferitur, polygamiam virilem esse licitam, cum uxor a viro quoque libellum repudii petere potuerit. Et si enim in lege dandi libelli divortii maritus duntaxat nominetur, quod & in Israële observatum legitur Mal. 11. 15. quia exstimavit legislator, maritum tardio rem hac in re & circumspectiorem futurum; licet etiam maritus sit caput, cujus auctoritas in mutuo conjugii consortio eminent; æquali tamen obligatione, idem jus alteri in alterum conceditur 1 Cor. vii. 4. Urget quidem Grotius *lib. 11. de Jure B. & P. Cap. v. §. 9.* quod etiam dimittere uxorem volenti modus præscribatur, ne dimissam ducere quisquam impediatur, præter eum, qui dimisit, & sacerdotem Deut. xxiv. 4. Sed unde probabit Grotius, licitum fuisse conjugato superinducere uxori suæ dimissam? quod refragatur legi Lev. xviii. 18. Rationem repudii & divortii hic examinare, hujus instituti non est.

CAPUT VI.

Utrum leges Deut. xvii. 17. Cap. xxi. 10. & seq. Polygamiam probent?

INter ea, quæ regio officio adversantur, interdictum expressum polygamiae occurrit Deut. xvii. 17. Rex לא יבנה לו נשים *non multiplicabit sibi mulieres.* Theophilus Alethæus tamen Thesi LXXI. hic, Deum polygamiam, non omnem, sed tantum excessivam Regi interdixisse, clare perspici, putat, mediocrem vero permisisse. Si enim *non multiplicare* omnem multitudinem excludat, sequi, dicit, hoc absurdum, unicum duntaxat equum regi esse alendum. D. Arcuarius hanc legem exponens p. 116-120. pariter urget, non simpliciter multitudinem uxorum prohibitam, sed tantum excessivam, & quidem peregrinarum uxorum,

uxorum, a quibus periculum seductionis metuendum. Hoc fundamentum legis considerandum esse, inculcat.

II. Respondeo 1. Si lex Levit. xviii. 18. eo, quo par est, modo, expendatur, quæ digamiam prohibet, & reges æque ac subditos obligat, quemadmodum Rex totum Pentateuchum, interprete Grotio, describere, legere & observare tenebatur Deut. xvii. 18. 19. 20. inania & futilia sunt, quæ ad hanc legem comminiscuntur polygamix fautores. 2. Consequentia nulla est ab uxore ad equos, quorum multiplicatio nimia quidem prohibita, sed non omnis, v. g. duorum, trium, decem, viginti, quot quisque privatus possidere potest absque peccato. Alia enim ratio est equorum, cæterorumque animalium, alia hominum, quos Deus conjunxit, ut duo essent in carnem unam, ut supra satis superque demonstratum. Quam divites fuere pecoribus Patriarchæ, qui tamen unam ducebant uxorem, pauci præter intentionem plures. Quisque igitur videt, inanem hanc esse illationem, & a mente legislatoris longe recedere, qui hæc inferunt, & multiplicationem equorum comparant cum uxorum multiplicatione. Sæpe junguntur in Scriptura sacra, quæ non sunt ejusdem generis, ut in x. Decalogi præcepto, Act. xv. 20. 29. & passim videre est.

III. 3. Non nimia duntaxat multitudo, sed in genere multitudo, vel auctio atque incrementum prohibetur, cum præter uxorem legitimam numerus crescit. Ita recte verba vertere licet, *non faciat augeri vel crescere mulieres*, quia vox multiplicationis adeo urgetur, & vexatur, quod multitudo incipiat a ternario. Atqui auctio vel incrementum incipit a binario. Accedit, quod apud Hebræos Grammaticos לשון יחיד *locutio de unico*, vel *numerus singularis*, & לשון רבים *locutio plurium & multorum* opponantur. Quemadmodum etiam opponunt רשות הרבים *potestatem, sive licentiam multorum*, i. e. locum publicum & communem, plurium potestati expositum, & רשות היחיד *potestatem unius*, i. e. locum privatum, in quo unus tantum jus & potestatem habet, ut est cujusque domus. Adeoque *multi sunt & plures*, ubi unus non est. Atque ita cessat argutatio Arcuarii, ex interpretatione Cl. Feltmanni concludentis, duas uxores non esse multiplicandas.

IV. 4. Non incommoda est eorum explicatio, qui נשים *mulieres* de gynæceo intelligunt, ut Num. xxxi. 9. 1 Reg. xi. Est. ii. 3. seq. Quemadmodum etiam Grotius adnotat, non esse multiplicandas

mulieres, ut multi in Oriente Reges multa millia fœminarum ipsis inutilia, aliorum honestis usibus subtraherent, fastus causa. Sed quod addit: Sapientum auctoritatem permisisse Regi habere ad octodecim, ei commento Judæorum e lege divina, aut antiquitate meliore fidem nullam faciet. Davidis exemplum non ponit regulam. Fuit vir secundum cor Dei, quoad religionis exercitium 1 Sam. xiiii. 14. 2 Reg. xxii. 2. suis interim non caruit nœvis. Reges etiam ab omni voluptate revocantur Prov. ii. 16. ix. 13. xxxi. 3. *Nimia enim conversatio cum mulieribus avocat hominem ab assiduo sapientia studio, dum cor ejus perpetuo circa illas oberrat, ut ad istum locum commentatur R. Levi ben Gersom. f. 802. 1.*

V. Et fundamentum, quo hæc sententia Sapientum, Regi octodecim uxores concedentium, nititur, inane plane est. Hæc est ipsorum traditio in *Gemara Babyl. Sanhedrin f. 21. 1. Quod dicitur, ne sibi multiplicet uxores, (Deut. xvii. 17.) id intelligendum, non esse multiplicandas ultra octodecim. Unde hoc? quod dicitur (2 Sam. iii. 2. seq.) natos Davidi filios Hebroni; primum Amnonem &c. secundum Chileabum &c. tertium Absalomum &c. quartum Adoniam &c. quintum Schephatjah &c. sextum Jithreham ex Egla uxore Davidis. Alibi autem scriptum est (2 Sam. xii. 8.) Si parum id est, addam tibi כהנה וכהנה totidem & totidem. Bis totidem sunt duodecim, quæ summam faciunt octodecim. Atqui dicas, Michalem quoque duxerat. Resp. Hegla eadem est, quæ Michal &c. Paulo post: Atqui in Scriptura dicitur (2 Sam. v. 13.) Davidem insuper duxisse uxores & concubinas Hierosolymis? Resp. Hoc ipsum fecit ad explendum numerum octodenarium.*

VI. Hanc traditionem posteriores Rabbini sequuntur, quos citat Cl. Schickardus in tractatu suo de *Jure regio Cap. 111. THEOR. ix.* Ex gemina objectione & instantia liquet, diversas hic Doctorum fuisse opiniones. Sibi ipsis enim contradicunt, animadvertente R. Abraham ben David in *Hassagoth ad H. Melach. Maim. 3. §. 4. f. 289. 2. Ego dico, id quod de numero octodenario hic dicitur impossibile esse, quia David jam tunc uxores & concubinas (illas, quæ 2 Sam. v. 13. memorantur) habuit cum Nathan Propheta ei diceret Dei nomine, addam tibi כהנה וכהנה sicut has & sicut illas; adeoque numerus octodenarius reperitur exceptis etiam concubinis illis. Commodius igitur per כהנה וכהנה illa & illa, seu talia, alia beneficia & alia promissiones intelliguntur.*

VII. De-

VII. Denique 5. negari nequit, Legislatorem etiam respexisse uxores peregrinas, atque seductionem corruptionemque ab illis metuendam, nulla tamen specie inde inferre licet, multiplicari posse uxores pias & fideles, quia admonitio generalis est Prov. xxxi. 3. quam Rabbiorum aliorumque commentatio, *ne frequenti mulierum abusu Rex vires corporis & animi perdat*, confirmat.

VIII. Sequitur lex de captiva ducenda Deut. xxi. 10. seqq. *Quum egressus fueris in praelium contra hostes tuos: si dante eos Domino Deo tuo in manum tuam captivam feceris ex eis captivorum multitudinem: & videns in ea captivorum multitudine mulierem pulchram forma; amore propenderit in eam, ita ut accipias tibi in uxorem, postea congregiens cum ea maritus eris ejus, eritque illa tibi in uxorem.* Quam Theophilus Aleth. Thesi LXXII. refert ad polygamiam. Quia *Si tu* in genere dicitur, sine determinatione, an uxoratus sit vel non. Spiritum S. jus illud non restringere ad solos cœlibes, sed omnibus militibus in genere attribuere, contendit. Uxoratos igitur in bello potuisse aliam pulchram superinducere, volente Deo; exemplum ejus R. Davidem Kimchium ad 2 Sam. 11. 3. Maymonidem, aliosque Hebræos observasse. Eadem urget Ath. Vincentius in Notis, & Daph. Arcuarius p. 127-131. qui hæc leges Deut. xxi. 10, f. & 15. considerat ut *arma defensiva* monogamorum.

IX. Resp. 1. Supponi non probari, legem de uxorato sive conjugato intelligendam. Nec male regeffit Auctor *πολυγυνείαις* ab Athanasio Vinc. citatus, si τὸ *Tu* indeterminate sumendum de cœlibe & uxorato, etiam *fœminam* indeterminate sumendam de soluta & ligata, seu maritata. Gratis ei reponit Ath. Vincentius, virum potuisse plures habere uxores simul, sed mulierem non potuisse nubere pluribus, vi Decalogi. Vidimus enim supra, in Decalogo non magis id vetitum mulieri, quam viro. *Instat* Arcuarius l. c. captivam solutam fuisse a priori matrimonio, & Seldenum testari lib. v. c. xlii. *de Jur. Nat. & Gent. juxta disc. Heb. Gentium matrimonia, pro alterutrius conjugum libitu, solvi, velle Hebræos.* Et, si maritata intelligeretur, etiam commemorari debuisse maritum, cum tamen patris & matris tantum mentio facta. Resp. Cur non eodem modo de viris id intelligi posset, in bellum profecturis, libello uxores dimittentibus, qui post mortem non erat necessarius, quæ omnia solvit. Ita de cœlibe, vel eo, qui dimittit uxorem, explicari saltem potest, contrario ex verbis Moïsi non necessario sequente.

X. 2. Re-

X. 2. Recte etiam responsum ab anti-polygamis, si illud, quod licitum, seu potius permissum, militibus, non sit peccatum, sequi, etiam homicidium non esse peccatum. Ad quam objectionem nihil solidi reposuit Ath. Vincentius. Arcuarius regerit, non magis militibus cædem hostium Reipublicæ licitam esse, quam civibus & rusticis. Sed hanc oportet observari consequentiam, quod militibus, qui non privatam, sed publicam vindictam exercent, nomine Magistratus, in militia contra hostes, licitum & permissum est, id tempore pacis, unicuique civi in ejusdem Reipubl. socios, & amicos non item permissum est. *Stupra in fœminas in bellis passim legas & permissa & impermissa*, inquit Grotius III. de Jure B. & P. c. IV. §. 19. *Sed Hebræa lege (Deut. XXI. 10.) impune neminem id tulisse intelligi posse, docet, ex ea parte, qua de captiva ducenda, neque vendenda postea, constituit. Deum enim voluisse, teste Bechai, ut castra Israelitarum sint sancta, non projecta in scortationes, & abominations ceteras, ut castra gentium.* Erat ergo hæc potius pœna, quam Deus inflixit captivam stupranti, cœlibi, vel ei, qui uxorem dimiserat, sicut notavimus ad Exod. XXI. 16. 17. Deut. XXI. 28. 29.

XI. 3. Posito, ad uxoratos hæc etiam extendenda, an propositio hypothetica docet, Deum probare factum? quot similes extant propositiones in lege? Si quis occiderit hominem casu, confugiat ad urbem refugii Num. xxx. 25. Exod. XXI. 13. Si altercanti- bus hominibus percusserit unus alterum lapide aut pugno &c. com. 18. Si quis percusserit servum suum, aut ancillam suam &c. com. 20. Si seduxerit quis virginem &c. Exod. XXI. 16. Si peccaverit sacerdos, si omnis turba, si princeps, si peccaverit anima &c. Lev. IV. 3. 13. 22. v. 1. Si quis deprehendatur cubans cum muliere maritata marito, si cum desponsata, si cum non desponsata &c. Deut. XXI. 22. 23. 28. Ista omnia Deus non probabat, sed tolerabat tantum.

XII. 4. Fuisse facti permissionem ob duritiem Judæorum, cœlebs fuerit, vel conjugatus, & rem Deo ingratham, sicut divor- tium Matth. XIX. 8. duo evincunt; nempe cæremoniæ ante nuptias imperatæ, ut mulier deformetur. 2. dimissio facilis. Ne igitur sæpius id temere fieret, lex multas adhibuit cautiones, omnelque fœminæ Veneres aufert & delitias, per quas vir allici possit. An hæc cæremoniæ observatæ sint propter polygamiam, pro certo sta- tuere

tuere & asseverare nolo. Fr. Junius ad hunc locum ira eleganter & docte pro more commentatur: *Quæritur, fueritne justum, ut homo ex amore captivam duceret alienigenam, aut duas simul uxores haberet? Resp. neutrum simpliciter licuisse aut probari lege, Exod. XXIII. 32. 33. Gen. II. 24. Levit. XVIII. 18. sed si quando factum est, toleratum fuit, ac non rescissum lege Mosis, ad graviolem confusionem publicam evitandam. Neque vero propterea quisquam injustitiam in lege esse potest arguere; quia nec probat lex, nec permittit simpliciter factum; sed tantum supponit, si ita fiat, quod in ista confusione & astra^gia juris fieri oporteat. . . . Quum autem lex permittit, quod malum est, non probat fieri; sed tolerat.*

XIII. 5. Ipsi Hebræorum Magistri, qui polygamiam licitam esse volunt, hoc factum improbatum eunt. R. Salomo hoc annotat: *Lex concupiscentia hic aliquo modo velificatur. Nam nisi id permisum esset, tamen homo militaris insuper habito præcepto captivam violasset. Interim si quis hic sibi non temperet, eventurum tandem est, ut odio illa ipsa sit, sicut com. 15. innuitur atque ut filios degeneres, contumaces & refractarios progignat. quod ut indigitetur, huic textui caput de filio immorigero subnectitur com. 18. R. Levi ben Gerson: Indulset lex aliquid concupiscentia, si sc. nimio amore contra talem exarserit, non quod res licita fuerit. Ita & ipsi cum Salvatore nostro hoc eis annumerant, quæ ob cordis duritiem, vel ut ipsi loquuntur, *וְהָאָדָם הַזֶּה לְחֹקֵי יִצְרָאֵל לְבַב הָאָדָם הַזֶּה* propter duritiem concupiscentia mala cordis humani, Iudæis sunt permissa.*

XIV. Atque ita R. D. Kimchi scribit ad 2. Sam. III. 3. *Super ista verba, Absalom filius Maacha, hunc in modum commentantur, quod, quia fuerit Absalom filius pulchrae (de qua Dent. XXI. 10.) ducta a Davide in bello, ideo fuerit contumax & rebellis patri suo: Hac de causa volunt continuo subjungi legem de filio contumaci & rebelli, legi de formosa muliere in bello capta, ad docendum, quod si quis talem vel uxorem alias illegitimam, duxerit, habiturus sit ex ea filium contumacem & rebellem. Et recta est hæc expositio. Parum sane juvat hoc Theophilum allegantem. Ath. Vincentius hæc verba Kimchii ex Buxtorfio referens nihil reponit, nisi quod verba, in textu aliter multo posita, non inferant permissionem illiciti, sed liciti, *duces in domum tuam* &c. Quæ satis confutata sunt. Quibus accedit, quod David, si vera est historia, bello eam captivam duxisset 1 Sam. XXVI. 8. quod adhuc controversum est, non*

fit nobis norma vivendi, ubi ipse normam verbi Dei non observavit.

CAPUT VII.

Neque leges Deut. XXI. 15. & XXV. 1. polygamiam probant.

Addunt Theophilus Aleth. cum Ath. Vincentio Thesi LXXIII. & Arcuarius pag. 132. 133. 134. famosam objectionem, ex Deut. XXI. 15. כי תהיה לאיש שתי נשים האחת אהובה והשנואה והיה הכן הכנר לשנייה *Si fuerint alicui dua uxores, una dilecta & altera exosa, pepererintque ei filios dilecta & exosa: fuerit autem filius primogenitus ejus, qua exosa est &c. Ubi Moses (verba sunt Theophili) expressissime loquitur de polygamia simultanea, & rixis ex polygamia oris, & modum rixas finiendi proponit, quo omnino supersedere potuisset, si polygamiam ipsam ceu antecedentem causam prohibuisset. Quod cum intermiserit, polygamiam approbasse, volunt. Grotius etiam hanc legem satis claram esse putat, plures uxores permittentem.*

II. Respondeo I. cum Clariss. Spanhemio Par. III. Dub. Evang. CXXII. supponi, non probari, uxores illas eodem tempore convixisse marito; nihil obstare, unam ex uxoribus illis vel mortuam intelligi, vel repudiatam, & illi superinductam aliam; ideoque polygamiam successivam æque ibi designari posse, ac simultaneam. Ath. Vincentius scribit, antipolygamum quidem explicare de successivis uxoribus, se autem nescire, an ullus veterum vel recentiorum ipsi hac in parte præiverit. Hic vides, Athanasi, præivisse celeberrimum Theologum F. Spanhemium, cui calculum suum addit, quem alias citare soles, Calovius. Frustra excipitur ab Arcuario, ordinem verborum inferre polygamiam, quod primogenitus sit ex exosa, & secundo matrimonio, dilectæ assignato loco priore, non posteriore, ut hæc dici nequeat post exosam ducta. Non enim necessario exosa posterior ducta est, etsi hoc in loco posteriori loco collocetur, cum potius propter exosam alia olim duceretur magis dilecta, uti in Jacobo videre est, etsi ille Leam & Rachelem simul habuerit. Quidni ergo primogenitus ex exosa mortua vel repudiata, adeoque e secundo matrimonio dicatur ortus?

III. *Inst.* odium & amorem duas viventes uxores innuere, quod

quod isti adfectus certum objectum respiciant, quo sublato, tolli odium ejusque effecta? Resp. Non negari, odium & amorem supponere subjectum, quod odio vel amore dignum judicatum, cum existeret, cujus tamen effecta post mortem manent. Exemplum habemus in Jacobo & Esau, eorumque posteritate Mal. 1. 2. 3. Si vero exosa sit repudiata, cessat hæc objectio. *Inst.* 3. De una dici, quod vir eam diligat, de altera, quod vir eam odio habeat. Si igitur amor probet, dilectam adhuc vivere, odium etiam probabit, exosam vivere. Resp. Non dici, quod unam diligat, alteram odio habeat activa forma, sed com. 15. 16. 17. semper אהבה & שנאה forma passiva *dilecta* & *exosa*, qualis vocari potest post mortem, sicut Abraham amicus Dei Ies. xli. 8. Lazarus amicus Christi Joh. xi. 11. *Inst.* 4. Æque verba שתי נשים *duas uxores* significare hoc loco, ac Gen. iv. 19. apud Lamechum. Resp. Alia illic sunt, quæ docent, duas illas simul habuisse Lamechum com. 23. *Dixit Lamech suis uxoris, O Ada & Zilla, audite vocem meam.* &c.

IV. Resp. 2. Defacto humano, contra regulam divinam, interprete Christo Matth. xix. 4. seq. commissio, etiam hic agi, non autem de jure divino. Illud factum Deus recenset, כי חתן *Si fuerint duæ uxores, non jus.* Ex facto casum format. Adeoque regula illa, *Qui disponit de consequente, vult etiam antecedens*, qua utuntur, limitanda est, *vult*, i. e. permittit, sive tolerat, concedo, approbat, nego. Exempla sunt obvia, quorum nonnulla ad legem præcedentem citavi. De percussore viri, ut innocens sit Exod. xxi. 19. Deus disposuit; de viris rixantibus, lædentibusque gravidas, disposuit com. 22. de stupro, ut stuprata dotetur & ducatur, disposuit Exod. xxi. 16. de homicida, Num. xxxv. 25. de capta in bello Deut. xxi. 10. seq. de filio contumace com. 18. de quæstu meretricio non inferendo ærario Deut. xxi. 18. de dimissa & dimissuro cap. xxiv. 1. seqq. de scorto Rahab Ios. vi. 25. de quæstu fornicationis spiritualis Tyrionum, Deus, summus legislator, disposuit Ies. xxi. 18. Ideone percussorem, rixas, læsiones gravidarum, stupra, homicidia, indomitam libidinem, contumaciam, quæstum meretricium, divortia, scortationem, & fornicationem spirituales approbavit? Christus aperte negat, mandatum repudium Matth. xix. 8. Deus tamen lege consultum ivit mulieri innocenti.

V. Non enim insolitum est Mofi referre, quæ perperam agebant,

bant, & acturi erant Israëlitæ, quibus salutares leges opponit, ut injuriæ cursum sistat. Deut. xvi. 1. 14. de Rege quod narratur, non est mandatum, sed peccatum 1 Sam. xii. 17. & modus petendi & ipsa petitio vitio non caruit. Non enim dicit, *Quando veneris in terram &c. statues super te Regem*, sed, *si dixeris, statuam super me Regem*. Deut. xv. 1. 14. Ita & hic casus formatur, polygamia posita. Decidi autem casus potest, etsi factum, quod supponitur, non approbetur.

VI. Frustra iterum excipit Arcuarius p. 133. magnum esse discrimen inter legem hanc & illam Deut. xxiii. 18. eo quod *quæstus meretricius reprobetur, filii autem ex polygamia nati in suo jure defendantur*. Nam stuprata & dimissa etiam defenduntur, neque tamen licitum est stuprum aut divortium. Tolerante Deo polygamiam, in parentum successione merito habiti fuere legitimi, etiam qui ex secundis, aut tertiis, aut aliis deinceps uxoribus nati. Itaque nullius momenti est, quod adfert ex Diecmano, *non esse attendenda verba conditionata, sed expressum Dei mandatum, primogenito jus primogenitura adscribens. Si polygamia esset peccatum, & adulterium, liberos ex ea natos fore illegitimos*. Supra enim responsum est, aliud esse, matrimonium illud legitimum fuisse in foro civili, aliud in foro conscientiæ. Prius hic damus, non posterius. Cavit Deus saltem, si de polygamia simultanea intelligatur, ne peccatum peccato cumulet polygamus, exhæredando filium exosæ. Quod Lutheri auctoritas obtrudatur, futile est & ineptum, ac desperatæ causæ indicium, cum non sit verbum divinum, quicquid ille dixit. Omnis homo mendax est & errori obnoxius Psal. cxvi. 11. Rom. iiii. 4.

VII. Denique ad Theophili ratiocinium, Mosem modo rixas finiendi superfedere potuisse, si polygamiam ipsam ceu antecedentem causam prohibuisset, cum Fr. Junio respondemus: *Deus quidem hæc mala curare lege potuisset, ut Deus: sed hic legem politicam tulit, eamque ut legislator, rationibus politiæ accommodat: proinde etsi qua Deus, potuit momento emendare mala ista divina potentia sua, tamen legislatoris humani partes quodammodo suscepit in his & consimilibus argumentis; ut prudentiam hanc politicam de rebus permittendis, ferendis, tolerandisque doceret exemplo suo*.

VIII. Restat Lex de Leviratu, seu fratris uxore, ducenda Deut. xxv. 5. seqq. כִּי יָשָׁבוּ אָחִים יַחְדָּו וּבֵת אֶחָד כֹּהֵם וּבֶן אֵין לוֹ לֹא תִהְיֶה אֵשֶׁת

אֵשֶׁת

אשת המת הרוצה לאיש זר יבמה זר יבמה לו לאשה ויבמה :
Si habitaverint fratres simul, & mortuus fuerit unus eorum absque filio, ne nubito uxor mortui foris viro extraneo: sed levir ejus congregator cum ea, & ducens eam sibi in uxorem, leviri officium prestatum ei. De qua Theoph. Aletheus, prolixè citans Fran. Junii *Commentarium in Genes. xxxviii. Thesi LXVII. & Arcuarius pag. 182-187.* Uterque polygamix defensor urget, in genere iterum Deum loqui de fratre, sine determinatione, an sit uxoratus, vel non. Subjungit Ath. Vincencius Lutheri *Tr. de Digamia Episcoporum*, dicentis, *hoc jus Mosarum cogere plurium uxorum esse virum.*

IX. Respond. 1. Unde probatur, Legem Leviratus incubuisse fratribus conjugatis? Lex saltem id non affirmat, sed contrarium potius innuit, *si simul habitaverint fratres*, qui scilicet nondum distinctas habent familias. Ridiculum est, quod hic excipit Daph. Arcuarius, si cohabitatio inferat, unum fratrem cœlibem esse, alterum etiam talem esse oportere. Cum de uno expresse dicatur, quod fuerit uxoratus, nemoque ignoret, usitatum esse, ut frater sive soror cœlebs, habitet cum fratre uxorato. Nam, teste Fr. Junio, *de fratribus agitur in communi familia commorantibus, quorum primogenitus ex jure & ordine natura censetur primus uxorem duxisse, & familia communi præsuisse.* Quapropter etiam inter alias causas hac civilis fuit, cur primogenitus duplam hereditatem obtineret, quod onera familia ferre teneretur.

X. Nec commoda est Arcuarii explicatio de cohabitatione in una regione & provincia, uti Gen. XIII. 6. (quomodo Grotius exponit de fratribus in una terra habitantibus,) sive uno tempore. Quamvis enim phrasis illa non ubique notet necessario, eodem domicilio uti, innuit tamen, nondum duas habere familias, adeo ut opus habeant separari. Et rogo Arcuarium, utrum, si non habitent in eadem regione, eo casu liber fuerit frater a ducenda fratria? si non, certum potius vitæ statum supponit, si nempe unus cœlebs sit, ut alteri commode cohabitare queat. Quam expositionem etiam juvat phrasis sequens, *accipiat eam sibi in uxorem*, ex qua præsumitur, quod non habeat uxorem. Saltem agitur de fratribus cohabitantibus, sive in ædibus fratris conjugati, sive in paternis, sicut Doctissimo Ainswortho videtur ex Gen. xxxvi. 7. seq. quod etiam innuit Deodatus.

odio habuit, & singulari iudicio punivit, teste Abarbenele de Lamecho *Comment. in Genes. iv.* Nec probabile est, obligatos fuisse fratres conjugatos, quia id locum dedisset variis molestiis & rixis domesticis, nec tam commode per conjugatos tribus conservari potuissent, quam per cœlibes.

XIV. Resp. 3. Ex Matth. *xxi. 24.* haud obscure liquet, juxta Sadducæorum mentem, fratres, quibus ex lege Mosaica, successive nupsisse dicitur mulier, fuisse cœlibes, non conjugatos. Quia una hæc mulier uni tributa, ex ipsorum sententia, si alterum esset sæculum, perpetua foret diffidiorum occasio; si vero jungenda esset septem maritis, ingens nasceretur confusio. Major autem orta fuisset difficultas, si lex leviratus etiam conjugatos obligasset. Siquidem quæri ab ipsis potuisset, quid juris ille habiturus esset, cui jam propria erat uxor, an illi in sæculo futuro duæ attribuendæ uxores, quas in hoc sæculo habuerit. Quam tamen circumstantiam Sadducæi sicco transeunt pede.

XV. 4. Adde, quod pluribus fratribus demortuis sine prole, relictis uxoribus singulis, frater superstes non jubeatur omnes capere, quia dicitur (*com. 9.*) *qui non ædificat domum fratris sui.* Ut unica domus ædificetur, non plures, jussit lex. Et viduarum plurium unam tantum tenebatur accipere frater superstes. De quo Seldenus *Uxor. Hebr. lib. 1. Cap. xii.* Wagenfeil *ad Sora pag. 1130.* Si vero Deus conjugatos etiam voluisset obligatos, & polygamia delectatus fuisset, quidni cœlebs plures viduas unius fratris, aut plurium fratrum uxores accipere debuisset?

XVI. Resp. 5. Si ejusdem Fran. Junii, Celeberrimi S. literarum interpretis commentarium æque in Deuteronomion inspexisset Theophilus, ac in Genes. *xxxviii.* ubi antiquitatem & causam legis ostendit, aliter forte sensisset, cujus verba hic apponere placet, ad Deut. *xxv. 5.* *In casu a Mose proposito duæ singulares circumstantiæ sunt observandæ, quarum a plerisque interpretibus non satis fuit habitatio; una, quod agitur de fratribus simul habitantibus, id est, filiis familias, aut certe, qui in aliam familiam nondum transiverint, sed communi familia utantur, cujusmodi sunt fratres COELIBES apud patrem, aut fratrem maximum natu in paterna domo. Alterum est, quod non agitur de morte fratris cujuslibet, sed de morte primogeniti, qui unus ex illis, i. e. primus appellatur &c.* Deinde, multis interpositis, dicit: *Alia questio est, utrum hæc lex igitur ad propinquum conjugatum pertineret.*

Respon-

Responsio est, minime pertinere. Nam ut illud mittamus, quod hic agitur de fratribus, una habitantibus; non solent autem conjugati fratres, multis gravibusque de causis una habitare; profecto & ratione & auctoritate sententia illa evertitur. Ratione, quia contra jus naturale est, ut idem vir duas simul uxores habeat, quod scelus primus Lemec impius perpetravisse legitur Gen. IV. Auctoritate vero, tum quia interdicat Deus Lev. 18. & sermo Scriptura improbat I Sam. I. & alibi, tum quia Chaldæus ipse Paraphrastes historiam illam in libro Ruth explicans diserte hanc rationem adfert, quod ille, qui Rutham renuit ducere, excusaret sibi domi uxorem esse, non licere autem alteram superducere. Hæc silentio preffit noster Aletheus, Junii commentarium commendans in Genes. xxxviii. quia, si legerit, suæ hypothefi neutiquam infervere, animadvertit.

XVI. Historia Ruthæ, quam prolixè refert Arcuarius p. 184. 185. 186. huc non pertinet, cum non agat de fratre, qui fratrem duceret, sed de propinquo, cui jus erat redimendi patrimonium venditum ex lege Levit. xxv. 25. nec hæc traditio calcei signum erat renunciationis fratriæ, sed solennis acquirendi domini formula, & contractuum confirmatio. Ita sentiunt Auctores *Medrasch Ruth* f. 42. col. 2. R. Sal. Jarchi, Elias in *Thisbi*, Abarbenel *Comment. in legem Deut. xxv.* Seldenus *de successionibus ad bona defunct.* cap. xv. atque *de Jure Nat. & Gent. lib. vi. c. v.* Drusius, Buxtorfius, Piscator, aliique viri docti quamplurimi. Objicit tamen Arcuarius pag. 186. Boazum proximo hæredi conjugato agrum offerre, secundum legem? Respond. Grotium arbitrari, Ruth. iv. 6. *vindicem quasi dixisse, malo aliam uxorem ducere, ut mihi, non mortuo, hæredes sint.* Iosephus autem *Antiquit. lib. v. cap. xi.* eum uxorem & liberos jam habuisse, scribit. Res illa obscura est. Perperam tamen Arcuarius ex Boazi oblatione, a Rutha Moabitiide uxore demortui comparabis partem agri, ut excites nomen demortui in possessionem ejus, colligit, polygamiam esse licitam; & perperam ad id probandum, excalceationem refert ad pœnam Deut. xxv. 9. cum fuerit tantum contractus firmamentum, ut apud nos clavium traditio, qua alteri dominium datur.

CAPUT VIII.

An exempla Hezron, Caleb, Jerahmeel, Assur, Jeshiel, (seu potius Manasse) Jeharim, posterorum Israelis, de quibus in 1. libro Paralipom. ac Mosi, Gideonis, Jairi, Ebzanis, Ebdonis, gubernatorum & judicum, nec non Elkana, polygamiam probent.

TAndem Theophilus Alehteus Thesi LXXIV. hæc esse dicta & exempla polygamica, dicit, quæ in Mose reperiuntur, se autem non dubitare, quin plura fuerint exempla a Mose brevitatis studio omissa, sicut ex primis capitibus Chronicorum etiam appareat, plures, uti Hezron 1 Chron. 11. 9. 21. 24. Caleb cap. 11. 46. seqq. Jerahmeel cap. 11. 26. Assur cap. 17. 5. Jeshiel (vel Menasse) cap. 71. 14. Jeharim (vel Scharajim) VII. 8. fuisse πολυγάμους, quorum nulla in antecedentibus libris mentio. Quin imo ipsi Mosi Iosephum binas uxores, Tharbin Æthiopiæ Regis filiam, & Zipporam Iethronis seu Raguelis tribuere.

II. Respond. post ea, quæ supra in genere omnibus opposita sunt, nos minime negare, quin præter recensitos in S. literis, plures in populo Dei fuerint polygami, *multas enim habuerunt uxores*, legimus 1 Chron. VII. 4. ubi adnotat Grotius, *causam polygamias illo tempore, spem multa sanctaque sobolis fuisse, corruptis gentibus aliis*. Ideoque omnes illos, quorum mentio non in Genesi, sed Paralipomenis, supra Cap. 1. Thes. VI. hujus Sectionis IV. adduximus. Qua occasione & intentione illi plures sibi junxerint, in Catalogo non additur, in quo nonnulla obscura sunt & intricata. Sub lege tamen, præter gubernatorum & Regum polygamiam, vix quidquam legimus. De Hezron non adeo constat, utrum simul plures habuerit, an successive. Hodsam & Baaram 1 Chron. VIII. 8. 9. Tremellius & Iunius eandem esse volunt, atque Paraphasis Chaldæa אשה היא בערה ית ואליר in margine Codicis M S. *illa est Hodsa*.

III. De Mose quod ex aliis narrat Iosephus *Archæol.* l. II. c. v. fabula esse videtur. Quamvis ei magna fides historica habenda, non tamen tanta, quanta scriptori Hagiographo. Erravit enim in multis. Credendum ei cum primis in us, quorum ipse fuit *αὐτόπτης*, v. gr. quæ vidit in templo, & quæ contigerunt

H IV

G g

ipsum

ipfius tempore. Philo Iudæus *S. Legis allegoriarum lib. III.* teftatur, quod τὴν Ἀιθιοπίαν αὐτὸς ὁ θεὸς ἠρμόσατο Mofi *Æthiopiffam Deus ipfe conjunxerit.* Non meminit alterius. Ipfeque Athanaſius fatetur, in Scriptura ſacra, & in vita Moſis a Philone conſcripta, & in Eutychie annalibus, & in Artapano apud Euſeb. de præparatione Evangel. talis matrimonii nullum extare veſtigium. Seldenus *de Jure Nat. & G. l. v. c. VI.* *Quin & Iosephus,* inquit, *neſcio unde edoctus, binas uxores, Tharbin, Æthiopia regis filiam & Sephoram Raguelis ſeu Iethronis (qua in S. literis unica eſt) Moſi ipſi tribuit, lib. 2. Archæol. cap. v.* Sed addit: *Id quod velut fabuloſum rejiciunt viri docti.* Abulentiſ, ne Iosepho fidem abroget, utramque ſucceſſive habuiſſe, putat, repudiata priore, quæ Moſem redeuntem in Ægyptum ſequi noluiſſet. Aſt unde id conſtat? dicitur, non probatur.

IV. Accedit, quod I. Paralip. xxii. 14. ſeq. optima fuiſſet occaſio recensendi ea, quæ omiſit Moſes, ſed nihil ejus rei legimus. Quod autem dicitur Num. xii. 1. de uxore *Æthiopiffa*, ut vulgo a Græcis exponitur, quam quidam reginam Æthiopiæ faciunt, id ex falſa vocis ſignificatione, falſæ hiſtoriæ occaſionem & argumentum dedit. Cum מִצְרַיִם *Cuſchit* uxor Moſis Zippora dicatur, id eſt Midianitiſ, quod Midian Cuſæ pars eſſet, ut conſtat ex Gen. x. 7. & cap. xxv. Hab. iii. 7. & in erudito opere Geographico ſacro. p. 1. f. *Phaleg.* l. iv. c. 2. fuſe demonſtrat Sam. Bochartus, מִצְרַיִם eſſe Arabiam, & Cuſchæos eoſdem eſſe cum Scenitiſ & Sarceniſ. Quod Fr. Junius, Piſcator, Ainſwortus comprobant.

V. Adde, quod Hebræi omnem cauſam murmuris Mirjami Num. xii. 1. ſeqq. faciunt uxoriſ neglectum, & abſtinentiam Moſis ab uſu conjugii, ex metu legalis pollutionis Lev. xv. 16-31. & prohibitione iſta Exod. xix. 15. quia ſemper propinquabat ad Deum. Quod accurate exſecutus eſt Abarbenel *Comment. in legem fol. 290. col. 1. 2.* Querelam hic inſtitutui a Mirjam ſuper ſejunctiōnem uxoriſ Zipporæ, cum tamen eam ductam gentiſ vel formæ vitio ſejungere nequeat, quod conjugium cum prophetia, ac commercio cum Deo, conſiſtere poſſit; item quod nulli injuria faciendā, & lex de propagatione generiſ humani ſit ſervandā. An taliſ diſcuſſus & ſermo interceſſerit inter Mirjam, Aaronem & Moſem, pro certo ſtatui nequit. Ex devotione Moſem uxore abſtinere potuiſſe aliquando, facile concedimus, minime vero ob atrum colorem, quod minus delicata eſſet Zippora, ut fingere ſolent.

VI. His

VI. His propositis exemplis, subjungit Theoph. Aletheus Thefi LXXV. LXXVI. *Utcunque se res habeat, certum esse, veteres maximi fecisse observationem precepti Gen. 1. 28. Crescite & multiplicamini.* Inculcat denuo necessitatem matrimonii, & multas nugæ agit, quæ non sunt dignæ lectione, quibus ipse & Ath. Vincen- tius 19 integra folia implent, *de cælibatu, Castratione & scortatione Clericorum.* Quæ legant illi, quorum id scire refert. Traditio Ge- maræ Babylonicæ & Maymonidis cap. x. & XIV. *De connubiis, fas esse, quotcunque etiam centum uxores, sive simul omnes, sive alteram post alteram ducere, modo illi potestas fuerit alimenta & victum suppe- ditandi,* pugnat cum tota Scriptura. Ne quidem Regi, juxta Hebræorum opinionem, ultra 18 ducere fas erat, ut supra visum.

VII. Subnectunt Thefi LXXVII. Gideonis Iudic VII. 30. 31. Iairi cap. x. 3. 4. Ebzanis cap. XII. 8. 9. Ebdonis cap. XII. 13. 14. *πολυτέκνων* & consequenter *πολυγάμων*, item Elkanæ 1 Sam. 1. patris Samuelis, maximi prophetæ, exempla. Addit Ath. Vin- centius Simsonem ex historia Iudicum XIV. & seqq. De quibus omnibus repeti posse, dicit, argumenta pleraque supra in exem- plis Patriarcharum deducta.

VIII. Respond. 1. in genere, & nos responsa nostra ad illa ar- gumenta commendare Sect. III. cap. III. IV. V. 2. in specie; quamvis Gideon sanctis annumeretur Heb. XI. 32. qui multa bene- ficia præstitit populo Israelitico, vocatus & confirmatus a Deo, ad liberandum populum, fuit tamen non caruit nævis; quia in ido- lolatriam prolapsus Iudic. VII. 27. quod & Salomoni, aliisque accidit. Adeoque mirum non est, si mores & vitam non ubique legi Dei conformem instituerit, & scortationem corpoream cum spiritali sociaverit, consuetudine tunc plurium ducendarum uxo- rum introducta. Sed pœnitentiam procul dubio egit, cum mor- tuus dicatur *in senectute bona* Iud. VII. 32. quæ phrasis alias adhibe- tur de obeuntibus morte beata.

IX. Idem iudicium ferendum de Iairo Iud. x. 3. 4. si fuerit po- lygamus, quod expresse non dicitur. Triginta enim filii ex di- versis uxoribus successive ductis nasci potuerunt. De Ebzane legi- mus, quod filiis suis tantum unam uxorem singulis adduxerit cap. XII. 8. 9. Et licet Ebzan & Abdon ita divites fuerint prole, inter omnia illa matrimonia, tamen ne unicum quidem filium habue- runt successorem, qui Israelem iudicaret. Dum enim adhuc vive-

ret, mortui sunt omnes filii ejus, successitque illi paulo post Simson ex sterilibus natus parentibus.

X. Eum hac refert Ath. Vincentius, quod primum Philistæam, deinde meretricem (illam solenniter, hanc per concubitum) demum aliam Delilam in matrimonium cepit. Resp. 1. primam quod attinet, res erat a Domino Iud. xiv. 4. quod parentes ignorabant; quærebat occasionem, אנה. Id ergo unicuique imitari non licet. 2. nupsit uxor Simsonis socio ejus cap. xv. 20. quod tamen non erat in ejus potestate; rogandus erat Simson, qui ei non remisit nuncium, quia ad ipsam rediit cap. xv. 1. & doluit, alteri matrimonio junctam com. 3. seq. Pater offert sororem com. 2. contra Levit. xviii. 16. quam negligens convertit se Hazzam cap. xvi. 1. ad *meretricem* vel *cauponariam*, ut putat Vatablus, non animo turpi & libidinoso, sed oblata occasione. Dein amat mulierem in valle Soreki, cujus nomen *Delila* comm. 4. seqq. quam veram ejus uxorem fuisse rentur nonnulli, sed non legitur deduxisse in domum suam. Ideoque plerique Interpretes eam meretricem esse volunt, quod Satrapæ Philistinorum cum ea tam fidenter agant oblata pecunia, quod sane meretricium magis, quam uxorium amorem declarat. Ex quibus omnibus liquet, Simsonem graviter peccasse. Nemo enim, credo, existet, qui scortationem & libidinem Simsonis probare queat, contra vii. Decalogi præceptum perpetratam.

XI. Denique præterire non possum ne illi, quibus Hebræum textum inspicere non contingit, seducantur, quod Ath. Vincentius verbis illis Iudic. xiv. 18. *Nisi arassetis vitula mea, non invenissetis anigma meum*, juxta cum Ad. Beverland obscœnum sensum affingat, præeuntibus aliquo modo R. Levi, Græco & Syro interpretibus, *nisi subegissetis*, vel *seduxissetis*, τὴν δάμαλιν *vitulam meam*. Suspiciatum scilicet esse Simsonem, uxorem, seu Delilam suam, scortatam esse cum uno ex illis, sicut actus Venereus *molendi* vocabulo exprimitur Iob. xxxviii. 10. Verum enimvero Hebræa vocabula aliud dicunt *לילא חרשתי בעגלתי nisi arassetis* (non vitulam meam, sed) *in vitula mea*, quæ differunt. Itaque Philistæi Simsonis vitulam non ararunt, sed ea ad arandum usi sunt. Arare metaphorice hic est rimari, investigare, quod aratorum est, qui terram aratro & rastro rimantur. Hinc Targum ita reddit *לילא באתי בדרקתן כדקתן באתתי nisi investigassetis*, rimati, aut perscrutati essetis *per uxorem*

rem meam. Nisi sponsæ meæ opera uli fuissetis, non invenissetis propositum & ænigma meum.

XII. Tandem Elkana dicitur habuisse duas uxores 1 Sam. i. 2. Athan. Vincentius dicit, Hannam, ex qua generavit Samuelem, ultimo loco nominari, & videri secundo loco, post priorem, ductam. Si vero polygamia esset peccatum, nil aliud fuisse, quam scortum, & sic Samuelem ex scortatione natum, adeoque spurium, qui non poterat venire in congregationem Domini Deut. xxiii. 1. Resp. mera hæc sunt cerebri figmenta. De spurii & loco Deuteronomii supra vidimus Sect. 111. cap. iv. Th. xiv. Falsum est, Hannam ultimo loco nominatam & posteriorem ductam, cum ea prior nominetur com. 2. Petrus Martyr, *Hannam*, inquit, *priorem duxerat, eamque habuit sue pubertatis uxorem, sed cum sterilis esset, alteram duxit.* Illa ergo non fuit scortum, sed vera uxor, atque ita cadunt, quæcunque huic figmento superstruxit. Postquam aliquot jam annos in conjugio egisset, neque ullam de Hanna prolem suscepisset, cupidus liberorum, non sine Hannæ consensu, Peninnam duxisse videtur, sicut Abraham Hagarum, pro consuetudine istius temporis.

XIII. Abarbenel notat, quod, si fuerint duæ *Ramoth Zophoth* שהימה חנה מהרמה האחת והיתה פנינה מהרמה השנית ולזה אמר שהיה הוא Hanna fuerit ex una Rama, & Peninnah ex Rama altera, ideoque dictum, quod sit ex Ramathajim. Quicquid hujus sit, in eo minus recte fecit, quod alteram uxorem induxerit, cum fuisset expectanda Dei gratia & benignitas, qua liberi suscipiuntur. Quemadmodum etiam incommoda polygamia sensit, quibus eam Deus, ut sibi ingratam, castigavit. Recte Grotius ad com. 6. *Raro contingit domus tranquilla iis, qui plures uxores habent.*

CAPUT IX.

Famosum & speciosum exemplum Davidis, cui Deus mulieres Saulis in finem dedisse dicitur 2 Sam. xii. 8. non probat, polygamiam esse licitam, Deoque placentem.

PRæcipuum, quod urget post Theophilum Aletheum Arcuarium, exemplum est Davidis, cui mandata videtur polygamia 2 Sam. xii. 8. in qua propterea multus est pag. 136. 137. 138. Variæ fuerunt Regi Davidi uxores, Michal Saulis filia 1 Sam.

xviii. 27. Achionoam 1 Sam. xxv. 43. Abigail com. 42. Qua occasione has sibi junxerit, narratur com. 44. filia scil. Saulis alii data. Maacha 1 Par. iiii. 2. Chaggitha, ibidem. Abitala & Hegla com. 3. Quibus addidit Batsebam uxorem Uriæ 2 Sam. xii. 8. Sex narrantur 2 Sam. iiii. 2. 3. 4. 5. e quibus Hebrone filii ipsi nati, intra 7. annos & 6. menses. Plures deinde accepit cap. v. 13. & decem concubinas 2 Sam. xx. 3. Michal prima fuit uxor David, quam Saul eum persecutus dedit Palti, filio Laï 1 Sam. xxv. c. ult. Kimchius, Davidem Michali libellum repudiï misisse, existimat. Abarbenel Kimchium refutat, quia David eam reduxisse legitur. Vult igitur dedisse Palti seni, uxorem & liberos habenti, ut in domum suam eam reciperet, honoris & custodiæ causa, etsi 2 Sam. iiii. 16. dicatur *vir ipsius*, id est, custos & dominus, non tamen *maritus*, ex distinctione facta Hof. i. 16. Alii Palti adulterium cum ea commisisse, alii eam non attigisse volunt.

II. Tot uxores & concubinas accipiendo procul dubio peccavit David, etsi fuerit vir secundum cor Dei, & in specie non legatur propter hoc & multa alia peccata reprehensus, qui occulta sua agnovit peccata Psal. xix. 13. Non enim unum peccatum, sed multiplex ab eo commissum est, licet memoretur solum scelus contra Uriam, quod suo pondere cætera obscuravit. *Conf. 1. Reg. xviii. 9.* His autem missis, polygamix advocati apud Arcuarium non urgent mera exempla, & meram indulgentiam, sed approbationem divinam, quod Deus dicat 2 Sam. xii. 8. ונתנה לך את נשי & *DEDI tibi UXORES Domini tui IN SINUM TUUM.* id est, vel in matrimonium, vel ita, ut legitimo modo in matrimonium accipere possis. Unde ita argumentatur Theoph. Aletheus: *Quodcumque Deus ceu munus, & beneficium ab ipsius benedictione proveniens, allegat, illud non est peccatum.* Atqui polygamiam Davidicam &c. Grotius de *Jure B. & P.* lib. ii. c. v. §. 9. ante Evangelium plures uxores non vetitas fuisse probans, Davidi etiam Deum imputare, dicit, quod uxores ei complures & quidem illustres dedisset. Hinc etiam Bellarminus, Pererius & alii bene multi colligunt, polygamiam habere Deum Auctorem.

III. Respondeo 1. Si vel Deus, juxta mentem eorum, qui polygamix patrociniunt, uxores Saulis, qui ipsi acquiritam uxorem eripuerat, in matrimonium dedisset, ideone licebit plures

plures uxores ducere? quod Deus in Davide toleravit, vel ei condonavit, in exemplum non est trahendum, vel pro regula habendum, sed sola lex divina. Deus jussit vasa auferre Ægyptiis; voluit, Isaacum filium jugulari, quod tamen aggredi vel moliri non licet sine Dei mandato. Deus aliquando quid jubet, quia legibus suis est superior, quod imitari fas non est. Deo ita volente fas fuit Rahabi patriam prodere Jud. i. 25. cum Dei voluntas patriæ omniumque saluti præferenda. Nefas est interficere parentes, amicos, foederatos, hospites, sed hæc fiunt licita, cum lex superior diversum jubet. Jud. iv. 18. seq. Ehud habuit mandatum interficiendi regem Moabitarum Jud. iii. 16. 17. coll. 28. inde non sequitur, aliis licere principes interficere. Josua ipso Sabbatho jussit circuire urbem Iericho, & portare arcam foederis, & fortasse Sabbatho septies, & cædere omnes incolas Ios. vi. quod aliis haud licuerit. Elias erexit altare, & sacrificavit in monte Carmel i Reg. xviii. quod alias fieri debuit in templo. Propheta jussit alium vulnerare i Reg. xx. & Jehu jussit occidere 70 filios Achabi 2 Reg. x. 7. ex mandato Dei, qui vitæ & necis Dominus. Ubi ergo viri Dei, extraordinaria occasione, quandoque divino instinctu & mandato actum contrarium mandant, id aliis imitari integrum non est, (uti duo cum faciunt idem, non est idem,) multo minus, quod Deus immediate jubet.

IV. Resp. 2. *In sinum dare*, vel *in sinu esse*, non temper conjugalem societatem, sed aliam etiam possessionem inferre P sal. xxxv. 13. LXXIX. 12. i Reg. i. 20. Iesa. LXV. 7. Luc. vi. 38. quæ locutio desumpta videtur a sinuosis Iudæorum vestibibus, quibus excipiebatur, si quid ab aliis daretur. Tremellius & Iunius vocem קנין reddunt *ad animum tuum*, vel *ad votum tuum*. sicut P sal. LXXXIX. 50. Ideoque uxores in sinum dare non est necessario in matrimonium, sed in prædam, vel etiam regale servitium dare. *Aliqui interpretantur*, ait P. Martyr, *Dedi tibi uxores Domini tui, h. e. fuerunt in potestate tua, non ut eas duceres, sed ut tractares, quomodo velles. In sinu alicujus esse, significat etiam in potestate esse.* Sic Venerandus Beza locutione illa *potestatem & imperium*, vult declarari, quem sequitur Celeberrimus Spanhemius *Par. III. Dub. Evang. cxxii. §. 6.*

V. Præter expectationem hanc interpretationem apud sagacissimum Abarbenelem deprehendi, *Commentario rarissimo in libros Samuelis*, cujus novam editionem a Lipsiensibus avide expectamus,

mus, quibus Orbis literatus gratias aget pro ista opera suscepta, in eruendo tanto e tenebris thesauro, quem Amstelodamenses Judæi semel aut bis tantum possident. Ita scribit Hebræorum Doctissimus ad 2 Sam. x i i. 8.

ואתנה לך את בית אדוניך וזה אחרי מות שאול שירש נכסיו כמו שנזכר למעלה והוא בית אדונו שזכר ואמרו ואת נשי אדוניך בחיך אין פירושו שהיו נשי שאול לרוד אבל אמר שנשיו הם ברשותו ללקחם אם ירצה ואין מי שימחה בידו כי הוא יכול עליו כפי הדין שאלמנות המלך מותרות למלך אחר ומלבד זה נתן בידו מלכות ישראל ויהודה שהוא העקר ומה שאמר ואם מעט ואוספה לך כהנה וכהנה דרשוהו חכמים ול במסכת סנהדרין על הנשים שיוסיף לו נשים כהם וכהם אבל פשט הכתוב יורה שאמרו על המלכות והממשלה רוצה לומר שנקל בעיני יהוה להוסיף ממלכתו כהנה וכהנה כי אין מעצור ליהוה לעשות ככל אשר ירצה הנה כל זה הוא הנמשל בעושר האיש שזכר ואחר זה ביאר הנמשל בלקיחת כבשת האיש הרש.

Quæ latine ita sonant: *Verbis illis, Dedi tibi domum Domini tui, significat, quod post mortem Saulis opes & facultates ejus hereditate acceperit, sicut supra memoratum est. Atque hac est domus Domini ejus, cujus mentionem facit. Quod autem addit, & uxores Domini tui in sinum tuum, id non ita explicari debet, quasi David habuerit Saulis uxores, sed sensus istius dicti est, quod ejus uxores sint in ejus potestate, ut eas accipere posset si vellet, nemine impediante manum ejus; siquidem potestatem in eas habebat, secundum jus, quo viduas ducere licebat alteri, sive succedenti Regi. Et insuper dedit in manum ejus regnum Israel & Juda, quod erat precipuum. Quod autem addit, Si parum id est, additurus fui tibi cahenna vecahenna, id Sapientes b. m. in Mafsechet Sanhedrin, de uxoribus, quas ei addiderit, sicut illas & illas, exponunt. Sed e literali textus sensu manifestum est, quod hoc dicat de regno & dominio, id est, quod facile sit coram Domino, addere regnum ejus, sicut illa & illa. Quia nemo est, qui Dominum impedire possit, ne faciat omne id, quod voluerit. Hoc assimilatum est per divitias viri & acceptionem compressæ uxoris viri pauperis.*

VI. Tria hic notamus in Abarbenele. Primum, quod phrasin illam, Deum Davidi in sinum dedisse uxores Saulis, de potestate & imperio exponat, secus, ac alii Hebræi. 2. quod, Regis viduam a Rege sequente duci posse, statuatur. Quæ & sententia est R. Iehudæ in Sanhedrin cap. 11. *Rex regis viduam ducere rite potest*, idque probat ex hoc loco. Sed Maymonides hil. Melach. c. 11. contrarium statuit: *Ea qua uxor est regis, alteri nunquam est ducenda. Quin nec Rex rite ducit viduam alterius Regis,* seu

seu divorzio ab eo ejectam. Ideoque R. Iehuda & hic Abarbenel intelligendi sunt, non de Saulis uxoribus, sed foeminis ex aula seu gynæceo. 3. Quod neget, numerum 18 uxoribus seu foeminarum fundatum esse illis verbis Dei ad Davidem, additurus fui כהנה וכהנה quo ipso confirmatur, quod Celeberr. Carpzovius, cui multum debet orbis literatus, in *Animadv. & Notis ad Schickardi Jus Regium Hebraeorum cap. 111. Th. 1x.* probat, consensum antiquitatis de 18 mulieribus vel uxoribus Regis, quem urgent Schickardus & Seldenus *lib. 1. Ux. Heb. cap. viii.* non esse universalem, cum sint, qui contradixerint. Quos inter hic Abarbenel. Illæ enim particulæ כהנה וכהנה sicut hæc & sicut hæc, significant hæc & alia, alia atque alia. Vide similem phrasin *Iud. xviii. 4.*

VII. Resp. 3. Quod ita vox קנה, quæ vertitur in *sinum tuum*, commode explicari possit de *imperio & potestate*, docent præcedentia verba ejusdem commatis: *Dedi tibi domum Domini tui* (h. e. servos, ancillas & facultates) & *uxores in sinum tuum*. Quæ etiam sententia est τῶν LXX. quando vertunt: καὶ ἔδωκά σοι τὸν οἶκον τῆς κυρίας σου καὶ τὰς γυναῖκας τῆς κυρίας σου ἐν τῷ κόλπῳ σου (sive εἰς τὸν κόλπον σου) *Et dedi tibi domum domini tui, & mulieres Domini tui in sinu tuo.* (vel *sinum tuum*) Quo sensu ergo domus & bona Saulis data sunt in sinum Davidis, eodem sensu & uxores traditæ sunt; quemadmodum ipsum Saulem tradidit in manum 1 Sam. xxiv. 11. quem tamen non licebat occidere. Frustra igitur excipit Arcuarus p. 137. naturam rerum, de quibus sermo est, perpendendam, mulierem viro aliter in sinum dari non posse, quam ad matrimonium & legitimum concubitum. Hic enim natura unius rei nempe domus, in sinum datæ una cum mulieribus, talis est, ut non possit esse conjugalis. Hic objici posset, commate præcedente 3. hujus xii. capituli libri posterioris Samuelis, Item Gen. xvi. 5. 1 Reg. 1. 2. Mich. vii. 5. & alibi, *cubare in sinu*, phrasin esse conjugalem? Resp. concedi posse, & hic conjugalem esse, si & hic verbum *cubandi* reperiretur, & non adderetur simul *domus in sinum*.

VIII. Resp. 4. Idem ex eo esse manifestum, quod Davidi prohibitæ fuerint veræ uxores Saulis, per leges de incestu Levit. xviii. 8. 15. 17. quia David gener erat Saulis, ducta in uxorem filia ejus Michal, cujus consanguinei eodem gradu junguntur marito, quo conjuncti sunt uxori. Ita docet Maymonides in *Tractatu de Connubiis Cap. 1v. §. 12.* *Si quis ex incestis aliquam sibi dicarit, infecta res*

Hh

esto:

esto: neque enim dicationi locus est in incestis. Cap. IX. §. 1. Si quis mulieres sibi dicasset, quas ob incestum simul ducere vetitum est, nulla sit dicationo. Itaque matrem & filiam, aut sorores duas una si quis dicarit, harum neutra dicata fuerit. Contra istam legem Levit. XVI II. 8. peccavit ante legem Ruben Gen. XXXV. 22. XLIX. 4. & pessimo Achitophelis consilio Absalom post legem latam 2. Sam. XVI. 20-23.

IX. Resp. 5. Ad usum conjugalem, mulieres hasce non esse adhibitas a Davide, inde constat, quod inter uxores ejus, quarum catalogus exhibetur 1. Paral. III. 1. seq. illæ non inveniuntur, cum tamen ejus conjugia diligenter sint annotata, & filii ex iis prognati in libris Samuelis atque Chronicorum ordine recensiti, tam quos Hebrone, quam quos Hierosolymis, ex diversis uxoribus & concubinis suscepit. Quorum ideo procul dubio tam diligenter sacri scriptores meminerunt, quod promissio de Messia, ex ipfiusmet femine nascituro, facta sit 2. Sam. VII.

X. Resp. 6. Deut. XVII. 17. Regi interdicta est uxorum, sive mulierum, multiplicatio, ergo hic a Deo præcepta censerit nequit. Supra enim vidimus ex 2. Sam. V. 13. quod David tot uxores jam habuerit, quot Regi ducere licitum non erat, quomodo ergo hinc omnes Saulis uxores & foeminas adijcere, pluresque promittere Deus potuit?

XI. Nunc respondendum ad objectiones adversariorum. Quodcumque Deus cum munus allegat, non est peccatum; seu, quod in beneficium dedit, id approbavit. Resp. Non valere consequentiam. Dedit Deus, id est, toleravit, permisit, non probavit moraliter. ut enim tolerantiam, permissionem & ordinationem notat Gen. XX. 6. XXX. 2. XXXI. 7. Exod. III. 19. X. 25. XII. 23. Num. XXI. 23. Judic. XI. 9. 1. Sam. XVIII. 2. 1. Reg. XX. 23. Psal. XVI. 10. LXVI. 9. 2. Chron. XVI. 1. Ies. XLII. 6. XLIX. 8. Et in hoc ipso capite 2. Sam. XII. commate II. Sic ait Dominus, ecce ego suscitaturus sum contra te malum e domo tua, & accipiens uxores tuas ante oculos tuos ונתתי לרעך נתתי דabo proximo tuo, qui cubabit cum uxoribus tuis coram isto sole Non putem quemquam eorum, qui polygamiae patrocinantur, credere, Deum in Absolomo illud factum approbasse, etsi ei dederit, i. e. arbitrio ipsius permiserit, ut incestum committeret cum patris uxoribus, quod cedebat Davidi in poenam. Deus misit Josephum in Ægyptum, ut multus populus in vita conservaretur, & ipse pater fratresque Josephi, neque tamen ideo minus peccarunt fratres fratrem

trem vendentes Gen. L. 15-21. Dedit Deus mandata Assyrio, ut prædaretur prædam, quo castigaretur populus Dei, potestate vero abutens a Deo non approbatur, sed punitur Jesa. x. 6. seq.

XII. Excipit Daph. Arcuarius p. 137. *Primo* ad phrasin, *dedi in sinum tuum i. e. potestatem tuam*, ex scopo & circumstantiis textus liquere, Davidi has in sinum, vel potestatem datas, vetitas non fuisse. Quia Deus ipsi exprobraverit, quod uxore alterius viri ad libidinem abusus fuerit, atque ex eo istius peccati gravitatem demonstraverit, quod non opus habuerit illa maritata, utpote cui Saulis uxores datæ erant. Idem etiam ex parabola constare, docet. Per *divitem* enim intelligi Davidis cupiditates, per *multas oves*, multas ejus uxores, quemadmodum per *unam ovem* una uxor Chittæi fuerit repræsentata com. 9. *Secundo* ad difficultatem, quæ nascitur ex incestu Levit. XVIII. respondet, solam matrem Michol vetitam fuisse, reliquas non item; Iosephum enim testari, legitimas fuisse, quas legitimo modo duxerit. *Tertio* concedi posse, dicit, Davidem Saulis uxores nec duxisse, nec ducere potuisse, fœminas reliquas duntaxat intelligendas esse, argumentum tamen pro polygamia procedere, quia diserte dicat Deus, se dedisse Saulis mulieres in sinum ejus.

XIII. Hic varia proponuntur ab Arcuario, quibus paulisper inhærendum. Intricata enim nonnulla esse, dissimulare nolo, etsi, quomocunque explicentur, nullum in iis præsidium pro polygamia. Notari igitur velim 1. omnibus diligenter expensis, non videri omnes uxores Saulis hic esse intelligendas, utut, si id necessario ex textu colligi posset, inde non sequeretur, incestum a Deo approbatum, quemadmodum demonstratum ivi Thesibus 111-VII. & xi. Quia vox נשים *fœminas* quaslibet in aula, atque ita gynæceum Saulis significare potest. אשה *ischah* enim *uxorem*, sed נשה *na-schah* *fœminam* promiscue denotat. Ita etiam Hebræi dictum illud Rabbi Jehudæ tir. *Sanhed. cap. 11. Rex Regis viduam ducere rite potest. Nam & Saulis viduam duxit David* (ex 2 Sam. xii. 8.) interpretantur, ut non Saulis uxores ibi designentur, sed, ut ajunt in *Gemara fol. 19. 2. הראות לו נשים הראיות לו* *fœmine* (ex aula) *quæ nuptiis Davidis idoneæ fuere; & Glossa adjecta הראות לו נשים הראיות לו* *אבל נשים של שאול לא* *i. e. quæ nuptiis idoneæ & legitime erant, non autem uxores Saulis.* Quod Moses Mikotzi *præcept. Affir. 116.* confirmat.

XIV. Quin addo, etsi Deus generaliter sicut domum & omnes

facultates, pariter omnes uxores & foeminas intellexerit Davidi datas, ex illis tamen non nisi licitam & legitimam a Davide eligi potuisse. Hoc igitur Deus dicere voluisse videtur: Si uxorem superinducere animum induxisti, accepisses potius aliquam ex foeminis a Saule relictis, quas ex ejus aula & gynæceo tibi in sinum & potestatem dedi, sed in eo graviter & enormiter peccasti, quod contempto omni humano simulatque divino jure, (ut cum Josepho loquar) alterius viri viventis uxorem duxeris, quod solum ipse capitali poena dignum pronunciaisti, adulterio commisso, & marito interfecto, hostique prodito.

XV. 2. Parabolas non vexandas, nec in omnibus comparandas esse, sed ad scopum suum referendas, nec eandem omnino rationem dari *μετέστωσ & ἀποδόστωσ*, sed similem tantum in illis, in quibus instituitur comparatio, eruditissime pro more jamdum ostendit Cl. Spanhemius *P. III. Dub. Ev. cxxii. §. 6.* Verum est, oves multas Davidis uxores multas innuere, id autem Deus non probat, sed narrat in parabola. 3. Alia licet sit ratio uxoris Saulis Michol, matris Davidis, quam nonnulli, tum jam mortuam fuisse, credunt, & aliarum uxorum ejus, non magis tamen licuit Davidi novercas uxoris suæ ducere, quam socrum suam. P. Martyr, *hunc ego locum semper miratus sum*, inquit. *Nam consanguinei uxoris eodem gradu junguntur viro, quo uxori. Quare si non licet ducere uxorem patris demortui, quomodo licebit soceri? Si socrum ducere non licet, ergo nec uxorem soceri. Idem sunt gradus, eademque distantia.* Explicat autem de potestate Davidis, & de iis, quæ sub potestate Saulis.

XVI. Iosephi testimonium in iis, quæ ipse non vidit, & audivit suo tempore quæ gesta, quibusque interfuit, non majoris ponderis est, quam aliorum veterum Rabbiorum & Talmudistarum, qui hæc vario modo de Davide interpretantur. Neque Iosephus *Antiquit. lib. VII. cap. VII.* aliud dicit, quam quod Deus sua benignitate Davidi dederit *γυναῖκας, αἰς δικαίως καὶ νομίμως ἡγάγετο* mulieres, quas justo & legitimo modo duxerit. Qualis erat Michal Saulis filia, eaque ipsi erepta, alia. Adde, quod isto tempore, in foro civili, pro justis & legitimis nuptiis haberentur, si plures, non per adulterium, quod Iosepho injustum & illegitimum est, sed sine aliorum injuria, ducerentur. 4. Quidam intelligunt per uxores datas in sinum Davidi, filias Saulis, ut uxores ex ejus familia.

familia. In quam sententiam & Arabs propendet: *In matrimonium collocavi te cum filiabus Domini, dedi tibi uxores Dominorum tuorum; denique imperium dedi tibi in filias Israel & filias Judæ.* Cui opinioni ego non subscribo. Quia filia Saulis Davidi jam erat data, antequam ei data domus Saulis. 5. Ex dictis liquet, satis refutatam esse ultimam objectionem Arcuarii, si non uxores, fœminas tamen Saulis Davidi in sinum datas, atque ita polygamiam approbatam. Vide sis Thesin præcedentem XIV.

XVII. Tandem infelicem exitum nuptiarum Davidis nobis exhibent sacrae literæ. Quantam enim crucem expertus est in suis filiis? Amnon primogenitus Thamarem sororem suam vi stupravit. Hic postea invitatus ab Absolomo occisus est. Absolom, seditione concitata, patris uxores, suas novercas, in propatulo contupravit, patremque e regno suo expulit. Adonias ad regnum aspirans interficitur. Quibus exemplis cavere jubentur parentes, ne prohibitis nuptiis poenas sibi accersant.

CAPUT X.

Nec denique Salomonis, Rehabeami, Achabi, Abia, Joasi, Ahasveri, Belschazaris, (& Herodis filii Antipatri,) exempla polygamiam probant.

Solidiora non sunt, sed infirmiora, quæ a Salomone filio Davidis, cæterisque regibus petuntur polygamix stabilendæ, argumenta. De Salomone, quia in excessu peccavit, nihil aliud adfert Theophilus Aleth. *Thesi LXXVIII.* nisi quod, *uti sapientia, potentia, & divitiis abundavit, ita & uxoribus multis gaudere voluerit, adeo ut numerum divinum, millenarium nempe, affectarit, & illud præceptum Deut. XVII. de polygamia excessiva violarit.* Ath. Vincentius autem eum excusans, *tres illas leges fundamentales Deut. XVII. eum violasse,* negat. De excessu ejus in polygamia dubitat. Deum ipsum non excessivam polygamiam, sed tantum seductionem & sequelam uxorum exterarum & idololatricarum taxare, & non nimium excessum auri, equorum & uxorum, sed excessus abusum prohibere, contendit.

II. Resp. Quod Ath. Vincentius, Salomonem non damnatum, sed, post actam poenitentiam, salvatum esse, variis probat argumentis, exosculamur in ipso, idemque contra veteres, Tertulianum,

lianum, Cyprianum, Augustinum, Chrysostomum, Theodorum, Tostatum, Lyranum, & alios strenue defendimus, cum fuerit Christi typus, & scriptor Canonicus, de cuius respicientia nos dubitare non sinit Ecclesiastes, (in quo confessio omnium vanitatum,) promissio Dei 2. Sam. VII. 13. 14. 15. & loca 1. Reg. XI. 43. 2. Paral. II. 17. Prov. XXIV. 32. Sed quod eum excuset, atque a peccato absolvat, ratione excessus in mulieribus, & polygamiae, nullo modo admitti potest. Ingenue magis Theophilus fatetur, Salomonem illud praecipuum Deut. XVII. violasse, quomodocunque explicetur, nisi nusquam propterea expresse legatur reprehensus.

III. Nam peccavit in eo, quod amaverit uxores alienigenas, *וְיָרֵךְ אִתּוֹ בְּרָעָה* cum filia Pharaonis, vel idque praeter filiam Pharaonis, uti vertunt Tremellius & Junius, Castalio, Belgae, Angli, 1. Reg. XI. I. q. d. uxori suae legitimae alias multas superinduxit, quemadmodum haec particula *וְיָרֵךְ* infra accipitur com. 25. Digna sunt memoratu, verba Grotii polygamiae, V. T. alias faventis, ad 1. Reg. XI. I. ubi duplex, inquit, crimen: primo, quod multas, ingenti numero, barbarico more, contra interdictum Deut. XVII. 17. Deinde quod Sidonias, id est Cananaeas & Hethaeas, contra interdictum Deut. VII. 3. Hic fons maximorum malorum fuit Salomonis posteris, populoque Hebraeo, sapienter praeviusus Mosi.

IV. Sunt quidem, qui, Salomonem sex duntaxat habuisse uxores, colligant ex verbis com. I. postea rex Salomo adamavit mulieres alienigenas multas, idque praeter filiam Pharaonis, Moabitidas, Hammonitidas, Edomaeas, Tzidonias, & Chitaeas, ut 700 & 300 de gynaeceo sint intelligendae. Ast ibi recensentur quinque diversae nationes, e quibus ipse multas uxores accepit, nec 300 *וְיָרֵךְ* mulieres in genere, sed concubinas notat. Accedit, quod mulieres illas non tantum aluisse, sed & vehementer amasse insdemque amore adhaesisse dicatur com. I. 2. Etsi singulis *עֲוֹנוֹתָי יִסְתַּפְּחֶנּוּ* (de qua 1. Cor. VII. 3.) praestare non potuerit, in uxores tamen adsevit, contra aequum & supra vires, easque semel cognitas, referente Abarbenete Comment. ad hunc locum, e vestigio subduxit & seclusit, ut nemo ipsas in posterum attingeret, omnibus diebus vitae ipsarum. Addit paullo post, filiorum & liberorum Scripturam ideo nullam (exoepto Rehabeamo, Regni successore, qui tamen & ipse malum

malum fecerit in oculis Domini) fecisse mentionem ; quod illi omnes degeneres essent , tanti patris dissimiles prorsus filii.

V. Ex quibus liquet , peccasse Salomonem contra Dei ordinationem Deut. xvii. 17. sensu etiam Rabbinorum , qui regi 18 permittunt. *Maymon. H. Melach. cap. 111. לא ירבה לו נשים כפי השמועה* למרו שהוא לוקח ער יח נשים בין הנשים בין הפי' לנשים הכל יח ואם דוסף אחת ובעלה לוקח *Quod dicitur , non multiplicet sibi (rex) uxores , juxta oralem traditionem exponunt , licuisse tamen Regi accipere sibi 18. sive uxores , sive concubinas , ut omnes sint 18. Quod si vel unicam illis adderet sibi matrimonio jungendam , flagellationis reus est. Idem testatur Mosche Mikotzi , precepto negat. 222. Supra modum igitur contra hunc numerum a Rabbinis determinatum , peccasse Salomonem , & legum septem perrupisse videmus. Addit Maymonides , quod rex non debeat esse immersus uxoria rei , aut quamvis habeat unicam tantum , non tamen indefinenter cum ea reperiri debeat velut stulti Prov. xxxi. i. Quod indicatur in Sohar ad Gen. col. 96. Septem reges mali fuerunt inter Israelitas , & totidem boni , quos inter Salomo medio loco constitit , ut nec inter bonos numeretur , nec inter malos. Inde in Pirke abhoth cap. i. Iose fil. Iochanan testatur , dixisse Sapientes ; omne tempus , quo homo multiplicat colloquium cum femina , multiplicat sibi ipsi malum , & impeditur a sermonibus legis , & tandem descendit in gehennam.*

VI. Propter hæc varia scelera, Salomo expertus est judicia divina, dum a variis hostibus circa regni sui finem vexatus & regnum tandem laceratum, deformatum, partimque in alium translatum est. Nec defunt Interpretes, qui causam rebellionis fuisse censent, quod Salomo voraginem Millo monti Zion subjectam, publicam Hierololymis aream, in qua populus convenire, & tempus sacrificii commode exspectare poterat, eripuerit usibus publicis, & in uxoris suæ Ægyptiæ privatas delitias converterit, murmurante Ieroboamo cum populo. Addunt, præfectum huic operi & oneri, & tributo Iosephi fuisse Ieroboamum, ad quem proinde querelæ populi de tributis, & vestigalibus nimis, quæ Rex uxorius nimis, res muliebres potius, quam publicas curans, imponebat, aut imponi patiebatur, ob fastum reginarum, delatæ fuerint. Unde ille ex communi dolore concepta indignatione, contra Salomonem aliquid meditatus. Ad septingentas enim reginas & 300 concubinas ornandas, & magnifice alendas, immensis opibus erat opus; unde tributis subditi exhausti. Hi sunt fructus polygamiae.

VII. Sub-

VII. Subjungit Th. Aletheus cum Ath. Vincentio Thesi LXXIX. exemplum *Rehabeami* 2 Paral. XI. 18. f. qui habuit *uxores octodecim & 30 concubinas*, juxta Athanasium 60. Scilicet in textu Hebræo fit mentio 60, sed in Iosepho contra fidem originis Hebrææ, Græcæque versionis, tantum 30. Ideoque nec tanti ponderis est, quod idem Iosephus testetur, habuisse Rehabeamum *τὰς μὲν νόμιμα συνεικόσας αὐτῷ γυναῖκας ὡκτοκαίδεκα lege sibi conjunctas*, seu *legitimas uxores octodecim*. Quod facti, non juris est. Quia illa Talmudicorum lex est, infirmo nitens fundamento, a sanioribus, ut supra visum est, destructo, ut *legitima* vocari nequeant. Merito Grotius ad hunc locum: *Modum excessit, præscriptum Deut. XVII. 17.* Quia non bigamus, sed magnus polygamus fuit. Peccavit insuper Rehabeam, quod filii quoque uxorum multitudinem procuravit. Neque satis prudenter eum res suas instituisse, liquet 1 Reg. XII. Deo non dante prudentiam, com. 15.

VIII. Sequitur exemplum *Abie* 2. Par. XIII. 21. Patris sui Rehabeami impuros mores imitantis, *quatuordecim sibi uxores accipientis, & 22 filios, ac sedecim filias gignentis*. Quos non intra triennium, quo regnavit, sed etiam antequam regnare coepit, suscepisse censendus est, quando plures uxores duxit, & postea alias superinduxit. Eum tamen hoc in loco ut optimum regem delineari, scribit Ath. Vincentius p. 464. contra aperta verba S. Scripturæ 1. Reg. xv. 3. *Ambulavit in omnibus peccatis patris sui, que fecerat ante eum, nec fuit ejus cor perfectum cum Jehova Deo suo, sicut cor Davidis patris sui.* Verum quidem est, quod cum in magno discrimine versaretur, ad extremum invocaverit Deum magna fide, unde victoriam adeptus est, sed ante illam morum emendationem tot uxores accepit.

IX. Non melius & tutius exemplum, quod imitari liceat, proponit eadem Thesi LXXVIII. in *Achabo*, septuaginta filios habente 2. Reg. x. 1. 6. 7. neque tamen a propheta Elia ob polygamiam taxato. Non enim ex una uxore liberi nati sunt, sed ex multis, ut est verisimile. Etsi nonnulli non tantum filios, verum etiam nepotes ex filiis, i. e. ex Joramo, & aliis ejus fratribus, juxta Scripturæ consuetudinem, hoc censu intelligendos velint, quemadmodum Laban natos Jacobi appellavit suos filios. Sed quicquid hujus sit, id profecto constat, pessimum fuisse regum Achabum. Vide 1 Reg. XVI. 31-35. *Quia magis peccavit, quam omnes reges ante ipsum.*

ipsum. Adde Capp. xviii. 9. 17. seq. xix. xx. xxi. 2. Reg. ix. 7. 8. seq. x. xxi. 19. Nactus quidem victoriam, Benhadado Deum blasphemante, & beneficiis ornatus est 1. Reg. xx. 13. ut minus esset excusabilis, & iustitia Dei illustrior evaderet. Infausta tamen fuit ejus πολυτεκνία, septuaginta viris jugulatis 2. Reg. x. 7. totaque posteritate ejus funditus extirpata. Propter omnia & singula peccata, in specie commissa, homines reprehendi non solere, vidimus supra. *Ioramum* regem omittunt nostri, cujus populum, & filios & וְנָשָׁיו uxores vel *fœminas*, totamque substantiam, Dominus plaga magna percussisse dicitur 2. Paral. xxi. 14. Per וְנָשָׁיו tamen mulieres aliæ in regia domo, præter uxorem, filiam Achabi Athaliam com. 6. intelligi possunt. Si fuerit polygamus, non erit imitabilis, qui nullum genus scelerum intermisit, sed Achabi, cujus filiam duxerat, vestigiis insistens, omnia convulsit, quæ pater & avus ipsius magnis laboribus recte constituerant.

X. Tandem *Ioasi* exemplum ex 2. Paral. xxii. 2. 3. a Theophilo & Athanasio exhibetur eadem *Thesi* Lxxviii. quem duas uxores duxisse dicunt, *proxeneta ipso Pontifice Max. Iojada. Regem autem, quamdiu hic Iojada vixerit, qui auctor hujus bigamias tantopere commendatus, in viis Domini ambulasse. Nec verisimile esse, Pontificem Max. e cujus ore lex audiebatur, Regi polygamiam, si peccatum esset, procurasse, aut tantum sine reprehensione permisisse, ideoque a Spiritu S. in Scripturis non tantum non taxatum, sed potius maximopere laudatum atque celebratum. Aaronem Pontificem ob idololatriam reprehensum, Eli ob conniventiam & indulgentiam correptum ac punitum, Iojadam, ob hoc factum non item.*

XI. Speciosum etiam videtur hoc exemplum; sed videtur tantum. Juxta mentem Lxx Interpretum, Iojada duxit δύο γυναῖκας *εαυτῷ* duas uxores sibi. vox enim Hebræa וְנָשָׁיו ei & sibi sonat, ex diversa interpretatione, quemadmodum supra visum Exod. xxi. 10. Ut ita binas uxores a Pontifice Regi desponsatas, vel ab ipso Pontifice ductas innuat. וְנָשָׁיו וְיָלַד בָּנִים וּבָנוּ וְנָשָׁיו *duxit ei* (vel sibi) *Iehojada uxores duas, & genuit filios & filias.* Si Iojada sibi binas accepisset, peccasset contra legem Levit. xxi. 13. אִשָּׁה יָקַח uxorem ducito, testibus Talmudicis in *Ievammoth Cap. vi. f. 59. i.* & *Maymonide Cap. xvi i. Isuri bia*, qui dicunt: כְּחֵיב אִשָּׁה אַחַת וְלֹא שְׁתַּיִם *Scriptum est, uxor una, seu singulariter, non bina, seu plures.* Adeoque hoc non juvaret polygamie advocatos. Sed videtur po-

tius Iojada Pontifex dedisse & conciliaſſe regi uxores duas, ex quibus liberos ſuſtulit, conſentiente Joſepho *lib. 1x. Antiq. Cap. vii.* An poſſit de duabus uxoribus ſucceſſive ductis exponi, quod nonnulli putant, in quos invehitur pro more Ath. Vincentius, anxie & curioſe hic non inquiram.

XII. Hoc autem in re dubia obſervari velim, Pontifices & Prophetas, qua homines, ab erroribus & peccatis immunes non fuiſſe, imo ſæpe actu & de facto peccaſſe, fatente ipſo Theophilo Alet. licet non ubique cum Aarone & Elia reprehendi legantur. Erravit Samuel, cum veniens ad Iſai, vidensque primogenitum ac pulchrum Eliabum, putaret, illum eſſe quem Deus regno Iſraelis præeſſe vellet 1. Sam. xvi. 6. Errarunt duo inſignes prophetæ David & Nathan 2. Sam. vii. 1. ſeq. cum hic illi Domum Domino ædificaturo mox annueret, & temere, inconſulto Domino, non ut propheta inſtinctu divino loquens, ſed humano more ſententiam pronunciaret, non addendo, quantum ego adhuc ſcio, aut video. Rex Zedekia inſtruit Ieremiam, quid principibus, in privatum ejus colloquium cum rege, inquirentibus, & ad necem poſtulantibus, debeat reſpondere Ier. xxxviii. 25. 26. nempe ſe deprecatum coram rege, ut non ſineret ſe redire in domum Ionathanis, ad moriendum ibi. Quod fecit Ieremias, humani hic aliquid paſſus, quia regi obſequeretur licet, fictum hoc erat argumentum, & mendacium a rege conceptum uſurpavit, ſui expediendi gratia, ſiquidem nunc talem deprecationem non inſtituerat, ſed olim, cap. xxxvii. 20. Abraham & Iſaac uxores ſuas dixerunt ſorores. David ſimulavit legationem Saulis apud Abimelechum, & inſaniam apud Achis. Adeoque etiam ſancti, etiam prophetæ, etiam pontifices non ſunt ἀναμάρτητοι, & falli poſſunt, ubi niti volunt humana ratione.

XIII. Pontifex quidem commendatur, quod Regem docuerit, ſuaque auctoritate & prudentia in officio continuerit, ſed ob hoc factum non laudatur. Et rex Ioas feciſſe quidem dicitur, quod *rectum videtur in oculis Domini; omnibus diebus Jehoadah ſacerdotis.* 2. Par. xxiv. 2. 2. Reg. xii. 2. Sed eidem commendationi mox ſubnectitur limitatio com. 3. *veruntamen excelsa non ſunt amota: adhuc populus ſacrificabant & adolebant in excelsis.* Rectum ergo fecit, ſed non ubique & in omnibus. Conſuetudines enim in veteratæ difficili negotio ex hominum mentibus & moribus delentur, quam
ex cor-

ex corporibus inveterati morbi. Cum igitur hæc consuetudo invaluisse præcipue inter reges, ut plures uxores ducerent, de qua Josephus *Antiq. lib. xvii. Cap. 1.* (ubi etiam refert, *Herodem Antipatri filium eodem tempore novem uxores habuisse,*) coacti procul dubio sunt aliquando sacerdotes & prophetæ proprio iudicio cedere, ut eam sequerentur. Adde, quod *sacerdotes, ex quorum ore lex requiritur, recedant aliquando ab illa via, facientes, ut impingant multi in legem.* Quæ conjunguntur Mal. 11. 7. 8. Ipsos Sacerdotes in matrimonii negotio peccasse, cum Malachia comprobatur Esra cap. x.

XIV. Quæ omnia docent exempla, quid facti fuerit inter Judæos, non quid juris divini; quid Deus tunc dissimulando toleraverit & permiserit, non quid præceperit, vel approbaverit; quid regibus in usu fuerit, quorum factum veniam potius, quam imitationem meretur, non quid eis a Deo fuerit in lege præscriptum. Ahasveri & Balthasaris exempla Esth. 11. 3. seq. Dan. v. 2. 3. 23. in Scriptura quidem commemorantur, pertinent tamen ad Sectionis nostræ 11. Caput 1v. Ubi de polygamia gentilium egimus, ad quorum morem nobis non est vivendum. Estheræ autem matrimonium, cum rege Ahasvero initum esse videtur singulari providentia Dei, in gentis Iudaicæ commodum hoc dirigentis.

C A P U T X I.

An ex Prophetis locus Esa. 1v. 1. pro polygamia, recte allegetur?

CONcludit Theophilus Aletheus *Thesi LXXIX.* quod, sicut in principio prophetorum librorum eximium nobis pro polygamia suppeditatum argumentum Jesa. 111. 18. (five 1v. 1.) ita in medio & fine illorum etiam nonnulla sint, quæ ad illustrandam hanc materiam facere possint. In medio occurrere, dicit, Danielis Caput v. 2. 3. collat. cum Est. 11. 7. & Cant. vi. 1. Quæ supra a nobis examinata sunt. Restat ergo locus Jesa. 111. 18. (1v. 1.) & Malach. 11. 14. 15.

II. Ita vaticinatur Iesaias Cap. 111. 18. והחזיקו שבע נשים באיש אחד ביום ההוא לאמר לחמנו נאכל ושמלתנו נלבש רק יקרא שמך עלינו אסף חרפתנו
Apprehendent septem mulieres virum unum, tempore illo, dicendo, cibum nostrum comedemus, & vestimentum nostrum induemus; tantum-

modo vocemur de nomine tuo, aufer probrum nostrum. Quibus verbis, ut ex præcedentibus liquet, iudicium Dei, & bellicam calamitatem, miserrimamque ludæorum conditionem comminatur, tempore excidii Hierosolymitani, & ruinae Judæ ac Hierosolymorum, tantamque innuit virorum paucitatem, ut mulieres plures ambituræ essent unum virum, quo tutelam ejus consequerentur. Quando dicitur שבע septem, non denotatur certus & fixus numerus, inquit R. Salomo ben Melech in *Micblal* ad hunc locum, sed pro more Scripturæ septem commemorantur, ad numerum multum significandum, quia omnes dies mundi sunt septem; sicut etiam *Levit.* xxvi. 21. *Prov.* xxiv. 16. *Zach.* iiii. 9. vox illa sumitur. Ergo שבע נשים לומר רובה רבוה septem mulieres sunt multa (vel plures) mulieres.

III. Abarbenel Commentario ad hunc locum Jeseiæ docet, tantam fore hominum stragem & ruinam in bello, ut multe mulieres residua maneat vidua, maritis suis privata, adeo ut apprehendant septem, id est, multe mulieres (nam numerus septenarius multitudinem significat) virum unum, dicendo panem nostrum comedemus &c. id est, אין אנונו ולא עונה שאר לא כסוח ולא עונה nos a te neque postulabimus alimentum, neque vestimentum, neque tempus statum, quemadmodum maritus ex lege (*Exod.* xxi. 10.) obligatus est hæc dare uxori suæ. Nos enim ab illis te excusamus, neque illis opus habemus, sed ut solummodo nomen tuum super nos vocetur. Tolle probrum nostrum, quia femina, qua non est maritata, sedet in probro, & communi vel publico, nec ullus est, qui ei auxilium præstet. Hic observent nostri polygamie defensores, hæc mulieres non petere matrimonium, interprete Abarbenele, cum tria illa præcipua, quæ ubique Hebræi tanquam necessarium requisitum exigunt a marito, non expectent ab ipso. Maymonides de *Connubiis* Cap. xii. §. 1. 2. Qui ducit uxorem, inquit, is huic promittat res decem, ex quibus tria ista lege sancita sunt, curatio corporis, vestitus, & statum tempus. Curatio corporis, hoc est, ejus alimentum: vestitus est, quod nomen ipsum declarat: statum vero tempus, ut consuetudine communi cum ea se conjungat: reliqua septem auctoritate Sapientum instituta. Sed quærunt tantum auxilium, tutelam, præsidium & protectionem.

IV. Addit Abarbenel, nonnullos hoc vaticinium referre ad tempora Nebucadnezaris, se vero non dubitare, secundum literalem sensum, quin hæc omnia impleta sint tempore Achasi, cum contra eum bella gessit rex Syria, & Pekachi filii Remalja regis Israelis; de hoc excidio & captivita-

privitate loqui, vult, prophetam commate 16. & seqq. Pekah enim interfecit ex Judæis centies vicies mille die uno, omnes robustos, & in captivitatem duxit Samariam ducenta millia mulierum, puerorum & puellarum, cum magna præda, qui captivi tamen ad hortationem prophetæ Obed dimissi fuerunt. Vide sis 2 Reg. xvi. 2 Paral. xxv 111. Alii vero hæc judicia ad tempora excidii per Romanos referunt. Extendi possunt ad omnia illa tempora Achasi, & sequentia, quibus omnia hæc mala perpeffi sunt Judæi, usque ad plenum refectionis tempus, quando εφθασε ἐπ' αὐτὰς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος. 1 Theff. 11. 16.

V. Sermo igitur est de miseria & calamitate istorum temporum, de paucitate virorum, & fœminarum opprobrio, duraque & inusitata conditione, inhoneste plane modo, & ordine inverso maritum petentium, a quarum auctoritate viri antea pendebant, Cap. 111. 12. 16. seqq. Quamvis autem de vero matrimonio explicetur, referente ibidem Abarbenele, quod מפרשי הנצרים פירשו שהנשים יחזיקו באיש אחר כדי להוליד ממנו בנים ושעל לה אמר אסוף חרפתנו כי חרפת האשה היא היותה עקרה. *Christiani Interpretes verba illa, mulieres virum unum apprehensuras, explicant, ut ex eo filii procrearentur, & quod ideo dicat, aufer probrum nostrum: nam probrum mulieris est sterilitas.* Hoc tamen tantum narratur, plures fœminas unum virum ambituras, non vero additur, eum esse accepturas. Adde, quod Celeber. Prophetiarum *Interpres* Coccejus ad hunc locum suppediat: *Judæis videbatur, polygamiam licitam esse. Huc potuit spectare propheta. Sed & citra polygamiam illa impleri potuerunt, preparatione & voto plurium fœminarum, ut peterentur ab uno viro. Nam Romanae leges non permisissent Judæis plures uxores habere. Constat tamen, quod dum sub Romanis pluribus usi sint.*

VI. Nec infrequens & insolitum est prophetis, allegoricis & obscuris verbis aliquid proponere & exaggerare, quod reipsa non impletur, licet morale per allegoriam & ænigma indicatum certissime impleatur. Denique non male responderunt antipolygami ab Ath. Vincentio citati, totam rem esse facti, non juris; non fecus ac Deut. xxvi 111. ob antegressa peccata tanta fames dicitur exoritura, ut qui paulo prius delicatissimi fuerat stomachi, suorum liberorum cadavera sit absumenturus, mulierque, secundinas suas, urgente fame, sit voratura. Quare non magis ex isto loco sequi, licitas esse plures uxores, quam ex hoc, secundinas & humana edere cadavera, quippe uterque docent, quid futurum, non

quid justum & æquum sit. Ad quæ Ath. Vincentius præter nugas nil reposuit, illa scilicet esse illicita, *polygamiam vero justam & æquam, juri nature & divino congruam, & cætera*; item *ad esum carniuum homines non nisi summa urgente necessitate devenire*. Cum hic, nisi cæcus sit, eandem videat necessitatem, viris interfectis.

CAPUT XII.

Malachie II. 13. 14. 15. 16. polygamia reprehenditur, monogamia vero commendatur.

TAndem expendendus est locus ultimus Veteris Instrumenti, quem suppeditat Prophetarum, qui Israeli perpetuam regulam fidei, legem Mosis commendat, ultimus Malachias capite II. 13. 14. 15. 16. ואה שנית תעשו כמות דמעה את מזבח יהוה בני ואנקה מאין עוד פנות אל המנחה ולקחת רצון מירכם: ואמרתם על מה על כי יהוה העיד בינך ובין אשת נעורין אשר אתה בגרחה בה והיא חברתך ואשת בריתך: ולא אחר עשה ושאר רוח לו ומה האחד מבקש זרע אלהים ונשמרתם ברוחכם וכאשת נעורין אל יבגר: כי שנא שלח אמר יהוה אלהי ישראל וכסה חמם על לבושו אמר יהוה: *Et hoc secundum facitis; operiendo lacrymis altare Domini, fletu & suspirio, adeo ut non amplius respiciat (Deus) ad munus; & benevolentia ejus recipiat oblationem e manu vestra. Dicitis autem, propter quid? propterea quod Dominus testatus est inter te & inter uxorem juventutis tue, contra quam tu perfide agis, quum illa sit socia tua, & uxor fœderata tua. Et non unus fecit, cum ipsi superesset Spiritus. Et quid unus ille? quarebat semen Dei; ideo cavete spiritui vestro, & erga uxorem juventutis tue ne perfide (quisquam) agito. Quum oderit Deus dimittere, dixit Dominus Deus Israelis, & tegat injuriam vestimento suo, dixit Dominus Zebaoth. Quare cavete spiritui vestro, ne perfide agatis.*

II. Theophilus Aletheus *Thesi LXXX.* hunc locum non de polygamia, sed de repudio, Deo displicente, agere existimat. Addit Athanasius discordiam anti-polygamorum, quod nonnulli de Abrahamo, alii de Adamo hæc verba capiant; atque iterum alii polygamie prohibitionem hinc exsculpant, alii tantum divortii. Antiquos Patres & commentatores in hunc locum, Bibliaque Ernestina, nullam polygamie, sed tantum repudii hic interdicti mentionem facere. Daphnæus Arcuarius integro capite p. 121-126. hæc verba exponens, totus in eo est, ut argumenta, quæ
contra

contra polygamiam ex iis petuntur, enervet, cujus rationes postea examinabo.

III. Est, fateor cum Doctissimo de Dieu, difficilis versus 15. & divortium sententiarum tam inter Judæos, quam Christianos Interpretes, circa subjectum, de quo propheta; id autem non præjudicat eorum opinioni, qui ex hoc loco argumentum petunt contra polygamiam. Ludovicus de Dieu tres adfert sententias, quarum ille mediam adoptat. 1. אחד *Unus* Deus est, estque is, cui vere excellentia spiritus competit, imo talis abundantia, ut semper ipsi adhuc *שאר* *reliquum* sit. Is id fecit, quod in fine vers. 13. dixerat, quod uxor sit socia viro ipsique confœderata. Quid autem in eo spectat? quærit semen Dei, divinum semen, cujus ipse author ac pater dici queat. Confert loca, ubi Deus אחד *unus* appellatur. Deut. vi. 4. unde Assyriorum Deus *Adad*, *Macrob. l. 1. Saturn. c. 23.* & *Jes. LXVI. 17.* & *Malach. 11. 10. 2.* interpretatio, אחד אחד per Maccaph conjuncta, posse & sensu conjungi, ut sit *non unus*, i. e. *nullus*. quo sensu sic vertit: *Et nullus id facit, cui reliquia spiritus sunt. & quid quisquam id faceret quærens semen Dei? cavete ergo &c.* אחד אחד *unus* aliquis, indefinite sicut & *Gen. XIX. 8. & XLII. 27.* Ut sensus sit; Tu perfide agis in uxorem, quæ tibi socia est, tibi que fœderata. hoc nemo facit, qui vel tantillum Spiritus Dei reliquum habet. & quæso, quomodo quisquam id faceret, qui quærit semen Dei? si id quæritis, cavete ergo &c. 3. interpretationem addit: *Nam non unum fecit, estque ei abundantia Spiritus. & quid unum fecisset, quærens semen Dei? cavete ergo &c.* Sensus est, voluit Deus fœminam esse viro sociam & confœderatam: non enim unum fecit hominem, non solum marem condidit, sed & fœminam, idque sapientissime, quum sit ei abundantia spiritus. & quid unum condidisset, quum quæreret semen Dei, quod non nisi ex conjugio nasci potuit? Itaque cavete &c.

IV. Adhuc alias interpretationes adferunt Doctores Hebræi, quas recensere non piget, ut in re dubia quisque eligat convenientissimam. R. Abendana ad *Michlal* R. Sal. ben Melech, & Abarbenel eorum referunt sententiam, qui Israelitas prophetis, propter alienigenas uxores reprehendentibus, reposuisse putant; *omnes nos filii primi Adami, filii unius patris sumus, ideoque non est uxor ulla alienigena, hoc significari, verbis illis, annon autem unum fecit? nunquid Deus S. & B. in principio unum hominem fecit in mundo, ושאר רוח לו i. e. reliquos spiri-*

tus a lumbis istius primi Adami egredientes (sive, originem suam ducentes,) respondisse autem prophetam, *An vos equabitis vestrum negotium & facinus cum Adamo primo, qui unus in mundo existens, non nisi semen Dei quaesivit, filios ad gloriam Dei, non ut libidini indulgeret.* Abarbenel novam explicationem adducit. Cum enim neque primus Adam, neque Abraham nominatus sit, textum istum hoc modo secundum literam exponi posse, putat. Et non unus fecit hoc, id est, hoc malum non perpetravit unus tantum e vobis, ut excipere vobis liceat; vir unus peccat, & in totum cœtum ira Dei provocatur. Non unus tantum profecto e vobis hoc facit, ut ceteris excellentia sit Spiritus, qui custodiant animam & spiritum suum ab hoc scelere purum, quo revertatur ad Deum, qui dedit eum. Quin si vel maxime unus duntaxat esset, interrogarem eum, quid quaesiverit ex tali conjugio? an ut liberi, ex illo matrimonio prognati futuri sint semen Dei? Hoc autem fieri nequit, cum mater sit filia Dei alieni. Cum igitur omnes vos hujus culpa rei sitis, non unus tantum; & animadvertatis, eum qui hic transgressus est, non posse procreare semen Dei, ideo oportet ut caveatis spiritui vestro &c.

V. Recentiore sententiam habet Abendana ad Michlal Jophi, quod scilicet Deus Israelem sibi ex omnibus populis elegerit in peculium, qui sint unus populus in terra, conservantes genus & prosapiam suam, & teste Bileamo (Num. xxiii. 13) populus, qui solus habitat &c qui non miscetur nec affinitatem contrahit cum gentibus, ideoque una sunt natio cultui divino addicta, regnum sacerdotale & gens sancta; nec decet ut semen sanctum & semen Dei confundatur cum filia Dei alieni; atque hæc est increpatio & disceptatio propheta, וְלֹא אֶחָד עִמָּךְ, quod per admirationem explicari debet, nunquid fecit Dominus Israelem unam gentem in terra? וְלֹא אֶחָד עִמָּךְ id est, dedit Israeli, qui est gens una, spiritum excellentem supra omnes nationes, & quod unus ille quarit, est semen Dei, semen benedictum a Deo, dum accipit uxorem ex filiabus Israelitarum, qui sunt semen Dei, filii Dei vivi, non filia Dei alieni, propterea cavete spiritui vestro &c.

VI. Aliam explicationem suggerit Doctissimus Criticus Lud. Cappellus in sua *Critica Sacra Lib. iv. cap. xviii. §. v.* Malach. 2. versu 15. καὶ ἡ ἑτέρα ἐποίησε legendum procul dubio, καὶ ἡ ἄλλη ἐποίησε, nempe LXX pro אֶחָד עִמָּךְ quod hodie legitur, legerunt אֶחָד עִמָּךְ Resch loco Daleth καὶ ἡ ἄλλη optimo sensu. Hoc enim vult propheta; Deus cum creavit Evam, eamque adduxit ad Adamum, ut illam ei sociaret, non aliam ei creavit, adduxit, & sociavit

fociavit conjugem, etiamsi id posset, & spiritus abundantia illi esset ad plures creandas. Cur autem aliam conjugem non ei creavit & adduxit, sed unam duntaxat? Nempe ut hoc hominem doceret, unam tantum (non plures simul) ei ducendam esse uxorem, eamque non esse repudiandam: sic enim fit per repudium, ne homo duas habeat simul uxores, illam nimirum, quam repudiavit, quæ prima est & legitima ejus uxor, quæque talis manet, non obstante repudio, deinde & illam, quam superinduxit, sed quæ illegitima est & adulterina: unde est quod Christus in Evangelio de repudio interrogatus a Phariseis, pronuntiet eum adulterum, qui repudiata prima uxore, aliam superinducit. Videtur ergo omnino hæc τῶν LXX lectio melior & convenientior hodierna, nisi interrogative legas illud אִתָּךְ וְאִתָּי & nonne unum fecit, idque accipias non de Adamo, sed de Eva, ut sensus sit, Annon unam duntaxat conjugem Adamo fecit, licet copia spiritus illi esset, quem pluribus (si voluisset) fœminis inspirare potuisset? Ita eodem redibit utraque lectio. Hæc Cappellus. LXX secutus est Arabs qui *آخر* alius habet loco אִתָּךְ unus.

VII. Has omnes expositiones duras, coactas, violentas & incommodas esse, quisque prudens lector facile judicabit, ideoque illis refutandis brevitati studens non immorabor, neque id hujus est instituti. Restant autem duæ aliæ interpretationes Judæorum & Christianorum Interpretum, de Adamo, alio sensu, quam hætenus audivimus, & de Abrahamo; quarum unam eligere tutissimum erit, quam præponderare censëbimus. Hieronymus, Calvinus, Junius, Piscator, Danæus, Drusus, Sixtinus Amama, Camero, Coccejus, Heideggerus, Witzius Ægypt. 11. c. 6. §. 11. Tarnovius, Quistorpius, Cornelius a Lapide, alique Doctissimi Interpretes de Adamo hoc pacto exponunt: *Nonne unum fecit?* (Hieron. *nonne unus fecit utrumque*) & *reliquum Spiritus ei?* Subintellige unum par, unum unius cum una conjugium, duos carnem unam, nim. Adamum & Evam, in prima conjugii institutione. Quod si placuisset ipsi copulatio plurium uxorum, declarat perspicue, spiritum, quem in nares earum inspiraret, sibi non defuturum, nec vires defuisse, ut uni viro plures uxores produceret. *E. quid unum illud?* una caro duorum? *quarebat semen Dei*, h. e. imagine Dei præditum, quod Adamo non poterat provenire ex multis uxoribus, matrimonio copulatis, quia polygamia pugnat cum prima institutione,

tutione, rectitudine conūgii, & amore conjugali, & in ea est mœchatio. Atque ita versiones Belg. Angl. Gallica.

VIII. Hanc interpretationem admodum illustrat R. Salomon Jarchi, quem etiam Abarbenel & Abendana allegant, sed improbant ולא אחד עשה פירש רשי על אדם הראשון שאמר הנביא והלא הקדוש ברוך הוא אחד עשה רוצה לומר זוג אחד אדם וחיה ולא איש אחד בעל שתי נשים ושאר רוח לו ושאר רוחות בני אדם לו היו רוצה לומר לאדם הראשון כי כמנו יצאו ואם כן מה האחד שבוג מבקש למצוא עלילות (עון) לאשתו שהיא זרע אלקים מה הוא תובעה שמכזה אותה, Annon unum fecit? *id explicat Raschi de primo Adamo; nimirum prophetam dixisse, nonne Deus S. & Benedictus unum fecit, id est, unum par, Adamum & Evam, non vero virum unum, Duas uxores habentem? & reliquæ Spiritus ei, hoc est, & reliquorum hominum omnium Spiritus in eo (primo Adamo) erant, ex eo enim prodierunt. Quare igitur unus, qui est in conjugio, quærit occasiones (iniquitatis) contra uxorem suam, quæ est semen Dei? quare causas querit eam spernendæ & contemnendæ? Addit Jarchius, hanc esse expositionem Targum Jonathan, sed Jonathanem verba ista ita exponere, ומה אחד מבקש כי אם זרע אלהים, quid autem unus quærit nisi semen Dei? Eam expositionem quidem veram esse censet Jarchi, nisi vox האחד unus punctata foret cum accentu Sakeph, quem ille dictioni מבקש quærens apposuit, qui eam cum vocibus אחד מה quid unus, conjungit, cum tamen vocibus אלהים זרע semen Dei copulari deberet.*

IX. Tandem sequitur interpretatio R. D. Kimchii, qui verbum illum referens ad Abrahamum, hoc modo exponit: ולא אחד אחד עשה, אברהם שהיה אחד ואב לכל הנאים אחריו באמנתו לא עשה כמו שאדם עושים כי לא רדף אחר התאוה ולא בעל אפילו בשרה (R. Sal. ben Me-lech legit ובכשר לו) אלא כדי להשאיר זרע אלהים כמו שצוה האל יתברך להשאיר זרע אלהים כלומר שצוה אלהים יתברך להשאיר זרע כמו שאמר פרו ורבו ושאר רוח לו יתרון הרוח היה לו ולפיכך לא רדף אחר התאוה ולא בעל אלא למצות פריה ורביה At unus non fecit, *nimirum Abraham, qui fuit unus, & Pater omnium credentium, qui post ipsum venerunt, non fecit hoc, quod vos faciis, quia libidinem suam non explevit, neque Saram etiam alio sine duxit, quam ut relinqueret semen Dei; quemadmodum Deus Benedictus semen Dei relinquere jussit, dicendo Crescite & multiplicamini: id est, excellentia spiritus ei erat, ideoque non explevit libidinem, neque uxorem duxit nisi propter præceptum fructificationis & multiplicationis.* Subjungit Kimchius cum R. Sal. ben Melech interpretationem patris R. Josephi Kimchii: *Illæ sunt verba populi ad prophetam per modum admirationis ita loquentis: Annon Abraham pater noster,*

noster, qui fuit unus, ita fecit, quemadmodum nos facimus, qui relicta uxore sua in uxorem duxit Hagarem ancillam suam, quamvis ille excellenti fuerit spiritu & propheta. Ad qua verba ipsis respondit propheta; Quid autem unus ille? quærebat semen Dei, quasi diceret, quando in uxorem duxit Hagarem, non nisi semen Dei in hac actione quæsit, quia non habebat semen ex Sara uxore sua; ideo tamen non perfide egit in uxorem suam, quia ea volente & mandante id fecit. Vos autem custodite spiritum vestrum, ne quisquam vestrum perfide agat in uxorem suam, eam relinquendo, & filiam Dei alieni sibi copulando. Illud וְרוּחַ לֹא יִשְׂאָר explicat de excellentia & dignitate, sicut Gen. XLIX. 3. excellentia dignitatis, & excellentia roboris. Prov. XII. 25. Excellentior est proximo suo justus. De Abrahamo etiam interpretantur Lutherus, Munsterus, Oecolampadius, Gualterus, Willius, Pagninus, Grotius, Castalio, Lucas & A. Oslander.

X. Ego omnibus expensis, existimo prophetam in hac pericopa digitum intendere in Adamum & Abrahamum, illum patrem quoad carnem, hunc quoad fidem simul; Subjectum autem אָחַד, de quo commate 15. esse Abrahamum, quod ex antecedentium & consequentium nexu, ex phrasi, & modis loquendi, collatione locorum parallelorum, cæterisque, quæ ad Scripturæ interpretationem requiri solent, mediis probari potest. In versu antecedente 10. mentio facta Abrahami *Patris nostri*, teste Calvino & Coccejo, qui tamen versum 15. de Adamo exponunt. Sequens versus 16. etiam commode refertur ad Abrahamum & historiam Abrahami, sive Deus dicatur ibi odio habere dimittentem, sive Abrahamus. Deinde Abraham אָחַד unus vocatur Jesa. LI. 2. Hebr. XI. 15. quia ab ipso omnes Israelitæ, ut ab unica stirpe, propagati sunt. Quemadmodum etiam Chaldaeus Paraphrastes reddidit: הָלָא חַד הוּא מִן אֲבוֹתָא עֲלֵמָא Nonne unus fuit Abraham solus, ex quo propagatus est mundus? & quid unus quæsit, nisi ut permaneret sibi proles in conspectu Domini? Syrus: Annon fuit אָחַד אִישׁ unus vir? Accedit, quod nomen יְרֵמִיָּה seminis de Messia, e muliere & Abrahamo oritur, usurpetur Gen. III. 15. XXI. 18. Ideo Abraham cognovit Hagarem, ut semen Dei quæreret, quo tunc adhuc carebat. Huc pertinet historia Abrahami Gen. XVI. XVII. XXI. XXI. Ut hæc omnia clariora evadant, brevem paraphrasin subnectere lubet.

XI. Deus per Prophetam Malachiam post contestationem de amore suo erga Israelem, cap. I. com. 1-5, reprehendit Judæos de

factis vitiosis erga Deum & primam tabulam Decalogi, primum in genere com. 6. Secundo in specie sacerdotes, a fine commatis 6. usque ad comma 10. capituli 11. & populum, non exclusis sed auctoribus sacerdotibus com. 11. 12. Deinde reprehendit peccata contra secundam tabulam, & quidem in conjuges, communi populi vitio perpetrata com. 13-16. (in sequentibus ob male dicta eundem populum reprehendit.) quando ita inquit: *Et hoc secundum facitis; primum vitium erat, com. 11. 12. quod conjugia cum foeminis gentilibus inirent, quæ historia in Esra & Nehemia. Secundum vitium, & secundum genus perfidiæ erat, quod fidem violarent uxori datam; id iterum duplex, designatur 1. generale est, & tam polygamiam, quam repudia & adulterium carnis respicit, quando facit maritus, ut prima conjux lacrymis operiat altare, com. 13. 14. 15. secundum est speciale, & divortium appellatur, sive dimissio uxoris com. 16.*

XII. Primum vitium generale damnat 1. a contestatione divina inter Adamum & Evam Genes. 1. 1. 23. 24. & postmodum inter alios conjuges, dum Deus tanquam conjugii auctor præsens est isti fœderi, & in conjugio contrahendo testis invocatur, & conjuges fidem sibi ex lege divina pollicentur, quemadmodum videre est Gen. xxxi. 39. Tob. vii. 13. Hieron. *testatus est inter te Sc. dicens, propter hoc &c. Gen. 2. 24. Et idcirco particeps dicitur Sc. uxoris conjunctionis Sc. fœderis, quæ a Deo de costa viri facta est. Item: de hac conjuge in Prov. 19. a Deo conjungitur uxor viro. Quod eleganter expressit Abarbenel: Viro ducente uxorem suam per consecrationem Sc. nuptias, Deus Benedictus contestatur istis literis matrimonialibus Sc. nuptiis; ideoque uxor, marito aliam superinducente, cum isto libello se confert ad Dominum, qui isti rei interfuit, querelam ad eum hac de re deferens, se quidem servasse, ad qua fuerit obligata, maritum autem perfide egisse. Addit sententiam Sapientum, filios Israelitarum coram altari dixisse, quid iniquitatis in nobis invenerunt mariti nostri? Ecce nos præsto adsumus coram altari, ut nos justificemus, ad modum Sota, i. e. uxoris adulterii suspecta. 2. damnat illud vitium generale a societate per fœdus & pactum mutuum: וְיָאָה חֵבֶרֶת וְאָשָׁה בְרִיתָךְ Cum ea sit societas tua, Sc. uxor fœderis tui, per fœdus matrimoniale ducta, ut pro auxilio & societate in re familiari & domestica esset, ex prima institutione.*

XIII. Hujus rei vitiositatem ostendit propheta exemplo contrario

rio

rio Abrahami, quo se tueri Judæi conabantur, qui præter Saram, duxit ancillam Ægyptiacam Hagarem Gen. xvi. nec tamen fecit, quod illi, ולא אחר עשה, *sed non fecit hoc unus*, quod vos, ut perfide egerit in conjugem, & *excellenter ei erat spiritus* (cujusmodi phrasim Num. xxvii. 18.) *quid ergo unus ille? quarebat semen Dei.* Quia accepta promissione de feminis sui multiplicatione, id, cum unicus adhuc esset, maxime quærebat. Sara autem sterili manente, hujus consilio & consensu Hagarem cognovit, non voluptate carnali & libidine, sed ut ex illa filium & semen promissum susciperet Gen. xvi. 1. seqq. Ex eadem historia constat, quod propter Hagarem odio non habuerit Saram, nec eam dimiserit vel repudiaverit; quin imo in ipsam Hagarem perfide quidquam committere noluit, sed urgente Sara, & mandante Deo, eam dimisit Gen. xvi. & xxii. xvii. 18. xxi. 11. Monet ergo Judæos, *ut custodiant spiritum suum, ne perfide agant in uxorem juventutis sue.*

XIV. Secundo vitium speciale damnat eodem exemplo Abrahami versu 16. כי שנת שלח אמר יהוה אלהי ישראל *Nam odio habuit dimittere vel dimissionem, vel illud vestrum dimitte.* Ita simplicissime, sine ulla enallage, verti possunt verba, in tertia persona: ut ratio detur, cur unus ille non ita fecerit. Quia cum Judæi divortia amarent, ille odio habebat dimissionem, ipsius etiam Hagaris ancillæ Gen. xvi. 5. xxi. 11. Deinde injuriam textit vestimento, id est, in se suscepit injuriam ab Hagare illatam cap. xvi. 5. atque injuriam risus Ismaelis cap. xxi. Gal. iv. 29. Non recte igitur verba vertuntur, *si oderis, dimitte,* (etsi Calvinus, Munsterus, Gomarus, aliique sensu comparato, non absoluto, eam versionem admittant, id est potius dimitte, quam ut ad latus alteram ducas. Spanhemius P. 111. *Dub. Ev. cxx.* vult, per ironiam in persona Dei dicta, uti Eccles. xi. 9.) quia per accentum voces illæ non distinguuntur, nec habetur in textu Hebræo כי שנת שלח neque, *si oderit, dimittat,* cum non dicatur כי שנת שלח, sed כי שנת שלח. Et docet Abarbenel, quosdam hunc sensum tribuere istis verbis *שנת שלח את המשלח אשתו* *Deum S. & Benedictum odio habere dimittentem uxorem suam.* Atque ita Grotius. Super eo disputarunt quoque Talmudistæ, Rabbi Jehuda & Rabbi Jochanan in *Talmud. Babyl. Gittim cap. ult. & Talm. Hierosol. Tract. Kidduschin*

רבי יהודה אומר אם שנת שלח רבי יוחנן אומר שנת המשלח ולא פליגי הא בווו ראשון הא בשווג שני ובדברי אלעזר דאמר רבי אלעזר כל המגרש אשתו ראשונה מוכח

מוריד עליו דמעות. *Rabbi Jehuda dixit, sensum esse, Si oderis, dimitte. R. Jochanan autem dixit, sensum esse, quia odit (Deus) dimittentem. Sed non pugnant ista sententia. Hac enim loquitur de conjugē prima, illa de secunda; juxta quod R. Elieser dixit: Quicumque dimittit uxorem suam primam, super eo altare fundit lachrymas. Atque ita Iunius, Toffanus, Genevenses & alii vertunt, Odit (Deus) τὸ dimittere, seu divortium, f. dimissionem, ut עלה sit nomen. Eandemque versionem probant Buxtorffius de Spons. & Div. Par. 11. §. 12. Piscator, versio Gallica & Deodatus in prima editione versionis Italicae. Quisque hic abundet suo sensu, an Deus vel Abrahamus hic sit odio habens. Melius tamen de Abrahamo, quam de Deo verba intelliguntur, cum Deus hic loquatur, & non dicat, odi dimittere, sed odit, in tertia persona. Et si hoc ipso Deus etiam odium suum testetur.*

XV. Videamus nunc, an nihil, uti clamant nostri polygamiae advocati, in hoc textu contra polygamiam contineatur, et si interpretes non conveniant in Subjecto, versu 15. & aliud dicant Biblia Ernestina. *Primo* militant pro monogamia omnia illa argumenta, quae supra ad primam Institutionem Gen. 11. 24. a nobis sunt allata, quaeque adferuntur ab illis, qui versum 15. de Adamo exponunt, postquam probatum est, ערוה sive Contestationem illam divinam versu 14. respicere illud, quod factum circa primum conjugium in mundo Gen. 11. 23. 24. & ostensum ex Scriptis Rabbiorum, uxorem, marito aliam superinducente, querelas ad Deum deferre de perfidia mariti, quod omnia servaverit, ad quae fuerit obligata, nec adulterii sit suspecta. *Secundo* quia Deus expresse testatus esse dicitur וְעוֹרֵךְ אִשָּׁה וּבֵין אִשָּׁה וּבֵין אִשָּׁה inter te & uxorem (non uxores) *adolescētia tua*, h. e. uxorem primam, quam in vegeta aetate duxisti. *Tertio* reprehenditur populus, quod perfide egerit quisque in uxorem suam. בְּגֵרָה est foedifragium, foederis & conjugalis thori & obligationis juratae voluntaria violatio, cum maritus amore non respondet maritae, & vice versa, sed alios concubitus quaerit. Quemadmodum Israelitae perfide agebant in Deum, non plane eum relinquendo, sed alienos Deos simul sociando & colendo Ier. 111. 7. 8. 20. XII. unde dicitur בְּגֵרָה יְהוּדָה perfida Jehuda, quae pactis foederalibus non stetit.

XVI. *Quarto* uxor dicitur חֵבֶרְתְּךָ socia tua, consociata & copulata חֵבֶרְתְּךָ סָר particeps tui Gen. 11. 18. cum qua societas rumpitur, si
alia

alia ei superinducatur. Unde חתן dici volunt, quia corpora horum combinatorum conjugum, Abrahami scilicet & Saræ, Isaac¹ & Rebecca, Jacobi & Leæ, ibi erant sepulta. *Quinto* quia est חתן ששא uxor fœderis tui, vel fœderatitibi, Fœdus est conventio partium mutua, & consensus in conditiones utrinque placitas, quæ libera utriusque voluntate recipiuntur: Quibus conditionibus immutabilis dilectionis, curæ & consortii obligatus est maritus, contra qui facit, perfide facit. Hinc adultera dicitur pacti Dei sui oblita Prov. 11. 17. quia fallens fidem marito datam simul violat legem divinam, quam in se observandam recepit. Fœdus enim uxoris cum marito contractum, est divinum, ratione auctoris instituentis, & invocati testis. Fallitur Arcuarius p. 15. quando hoc de generali fœdere cum patriarchis inito explicat, *Sexto* quia Abrahami exemplum excusatur aliquo modo, quod, licet ei expectandum fuisset promissionis complementum, non tamen ex libidine, sed ex necessitate & bona intentione, & quidem suafu ac jussu Saræ uxoris suæ, Hagarem cognoverit, cum semen Dei, quod quærebat, nondum haberet.

XVII. Sequuntur tandem Objectiones Daphnæi Arcuarii p. 121-126. 1. contendit prohiberi hic tantum exteras & infideles, sicut Deut. VII. 3. 2. Polygamiam prohiberi tantum sacerdotibus, de iis enim agi in hoc capite, sicut etiam Esræ x. 18. quem nonnulli Malachiam esse, velint. 3. Prophetam de illis loqui, qui uxores suas innocentes contemnant, & debitum amorem denegent v. 14. 15. non de illa polygamia, in qua maritus priori uxori debitum dat, in quem finem urget voces Hebræam חתן & Chald. חתן græcamque ἐγκατέλιπες. Addit, per secundum matrimonium dissolvi primum, adeoque in polygamia tantum esse unam carnem. 4. verba Malachiæ verti non posse, *Deus non unum fecit, sed unus non fecit*, vocem *Deus* non addi, & vocem חתן unus esse nominativum. 5. Si vel ita vertantur verba, *Deus non unum fecit*, tamen non procedere argumentum contra polygamiam, quia propheta non dicat חתן unam in foeminino, sed חתן unum in masculino, nempe unum virum, atque sic prohiberi polygamiam virilem, non muliebrem. 6. Prophetam intelligere Iacobum per חתן unum, qui id non fecerit, sed semen Dei quæsiverit; qui se non verterit ad alieni Dei filiam, nec adhortante patre Isaac Gen. XXVIII. Cananæam duxerit, sed Labanis filiam, nec Leam contempserit, & ad alieni Dei

Dei filias se receperit, sed rursus semen Dei quæſiverit, Rachel sibi adjungendo: Unde concludit, ex polygamia semen impurum generari non posse.

XVIII. Respond. ad 1. Negando, tantum de infidelibus & peregrinis agi. Utrumque Deus reprehendit, tum quod peregrina ducatur, tum quod viventi priori uxori alia superinducatur, quod liquet ex injuria & violatione fœderis com. 13. 14. id enim *secundum* est, quod faciebant. Quod ergo Deus conjungit, ab homine disjungi non debet. Ad 2. Resp. *primo* falsum esse, solis sacerdotibus polygamiam hic prohiberi, cum ex paraphrasi modo data constet, hujus criminis reum fuisse totum populum cap. 11. 11. seqq. Ad integram *Iehudam*, ad *populum Israeliticum & Hierosolymitanum*, vitium refertur, ut indicetur publicum & commune fuisse. *Tentoria Jacobi* commate 12. sunt domicilia, vici & oppida, in quibus habitabant filii seu posterii Jacobi. *Secundo* falsum est, Esdras loqui de solis sacerdotibus. Contrarium liquet cap. xi. 2. 5. 9. 10. 12. seq. totum enim populum congregatum Esdras reprehendit, quod matrimoniis illegitimis sese contaminaverint. *Tertio*, unde probatur, Esdras esse Malachiam? Abarbanel *Commentario in Malachiam*, refutat R. Nachmanidis sententiam, qui ex collatione Mal. 11. 11. & Esr. x. 2. colligit Malachiam esse Esdras; quia plures prophetæ & Sapientes unam eandemque rem reprehendere possunt. 2. Quia Malachias alia reprehendit, quæ præterit Esdras 3. quod Esdras scriba (& sacerdos) nunquam propheta vocetur. 4. quod Esdras sub initium templi ædificati, Malachias vero sub finem ejus, aut paulo post vixerit. Vid. Esd. vii. 1. 2. Reg. xxv. 18. 21. 5. ex silentio temporis prophetiæ Malachiæ, & collatione locorum Esræ v. 1. vi. 14. Mal. iv. 4. colligit, Malachiam omnium postremum post ædificium vixisse. Adde 6. quod nusquam Esra vocetur Malachias, vel Malachias Esra vocetur.

XIX. Ad 3. Resp. Distinguenda esse duo genera perfidiæ in uxorem sociam & fœderatam, sicut distinguit Malachias versu 13-15. & v. 16. Non enim perfidia duntaxat committitur dimittendo & separando uxorem, sed & secundam, tertiam pluresve addendo aut superinducendo, quarum mores magis forte placent, quam primæ legitimæ. Nec aliud inferunt voces Hebrææ נאם & Chaldæam, quas ex Cocceji Lexico transcripsit, ubi vitium typogra-

pographicum בן pro בן: quia בגר *perfidiam*, & obligationis juratae thoricque conjugalis *violationem* dicit, quæ locum habet non tantum in divortio, sed & polygamia ac adulterio. בן *spoliationem* & direptionem denotat, quæ observatur in polygamia, ubi uxor legitima jure illo & potestate, quam habet in maritum, spoliatur. Utut hic alia vox Chaldaica חרש reperitur, id est *inique egisti*, *tefellisti*, *dolose egisti*, *prævaricatus es*, *adulterasti*, *perfidus fuisti*, quo sensu apud Chaldaeos, Syros & Samaritanos occurrit. Græca vox ἐγκατέλιπες *reliquisti* significat, nec tantum ille relinquit, qui dimittit uxorem, sed & aliam qui superinducit. Figmentum illud, in polygamia dari varios contractus & varia matrimonia, supra *Sect. 1. Cap. VIII. Th. XII.* & seqq. confutatum est.

XX. Ad 4. Resp. Hanc meam etiam esse sententiam, melius voces reddi, *Et unus non fecit*; quia illa locutio de conjugis unius copulatione cum viro nimis obscura est, & אחד *unus* aptius cum substantivo aliquo jungitur, ut non desit nominativus & subjectum prædicationis. Id autem non obstare causæ monogamicæ, satis superque est demonstratum. Ad 5. respondebunt, qui de Adamo versum 15. interpretantur, cum R. Sal. Jarchi per אחד *unum* intelligi אחד אחד ולא אש אחד וזה אדם אחד וזה אחד *unum par*, *Adamum & Evam*, *non autem virum unum*. Denique ad 6. R. Nec Hebræos nec Christianos Interpretes textum de Jacobo exponere. Ipse Grotius etsi versu 10. per *patrem unum*, *Jacobum* intelligat, *a quo omnes orti*, hoc tamen versu 15. *unum Abrahamum* expressit. Data explicatio hanc etiam destruit expositionem. Ruente ergo hac hypothesi, corruere quoque necesse est totam ei superstructam molem, de solo infidelium & exterarum mulierum matrimonio prohibito.

XXI. Atque ita vidimus in Scripturæ S. Veteris Testamenti principio Gen. 11. 24. conjugium inter duos institutum; tempore medio, de novo mandatum Levit. xviii. 18. & in fine a prophetarum ultimo Mal. 11. 13. 14. 15. denuo inculcatum & in memoriam revocatum, non obstante permissione divina, qua tolerata, non approbata fuit Patriarcharum polygamia.

SECTIO QUINTA.

CONJUGIUM INTER DUOS EX NOVO
TESTAMENTO PROBATUR.

CAPUT PRIMUM.

*Iterum omnia N. T. loca, quæ agunt de conjugio, inter marem & femi-
nam, recensentur, quorum nullus faveat polygamia.*

PEnsi mei pars ultima jam absolvenda est, & argumenta stabiliendo conjugio inter duos tantum, ex Christi ore & Evangelistarum ac Apostolorum scriptis sunt depromenda, quæ potioris sunt notæ, ut adversariorum sententia magis labefacteretur & plane destrueretur. Quibus tamen rursus præmittere lubet omnium locorum N. T. catalogum, quæ de hac materia agunt. Matth. i. 18-25. *Josepho Maria desponsata* legitur. cap. v. 31. 32. *Qui se separat ab uxore sua &c.* cap. xviii. 25. *Rex habet debitorem venundari, & uxorem ejus, & liberos.* cap. xix. 2. *licetne homini dimittere uxorem suam, quavis ex causa?* vers. 4. *Opificem ab initio fecisse masculum & feminam;* vers. 5. *agglutinabitur uxori sue, & qui duo fuerant, erunt una caro;* vers. 6. *itaque non amplius sunt duo, sed una caro.* v. 10. *Quicumque dimiserit uxorem suam &c.* *Si tale est negotium hominis cum uxore, non expedit uxorem ducere.* vers. 29. *Quisquis reliquerit domos, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos, aut agros, causa nominis mei, &c.* Patrem, matrem & uxorem in singulari ponit, reliqua animata & inanimata in plurali. Cap. xxi. 24. 25. 26. 27. 28. *Frater ducet affinitatis jure uxorem ejus &c.* semper uxoris fit mentio in singulari numero.

II. Matth. xxv. 1. seqq. parabola occurrit de *decem virginibus* & uno *sponso*, non eo sensu, quod sponso decem sponsæ fuerint adducendæ; sed decem virginibus ponuntur, more Judæorum, qui denario numero maximopere delectabantur, sicut illorum Synagoga ad minimum decem hominibus constabat; quemadmodum & cœtus lugentibus solatium adferens, item circumcisio, contractus matrimonialis, aut conscriptio libelli repudii peragebantur, totidem hominibus præsentibus. Boaz contractum matrimonialem cum
Ruth

Ruth non inuit, nisi electis *decem viris*, honestioribus civitatis, ut contractus essent testes Ruth. IV. 2. Inde nata videtur consuetudo *decem virgines* assumendi ad solemnia nuptialia, quod raro infra illum numerum subsiderent. Hæ autem virgines ex eo genere convivarum erant, qui *φίλοι νομφίς* Joh. 3. 29, & *filiis thalami nuptialis* Matth. IX. 15. *paranymphis* Conf. I. Maccab. IX. 37. & Seld. *Ux. Ebr. lib. II. cap. XIII.* Quæ redeuntibus sponſis deductis obviam procedebant, circa mediam noctem, hinc lampades accensæ. Sponsus est Christus Eph. v. Virgines sunt omnes Evangelio vocati 2. Cor. XI. Fideles cum sponsa comparantur, quatenus unum corpus faciunt; sed alio respectu cum virginibus, extra thalamum sponſum expectantibus. Denique Matth. XXVI. 19. *Pilati uxor mittebat ad eum.*

III. Loca Marci x. 6-12. 19. 29. XII. 19-23. respondent citatis ex Matthæo. Adde Lucam cap. I. 5. 6. *Zacharia uxor Elisabeth, ambo pii coram Deo.* com. 18. 24. 27. cap. II. 5. 36. *Hanna cum suo marito vixerat 7 annos.* Cap. XIV. 20. 26. XVI. 18. XVII. 32. *memineritis uxoris Lot.* XVIII. 29. XX. 28-33. Johan. III. 29. *Qui sponsam habet, est sponsus.* Cap. IV. 16-18. XIX. 25. Quibus annumerari debet Joh. VII. 5. *de adultera*, quam Ligtfootus vult fuisse Israelitissam, non adhuc viro junctam, sed desponsatam tantum. Christus non condemnabat illam, politice scilicet, non ethice. Porro Act. v. 1. 2. 7. 9. 10. *Ananias cum sua uxore Sapphira.* cap. XVIII. *Aquila cum uxore sua Priscilla.* cap. XXIV. 24. *Felix cum sua uxore Drasilla.* Hæc ex Evangelistis.

IV. Sequuntur loca ab Apostolis citata. Rom. IV. 19. VII. 2. 3. IX. 7. 9. 10. XVI. 3. I. Cor. v. 2. Cap. VII. totum. Cap. IX. 5. *Potestatem habemus circumducendi uxorem.* XI. 3. *Christus est cuiusque viri caput, vir autem est mulieris caput.* comm. 7. *uxor est viri gloria.* comm. 8. *nam vir non est a muliere, sed mulier a viro.* com. 9. *Et vir non est conditus propter mulierem, sed mulier propter virum.* com. 10. *ideo mulier potestatem habeat in capite propter angelos.* com. 11. *Sed neque vir est sine muliere, neque mulier sine viro in Domino.* com. 12. *nam ut mulier a viro, sic et vir venit per mulierem.* Cap. XVI. *Aquila et Priscilla,* 2. Cor. XI. 2. Gal. II. 22-31. Eph. v. 23-25. 28. 29. *vir uxores suas ament, ut sua propria corpora, qui uxorem suam amat, is amat seipsum, nam nemo suam carnem odio habet.* com. 30. 31. 32. 33. *quisque amat suam uxorem, ut seipsum.* (est uxor alter ille.) I. Tim. II. 12.-15. III. 2. *Episcopus unius uxoris vir.* com. 12. 2.

Tim. iv. 19. Tit. i. 6. Heb. xiii. 4. i. Pet. iii. 6. 7. *mulier vas infirmius*. Augustinus *lib. i. de Myst. c. viii.* per *vas infirmius* i Thef. iv. 4. etiam intelligit *uxorem*; quem secutus est Cl. Heinſius. Vide *Notas Cl. le Moynes, ad Barnabæ Epistolam Tom. ii. p. 628.*

V. Adde denique loca ex Apocalypſi cap. xix. 7. *nuptia agni venerunt, & uxor ejus paravit se. xxi. 2. Et ego Johannes vidi sanctam illam civitatem Hierusalem novam, descendentem a Deo de caelo, paratam ut sponsam ornatam viro suo. com. 9. veni, ostendam tibi sponsam uxorem Agni. Cap. xxii. 15. Foris autem sunt scortatores &c com. 17. Et spiritus & sponsa dicunt, Veni. Ex quibus omnibus liquet, Christum & Apostolos, quoties de conjugio agunt, non plures, sed duas numerare personas, maritum unum & uxorem unam, sponsum unum & sponsam unam. Pluralis locutio Eph. v. 22. Colof. iiii. 18. 19. ubi jubentur mulieres ὑποτάσσεται τοῖς ἰδίοις ἀνδράσι *viris propriis*, distributive intelligenda est, ita ut hic sit sensus ejus distributivus: Quælibet uxor proprio suo marito debet esse subdita, sicut exponitur Rom. vii. 2. 3. i. Cor. vii. 2.*

CAPUT II.

An ex Matth. v. & xix. locisque parallelis Marci x. 2. seq. Luc. xvi. 18. polygamiam prohibitam esse, colligi possit?

Theophilus Aletheus *Thesi LXXXI. ex Novo Fœdere nulla argumenta contra polygamiam posse deduci*, audacter asserere non veretur, cum in *N. T.* nulla nova leges sint lata, sed quicquid peccatum in Novo, etiam sit & fuerit peccatum in *V. T.* Addit, *legem non dicere, non concupisces alterius uxorem, adeoque polygamiam lege morali, quæ regula omnium peccatorum, non esse prohibitam. Idem urget Athanasius p. 493.*

II. In eo facile assentiri possum Theophilo, eandem esse legum rationem sub *V.* & sub *N. T.* & quod in *N. T.* peccatum, in Veteri quoque tale fuisse, nempe in oculis Dei; ut ab hominibus pro eo quandoque non haberetur, permittente Deo nonnulla, uti divortium & polygamiam, quæ nunquam approbavit. Hæc tolerantia non ethica, sed politica, & potius non-impeditio, quam permissio & concessio erat. Ideoque Christus legem explicare, atque a Phariseorum glossematis vindicare voluit. Quod multis demonstrari posset, nisi id occupatum & solide præstitum esset a viris eruditissimis, & consentientes

tientes haberem adversarios. Sed miror asserendi confidentiam, quod in N. T. nulla extare argumenta, putet, contra polygami-
am, quæ tam manifesta visa sunt Grotio, ut legem Hebræam plures
quidem uni concedere uxores, sed post promulgatam Evangelii
vocem peccari, judicaverit, si quis pluribus consuescat *Lib. II. de
Iure B. & P. cap. v. §. 9. de Relig. Christ. lib. II. §. VI.* Hæc etiam ra-
tio est, cur *Commentario ad Levit. XVIII. 18. Caraitarum sententiam.*
qui volebant vetari hic, duas habere eodem tempore uxores, nostro seculo
renovasse viros non ineruditos, existimet, quia nolint quicquam in Evan-
gelio esse vetitum, quod in lege licuerit: quibus refellendis tamen suffice-
re, dicit, quæ dicta in libro de J. B. & P. lib. c. 5. §. 9. Atque ita senti-
unt Slichtingius, Volkelius, aliique Sociniani, polygami-
am in V. T. permissam, pro peccato cenferi non posse, sed Christianam perfe-
ctionem & sanctitatem eam adulteriis annumerare.

III. Ostensum supra *Sect. IV. cap. 1. in Decalogi VII. & X. præ-*
ceptis, polygami- am, nomine adulterii & concupiscentiæ, pro-
hiberi, idque probatum ex hoc ipso loco Matth. v. 28. quem Th.
Aletheus Thesi LXXXI I. citavit. Quandoquidem Christus septimo
præcepto ipsum aspectum impudicum comprehendi docet, nec tan-
tum aspectum libidinosum τῆς γαμετῆς, sed vere cujuscunque mu-
lieris. Aspectum libidinosum dico. Secus enim solutus solutam ad
concupiscendum aspicere potest, non autem solutus conjugatam,
nec conjugatus solutam, minus conjugatus conjugatam. Frustra
oggannit, legem non dicere: non concupisces plures uxores, sed alte-
rius uxorem. Rogo enim Theophilum, ubi lex dicat, non di-
mittendam esse uxorem, nec ducendam aliam? id in Decalogo non di-
citur, & tamen peccatum & adulterium esse, Salvator testatur.
Sicut ergo hoc sciri poterat & debebat ex institutione primæva,
docente Christo, & comprehendebatur in Decalogo, ita ex eodem
fonte & principio sciri poterat, polygami- am esse peccatum.

IV. Sed ne utiquam diffitemur, *præcipuum locum in Evangelii-*
stis, ubi causæ nostræ arcem ponimus, esse Matth. XIX. Quia conjugii
sanctio consistit in primæva ejus Institutione, a Christo allegata ex
Gen. II. 24. quæ proprie hujus controversiæ principium est, in
quo Christus causæ matrimonialis arcem posuit, quem tuto sequi-
mur Doctorem. Scomma, quod jacit in hostes polygami- as ibidem
Theophilus, *in omnibus Scriptura locis Polygynacias prohibitionem eos*
quæsi- visse, sed nusquam invenisse, in Auctorem retorquendum, qui

ex multis locis V. T. polygamiam stabilire fategit, irrito plane conatu, & successu infelici. Eum autem non puto frustra quære-
re suæ causæ fundamentum, qui cum Christo ad principium & pri-
mam institutionem astringit. Quam apposite hoc fine Theophilus
allegarit ex Scriptura *factum Israelitarum Regis, qui servos suos in omnes
nationes & regna miserat ad quarendum Eliam* I. Reg. xviii. 10. Le-
ctoris iudicio committo. Conferri possunt similes allegationes *Sect.*
II. cap. III. Th. VII.

V. Verba Christi Matth. xix. prolixè explicare non aggrediar,
quia *Sect. I.* ex Institutione satis enucleata sunt: Nec expendam
nunc rationem divortii, de quo Arcuarinus *Par. I. c. v. p. 24-38.* &
quæstionem de solubilitate aut insolubilitate vinculi matrimonia-
lis; ea enim ad hoc institutum non spectat. In præsentiarum huic
soli quæstioni inhærebo, an rectè verba Christi de matrimonio ad
Pharisæos, applicentur ad impugnandam polygamiam, qua quis dua-
bus vel pluribus uxoribus vinculo conjugali conjunctus est. Id ne-
gant nostri polygamie propugnatores omnes. *Ne verbulum enim hic
extat, inquit Theophilus Aleth. de polygamia, sed de divortio, de quo
quærebant Pharisei, est sermo.*

VI. Contentio & disceptatio erat duas inter Scholas Judæorum,
Hillelis & Sameæ, de divortiorum causis. Domus sive Schola Sam-
mæana unam tantum causam esse asseverabat, ob quam divortium
toleraretur, rem scilicet turpem, sive adulterii suspicionem, ex
illis verbis Mosis דבר ערוה Deut. xxiv. 1. Domus autem Hilleliana
omnem causam, vel minimam quamque offensionem ad repudii
jus admittebat, verbis illis ויהי אם לא תמצא הן בעיני *si non invenerit
gratiam in oculis ejus*, tantum usurpatis. Domus Hillel latius exten-
debat causas divortii, subtilius illa verba דבר ערוה dividendo, ut sen-
sus sit דבר או ערוה או *aut turpitudinem aliquam, aut rem atiam* fœdam.
His duabus sententiis tertia accedebat, quæ suffragabatur domui
Samai causæ genere, sed in species genus illud, nempe fœditatem,
dilatabat. De qua Grotius ad Matth. v. 31. *Hodie, inquit, Judæi
neque Samaam sequuntur, neque Hillelem. Probant enim divortium ob
multas causas, ἐκ τῶν τῆς πορνείας.*

VII. Ex diversis igitur Scholæ auctoribus natæ illæ quæstio-
nes, An liceret viro uxorem dimittere *κατὰ πᾶσιν αἰτίαις* qualibet
ex causa Matth. xix. 3. Item *cur Moses præceperit libellum repudii
dare, & dimittere uxorem?* Ad posteriorem Christus respondebat,
Mosem

Mosē non præcepisse velut rem licitam, sed tantum *permisisse* ob *σκληροκαρδίαν* Judæorum. *ἐπιτρέπειν* est *rem arbitrio alicujus committere*, sive *permittere*; Pharisei autem inde præceptum faciebant voce *ἐνετείλατο* *mandavit*. Ideoque Christus videns, hanc quæstionem sibi tentandi causa propositam fuisse, etiam vocat *mandatum* Marc. x. 3, dicendo, *quid vobis mandavit Moses?* quem quæstionis aculeum sentientes Pharisei respondebant, Mosē non mandasse, sed permisisse libellum discessionis scribere. Sed perperam Ptolomæus *apud Epiphani. hæres. 33.* ex hoc loco & Matth. xv. 2. 3. tres legum in Pentateucho species colligebat. 1. quasdam a Deo datas, 2. quasdam a Mose, (qualis hæc) 3. quasdam a Presbyteris. Cum tamen Mosēs non injussu Dei hanc dimissionem permiserit in foro politico.

VIII. Ad priorem quæstionem respondebat ex prima Institutione conjugii Gen. 11. 24. maritum & uxorem indissolubili nexu ita esse conjunctos, ut separari nequeant, nisi in casu fornicationis. Primum illud & vetustissimum præceptum, *Vir adhaerebit uxori suæ*, Pharisei per traditiones & arbitraria divortia sua, in nihilum redegerant; ostendit ergo Christus, illud manere in perpetuum in suo vigore, licet homines transgrediantur. Duos autem actus Christus proponit, *dimittere uxorem, & aliam ducere*, atque utrumque cum primæva Institutione pugnare, docet. Priorem præcipue cum verbis, *vir adhaerebit uxori suæ*, nexu scilicet indissolubili; posteriorem vero cum primis, cum istis verbis, *Opifex ab initio fecit masculum & feminam, & erunt duo in carnem unam*. Atque ita uno responso duplicem solvit nodum, occasione quæstionis propositæ. Neque illud ei insolitum & inusitatum, unica responsione ad quæstionem plura significare. Quemadmodum videre est Matth. xxiv. xxv. Marc. xiii. Luc. xxi. ubi interrogantibus discipulis, *quando hæc erunt*, respondet de excidio Hierosolymitano, & consummatione sæculorum.

IX. Non ergo divortium duntaxat, sed & polygamiam simultaneam, quæ inde sequebatur, Christum velle vitatam, liquet 1. ex creatione unius maris & unius femine ac institutione conjugii, ab ipso allegata com. 4. 2. quia vir secundam, tertiam aut plures uxores sibi jungens, cum prima quasi divortium facit, non *adhaerens uxori suæ* com. 5. Separat enim semetipsum a conjugē suæ, & cum altera, contra divinam ordinationem, se coniungit. 3. Expresse dicit, quod *duo debeant esse in carnem unam*, quæ ratio æque

æque locum habet in omni polygamia simultanea, ac in divortio. Siquidem contra illud institutum peccat, quicumque priore uxore superstite, aliam ducit, quia vir non fit una caro cum mulieribus. Huc pertinent reliqua argumenta, quæ in expositione *Institutionis Conjugii* supra allata. Superflua fuisset additio vocabuli *duo* nisi Christus docere voluisset, non nisi duos in matrimonium conjungi debere, & omnem superinductionem uxoris adulterium esse.

X. 4. Quia, *quicumque dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam ducit, mœchatur* com. 9. Quæ *mœcheia* aut consistit in eo, quod illegitime dimittat uxorem suam, aut quod dimissæ superinducat aliam, aut in utroque. Hæc duo enim ponuntur. Non in priori, quia adulterium, stricto significato voce sumpta, non committit, qui se separat ab uxore. Notum enim est, strictissimo significato adulterium dici concubitum cum alterius uxore, stricto vero sensu personæ conjugatæ cum alia soluta, laxo denique aspectum libidinosum eo nomine venire Matth. v. 28. quo etiam pertinet nuda separatio & dimissio; Ergo consistit in posteriore, quod uxori dimissæ vinculo conjugali adhuc sit obstrictus maritus eam dimittens, & per novas nuptias cum alia adjuncta torum conjugalem violet. Simili autem modo mœchatur maritus unus duabus pluribusve uxoribus simul vinculo conjugali & toro conjunctus. Rectissime etiam adnotat Camero, non sine emphasi dici *uxorem suam*. Satis enim videbatur dixisse uxorem, quando alienam nemo dimittit, sed *suam* addit, ut dimittenti uxorem vel plures superinducendi acrius pervellatur auris, cum officii sui admoneatur.

XI. 5. Si mœchatio comitteretur a viro uxorem dimittente, per ipsum separationis actum, non autem per superinductionem alterius uxoris, verba illa, *& ducit aliam*, essent superflua. 6. Si non pugnasset polygamia cum prima Institutione, ex qua Christus respondet, cur non dedisset hoc consilium Phariseis, ut prioriam superinduceret? ita in V. T. propter sterilitatem, aliarumve qualitatum & virtutum defectum, aliam adjunctam esse legimus. Exemplum est in Abrahamo, Jacobo, Hanna. Tales enim imo multo leviores rationes hic urgebantur a Phariseis, cum primis a domo Hillelis. At tantum abest, ut commendet priorem retinendam, & alteram ei superinducendam, ut potius & separantem se & ducentem aliam, & separatam & ducentem separatam adulterii damnet.

XII.

XII. Videamus nunc, quid excipiant polygamiae propugnatores. 1. Athanasius Antagonistam culpatur p. 493. quod dicat, polygamiam pugnare cum primæva institutione & sua intrinseca natura adulterium importare, cum tamen Gen. 1. institutum sit conjugium, non capite 11. Aut enim ante verba, *crescite & multiplicamini* Gen. 1. 28. aut tunc cum hæc verba proferrentur, aut post cœpisse existere conjugium; non ante hunc locum aut Adamum creatum, quia nulli dantur Præ Adamitæ. 2. Idem p. 480. excipit, satis clare ex illis verbis Gen. 11. 24. *relinquet, adhærebit uxori, erunt una caro*, perspicuum esse, divortia pugnare cum natura conjugii, at illas bonas consequentias se nondum vidisse, quibus polygamiae antipathia cum prima institutione, ejusque, ceu adulterii, iniquitas fuerit ostensa. 3. p. 500. argumentum Antagonistæ *Si ille, qui dimissa uxore ducit alteram, mœchatur, multo magis ille, qui retinet & ducit aliam, mœchatur*, refutat, ostendendo diversitatem, quod dimissio uxoris sit mœchatio, quia est contra naturam conjugii; sed retinere uxorem & ducere plures, non esse contra matrimonii naturam, nec esse peccatum. Idem objicit Arcuarius p. 142. polygamiam non pugnare cum Institutione, cum in ea diversi sint contractus. Si quis, adulterium in eo consistere, putet, quod maritus ducat secundam uxorem, tunc & illum adulterium committere videri, qui post mortem uxoris, & post legitimam separationem, secundas init nuptias. Ideo a Christo eum, qui se separat, & aliam ducit, non vocari adulterum, quod uxor adhuc vivat, sed quod omni spe conciliationis jam sit destituta. Si omnes secundæ nuptiæ primum matrimonium solverent, Christum tot verba non fecisse de separatione, sed nude dixisse, qui aliam ducit, committit adulterium.

XIII. 4. Th. Aletheus adulterium in neutro constitui posse, putat, nec in eo, quod dimittit uxorem, nec in hoc, quod aliam ducit. Cum is non mœchetur proprie, sed tantum improprie, tanquam causa moralis, quod dimittendo uxorem faciat, ut uxor dimissa adulterium committat, quod probat ex Marc. v. 32. & Smidii auctoritate confirmat 5. Pergit Athanasius p. 481. 496. 498. repudiatorem uxoris non fornicariæ se separare, quantum in se est, in solidum a sua uxore, & vinculum matrimoniale totaliter rumpere, alterique more solito concedere uxorem pristinam. Mœchationem consistere in separatione, quod separans violet torum & quidem suum, & rumpat vinculum cum priore,

M m

a qua

a qua se separat; non in ductione alterius, aut superinductione secundæ uxoris, cum qua vinculum non rumpi, sed novum matrimonium contrahi putat. Et τὸ γαμεῖν non superinducere, sed uxorem ducere, vel viro nubere significare, vocem igitur *superinductionis* hic non habere locum, utpote quæ præsupponat uxorem non separatam, sed manentem, sed melius dici posse, substituere in prioris locum aliam, quod Deo maxime abominabile. 6. Athanasius Vinc. particulam *ε*, ut Hebraicum *vau*, causaliter exponi posse docet, ut Exod. vii. 26. 1. Sam. xx. 16. hoc sensu; qui se separaverit ab uxore sua, ut ducat aliam, mœchatur. Arcuarius vero urget p. 142. in textu *ε*, non *aut* dici. 7. Subjungit Theophilus Al. Apostolos ita verba Christi non intellexisse, quia polygamiam inter peccata a regno cœlorum excludentia non recenserint.

XIV. Respond. ad 1. Illud commentum, institutum esse conjugium non capite secundo, sed primo Geneseos, supra Sect. 1. cap. 111. satis confutatum est. Ostensum ibi Gen. 1. 28. legem generalem contineri, sed specialem & ipsam Institutionem cap. 11. 24. Gratis igitur excipitur, aut ante hunc locum Gen. 1. 28. aut tunc cum hæc verba proferrentur, aut post cœpisse existere conjugium. Institutio enim illa cap. 11. 24, ut immediate cum lege generali & benedictione cap. 1. 28. connexa concipi debet, etsi diversis capitibus narretur. Quemadmodum D. Pareus hanc naturalem historiæ seriem esse probat. Gen. 1. 26. cap. 11. 7. 15. 18. 22. cap. 1. 28. cap. 11. 23. 24. cap. 1. 29. cap. 11. 16. 17. Pariter Salianus *Annal. Ecclesiast. Vet. Test. Tom. 1.* hunc rerum gestarum ordinem ponit Gen. 1. 24. 25. 26. 27. Cap. 11. 7. 8. 15. 18-24. inclus. cap. 11. 28. 29. 30. cap. 11. 16. 17. Ergo vel verba illa Institutionis Gen. 11. 24. præcesserunt legem generalem cap. 1. 28. vel immediate illa exceperunt, ut unus, non diversi actus hic sint intelligendi. Adam enim mulierem ex se desumptam esse cognovit, & ex ea Evæformatione de matrimonii ratione etiam disseruit, quod illatio *ε* *propterea* ex præcedentibus edocet. Cum autem de speciali revelatione nihil legamus, Adam id iusta rationatione potius collegisse videtur, non tantum ex iis, quæ sensibus se prodebant, sed etiam quæ sola mente intelligebat, mulierem ex se desumptam esse. Quod Deus approbavit. Atque ita leges illas matrimonii, quas Adamus edisseruit, ab Opifce dictas

etas esse, Christus testatur Matth. XIX. 5. Deo ita dirigente. Nisi verba illa tanquam a Mose ex inspiratione divina prolata capere malis.

XV. Peyrerius *lib. 3. cap. 1. 2. 3.* Adamum illum, de quo cap. 11. Geneseos, non primum hominem, sed patrem primum Judæorum, multis seculis post illos primos mares & foeminas cap. 1. conditum esse putat, cui istæ leges sint datae, ut capite 11. non narretur series rei ante actæ, sed principium rei novæ apud Hebræos. Cujus sententiæ primariam rationem adfert, quod prima creatio primorum hominum, capite primo narrata, confecta sit uno illo sexto & ultimo die creationis. Impossibile autem esse, transacta fuisse ista omnia, quæ narrantur capite 11. ab Adamo formato usque ad Evam ædificatam, per id temporis, quod adhiberi potuit a vespera ad mane unius diei. Quæ mera cerebri figmenta sunt, quibus repugnant loca Gen. 11. 5. cap. v. 1. 2. & cap. 11. 20. *non aderat Adamo auxilium.* Difficultati isti, uno die omnia transacta esse non videri, supra occurrimus Sect. 1. cap. IV. unde hic abstinemus a digressionem.

XVI. Ad 2. responsio est in promptu. Si non clarius, saltem æque clare ex verbis illis, *marem & foeminam creavit eos, vir adhaerebit uxori suæ, duo erunt in carnem unam*, liquere, polygamiam esse prohibitam, ac divortium ex istis verbis, *relinquet parentes, adhaerebit uxori, erunt caro una.* Ad 3. Resp. nullam illic esse diversitatis rationem, nisi quod retinens priorem, non plane repudiet, revera tamen ab illa se separat, quando alii dat potestatem in suum corpus. Deinde falsissimum est, quod Ath. Vincentius & Arcuarius contendunt, polygamiam non pugnare cum matrimonii natura & primæva Institutione. Sectione 1. contrarium vidimus. Ratio autem, cur Christus tot verba fecerit de separatione, est, quod Pharisei illam quæstionem ipsi proposuerint. Arcuarius p. 143. ex Musæo it persuasum, polygamum suis uxori- bus vinculo & toro conjugali obstrictum, ideoque in polygamia non esse adulterium. Id autem factum esse, liquet ex Athanasio, & disertis verbis Musæus dicit *Thesi VII. citata, quemvis polygamum violare torum conjugalem, & committere adulterium, quod uxore prima vivente, sibi que non solum vinculo conjugali, sed & toro adhuc conjuncta, ducit aliam, & cum utraque se carnaliter commiscet, & paulo post: qui uxori vinculo conjugali & simul toro sibi conjuncta, superinducit aliam, superinducendo illam committit adulterium.*

M m 2

XVII. Ad

XVII. Ad 4. Resp. Interpretationem Theophili nullo niti fundamento, *mæchatur*, i. e. facit mæchari, in qua significatione vox illa non occurrit. Neque aliter Interpretes vocem vertunt Syrus *ܡܚܝܚܐ* Arabs *محرأ* Æthiops *ዘመድ*: i. e. *mæchatus*, *scortatus est*, *adulteravit*. Neque ea probatur ex Matth. v. 32. ubi expresse dicitur *ποιεί αὐτὴν μοιχᾶσαι* *facite eam mæchari*, cum ibi de divortio simpliciter loquatur, nulla ratione habita superinductio- nis alterius uxoris: diversa enim sunt subjecta Matth. v. 32. & XIX. 9. illic est repudians uxorem, hic vero repudians & aliam ducens. Atque inde oriuntur diversa prædicata, ut repudians u- xorem *facere mæchari*, sed repudians & aliam ducens *mæchari* dicatur. Utrumque autem in virum cadit, qui dimittendo uxo- rem suam, quæ se continere nequit, *facit eam mæchari*, & ipse ducendo aliam *mæchatur*. Ne dicam, quod inepta illa explicatio repugnet verbis Christi apud Marcum cap. x. 11. *mæchatur adver- sus illam*; id verti nequit, *facit, ut uxor dimissa mæchetur adversus illam*. Neque illud figmentum Schmidius comprobat, *μοιχεύειν* vel *μοιχᾶσαι* accipi de desertione uxoris, & aliis pacto conjugali contrariis actibus, absque copula carnali.

XVIII. Ad 5. Resp. iterum exceptionem istam falso niti fun- damento, quasi in separatione illegitima non maneat vinculum ma- trimoniale; cum virum & uxorem tamdiu sibi obligari, constat, donec alter eorum, vel uterque moriatur Rom. vii. 2. 3. ordina- rie nimirum, & matrimonio per crimen non abrupto, & extra ca- sus in verbo Dei definitos. Etsi enim jus illud sit in fonti aliud in- cundi matrimonium, quia ob alienum crimen nemo suo jure pri- vatur, denegatur tamen fonti, cum illud scelere non acquiratur. Adeoque revera hic datur *superinductio*, quamdiu legitima sepa- ratio non intercessit. Ad 6. Resp. Præterquam quod Interpretes particulam *ET* hoc loco ita non exponant, unde nec temere & sine ratione a communi significatione deflectere licet, ostensum est, eum, qui dimittit uxorem suam, nisi aliam ducat, proprie non mæchari, voce illa mæchationis vel adulterii stricte sumta. Acce- dit, quod Arcuarius contra, significationem *ET* urgeat. Denique ad 7. exceptionem Resp. 1. Negando consequentiam a particulari ad universale; Apostoli non recensuerunt polygamiam inter pec- cata, a regno cælorum excludentia, Ergo polygamia a Christo Matth. XIX. 9. non fuit prohibita. 2. Negatur minor. Cum enim adul-

adulterium peccatis annumerent, quæ excludunt hominem a regno cœlorum, 1. Cor. vi. 9. 10. Gal. v. 19. 21. etiam polygamiam, quæ sub adulterio comprehenditur, illis annumerarunt. Quemadmodum mox pluribus probabimus ex 1. Cor. vii. Eph. v. & 1. Tim. iii. Apostolos ita verba Christi intellexisse.

XIX. Concludit tandem Ath. Vincentius, verbis illis Christi Matth. xix. 11. ἔ πάντες χωρῶσι τὸν λόγον τῆτον *Non omnes capiunt hunc sermonem*, quæ applicat antipolygamis. *Plerosque enim rusticantes cerebrum humoribus crassissimis impeditum gerere, ut non possint intelligere, quæ sunt spiritus Dei; alios præconceptis opinionibus imbutos, ut ad veritatem amplectendam fere plane sint inepti; alios in conscientia convictos confiteri nolle veritatem, ne odium incurrant; alios ex malitia veritatem evertere.* Egregia conclusio & reprehensio. Christus adhortatur ad castitatem & cœlibatum, & in eo ponit, quæ sunt spiritus Dei; noster vero polygamus non tantum ad matrimonium sed & pluralitatem uxorum hortatur, & in voluptatibus carnis ea, quæ spiritus sunt, ponit.

CAPUT III.

Clarissimis verbis Paulus 1. Cor. vii. improbat polygamiam.

Misso argumento ex 1. Cor. vi. 16. quo D. Arcuarius pag. 154. polygamiam probat, si vir cum scorto præter suam uxorem sit una caro, polygamia erit licita, quod supra excussimus; videbimus, quid roboris sit in Capite vii. prioris ad Corinthios; Legat quis totum, deprehenderit plurima argumenta contra polygamiam. Plane inuit Apostolus hoc & xi. capite, tale esse inter marem & foeminam relationis vinculum, ut alter sine altera esse nequeat, & unus in alterius corpus potestatem habeat. *Primum* argumentum contra polygamiam occurrit commate 1. καλὸν ἀνθρώπῳ γυναῖκός μὴ ἀπτεῖσθαι *bonum est viro mulierem non attingere.* Non peccat, sed bene facit, qui unam non attingit, quomodo igitur peccabit, qui plures non ducit? quod contendunt polygamix defensores. Apostolus enim loquitur de muliere, non de mulieribus.

Secundum argumentum suppeditat comma 2. διὰ δὲ τὰς πορνείας ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα ἔχεται, καὶ ἕκαστη τὸν ἴδιον ἄνδρα ἔχεται *Sed propter scortationes suam quisque uxorem habeto, & proprium quisque virum habeto.* Non dicit, quisque uxores habeto, sed uxorem,

M m 3

rem,

rem, & quidem suam; & quæque uxor habeto, non plures uxores habento, virum *proprium*. ἴδιον opponitur τῷ κοινῷ. At si vir habeat plures uxores, eas necesse est, habere maritum cum aliis communem, *non proprium*. Nostri propter scortationes polygamiam passim commendant. Apostolus autem non nisi unicam uxorem ad illud vitium vitandum ducere jubet. Qua ratione polygamia infringitur. Qui enim plurium maritus simul existit, unius *proprie* dici nequit. ὅστις ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων τὴν αὐτῆ φιλέει καὶ κηδεταί *nam quisquis bonus & prudens est, suam ipsius amat & curat.*

III. *Tertium* desumitur ex com. 3. τῇ γυναικὶ ὁ ἀνὴρ τὴν ὀφειλομένην εὐνοίαν ἀποδίδωτω. οὐμοίως δὲ καὶ ἡ γυνὴ τῷ ἀνδρὶ. *Uxori vir debitam benevolentiam reddito; similiter autem & uxor viro.* Non dicitur de uxoribus, sed de *uxore*, in singulari, estque reciprocatio, uxori vir, viro uxor, non uxores: εὐνοία *benevolentiam, benignitatem, debitum maritale* significat, quod Syrus reddit ἀγάπην *amorem, quem debet.* Pariter Arabs. Hebræis *תנן* tempus statum vocatur, quod, ut aliquoties notatum, volunt maritis a Deo præceptum Exod. XXI. 10. Prope ad illud nomen accedit, quod Homerus aliique concubitum Φιλότητῳ nomine expriment. Musæus in Erotopægnio v. 222. eleganter *νοχίην Φιλότητα nocturnam amicitiam* vocat. Debiti illius conjugalitatis redditio argumentum saltem est mutui inter conjuges amoris, & mutuae benevolentiae indicium. Et propter hanc debitam benevolentiam uxor maritum a ducendis pluribus prohibere potest. Quamdiu autem matrimonium durat, tamdiu seruituti mutuae subiecti sunt conjuges.

IV. *Quartum* extat com. 4. ἡ γυνὴ τῆς ἰδίας σώματῳ ἐκ ἐξουσίας, ἀλλ' ὁ ἀνὴρ. οὐμοίως δὲ καὶ ὁ ἀνὴρ τῆς ἰδίας σώματῳ ἐκ ἐξουσίας, ἀλλ' ἡ γυνή. *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: SIMILITER (Syrus καὶ ἀνὴρ pariter etiam) autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor.* Hinc est, quod pater sibi uterum tribuat Job. XIX. 17. *filii uteri mei.* quia venter uxoris etiam viri est, & vice versa. Potestas viri & uxoris ab Apostolo ad usum conjugii adæquata statuitur, & æqualis utriusque obligatio. In cujus igitur corpus unica tantum uxor habet potestatem, vi legis divinæ, ille vi interdicti divini non potest alteri uxori vivente priore, sui corporis potestatem facere. Non enim potest quis conferre alteri, quod amplius non habet, sed pacto perpetuo & irrevocabili jam ante alteri contulit. Jam vero in cujuslibet viri corpus

corpus unica tantum uxor potestatem habet, quod probatur ex hoc loco. Ergo.

V. Quinta ratio petitur e com. 5. Μη ἀποσερέϊτε ἀλλήλους ne fraudate alter alterum, nimirum isto jure alter alterum ne private, ne alter alteri faciat injuriam. Simili fere phrasi utitur Maymonides de Connub, cap. XIV. §. VII. Nefas est uxorem stato tempore defraudare. Id enim si quis uxoris vexanda causa committat, legem violat prohibentem, quæ ita scripta est Exod. XXI. 10. Victum, cultum, & tempus statum ei non detrahent. In polygamia necesse est, alicui fraudem fieri; quia maritus simul cum omnibus versari nequit. Sextum argumentum latet eodem commate, ubi ad tempus abstinentiam quidem permittit, sed ἐκ συμφώνως ex consensu, deinde simul convenire jubet, ne tententur a Satana, propter incontinentiam. Si polygamia Paulo licita fuisset visa, aliud consilium suppeditasset propter incontinentiam. Septimum & similia argumenta suggerunt pleraque commata sequentia, cum primis 10. 11. 12. 13--16. ubi temper in singulari numero de uno viro & una uxore. Non suadet Apostolus, ut si uxor sit infidelis, maritus superinducat fidelem. Adde com. 27. 28. 33. 34. 39. Quod si monogamia tot curis, laboribus & incommodis est exposita, multo majoribus exposita erit polygamia, quia crescentibus causis crescunt effecta.

VI. Excipit 1 Theophilus cum Athanasio *Thesi* LXXXVI. & Arcuarius p. 147. contra argum. 2. ex com. 2. Singularem numerum nihil probare, nec proprium semper inferre proprietatem in 4. modo, non enim esse contra naturam proprii, ut hic sumitur, pluribus esse commune, uti ex Rom. XIV. 4. *Servus cadit suo proprio Domino*, non inferendum, quod ille Dominus non possit & alios habere servos. Pluralem rerum numerum proprietati non esse contrarium, uxorem ita propriam esse marito, ut suum corpus alteri communicare nequeat, maritum vero non eodem pacto esse proprium suæ uxori, ut suum corpus alteri communicare non possit. Addit Ath. Vincentius p. 520. inveniri ibi duo diversa vocabula ἰδίου & ἐαυτοῦ diversissimæ significationis; Apostolum quidem dicere, *proprium virum* quæque habeto; sed in altera propositione dici, quisque *suam uxorem* habeto, a se possessam, non propriam. Proprium etiam pluribus esse commune, probat ex Matth. IX. 1. Act. I. 25. Joh. I. 11. Rom. VIII. 32. 2. Excipit Theo-

Theophilus Aletheus ad comma 4. Theſi LXXXIV. in illis verbis non eſſe æqualem poteſtatem mulieris & mariti in corpora mutua intelligendam, ſicut illis verbis Chriſti, *Sicut miſit me pater meus, ita ego mitto vos.*, non illico omnibus modis æqualis miſſio filii & diſcipulorum concipienda eſt. Addit Ath. Vincentius p. 505. & Arcuarius p. 151. particulam *ὁμοίως* omnimodam & omnibus numeris abſolutam æqualitatem non importare; & hanc eſſe mentem Apoſtoli, uxorem non habere facultatem a marito, nec maritum ab uxore, ſed poſſidere eam facultatem ab ipſo Deo, vi primæ institutionis. 3. Maritum habere majorem poteſtatem, ex Scriptura probat; maritum eſſe Dominum mulieris, potuiſſe inquirere in virginitatem ſponſæ, Zelotypiam per aquam exercere, repudiare etiam, quæ mulier non poterat. 4. Paulum dicere, mulierem eſſe alligatam viro, quamdiu vir vivit, ita ut non poſſit alteri nubere, nuſpiam autem dicere Paulum, quod vir ſit alligatus mulieri, quamdiu mulier vivit, ut non poſſit aliam ducere. 5. Mulierem quidem habere etiam aliquam poteſtatem in corpus mariti, quoad debitum conjugale, cum non eſt prægnans, & vir non eſt debilis & morbidus. Maritum tamen poſſe ſuum corpus, præter voluntatem uxoris, non tantum cum eſt prægnans, ſterilis, vetula, communicare alteri, ancillæ, ſed & quocumque velit, exemplo Abrahami, Jacobi, Davidis aliorumque. 6. Nihil obſtare, quo minus altera uxor, ob parem contractum maritalem, etiam paria jura & ſine confuſione æque communia habere poſſit (ſicut filii multi æqualia jura reſpectu parentum habent) illud tamen jus mulieris in virum multas pati limitationes. 7. Arcuarius opponit locum Col. III. 18. diſcrimen Apoſtolum facere inter marem & foeminam. 8. Non intelligi com. 5. talem defraudationem, idem contendit. p. 149. qua maritus præter ſuam uxorem etiam alteri poteſtatem dat, ſed qua maritus uxori debitum maritale non præſtat, licet id alteri non præſtaret.

VII. Reſp. ad 1. Supra viſum, Hebræos ita argumentari de Sacerdote Levit. XXI. 14. *אשה תקח* accipiat uxorem in ſingulari, non binas. *Proprium* quod attinet, probandum, id hic non ſtrictè ſumi & inferre proprietatem in quarto modo. Conſequentia & nexus hujus textus contrarium docent. Suidas *ἰδίον* vocat *proprium*, *peculiare quiddam & ab uſu communi remotum*. Concedo, Rom. XIV. 4. & Matth. IX. 1. ſervum ita eſſe proprium Domino, ut tamen Dominus

minus possit habere plures, & civitatem ita fuisse propriam Christi, ut tamen illa communis esset pluribus civibus. Id vero minime locum habet inter æquales, ut Joh. v. 18. Christus vocat Deum *πατέρα ἰδίου proprium patrem*, & ille erat vice versa *ἰδιος υἱὸς proprius filius* Rom. viii. 32. non unus ex propriis, quasi horum turbam haberet Deus, sed qui idem unigenitus Joh. i. 16. 1 Joh. iv. 9. 10. Ex eo, quod dicebat, Deum esse suum proprium patrem, colligebant Judæi, illum semetipsum facere Deo æqualem. Ita hic uxor habet proprium maritum, & maritus habet suam propriam uxorem. Servos autem relatos ad Dominum, non esse comparandos cum uxoribus respectu mariti, supra probatum. Nec ullius momenti est observatio Athan. Vincentii, duo vocabula *ἰδίον* & *ἑαυτῶν* adhiberi; cum sensus idem maneat. Syrus eam subtilitatem ignoravit, quando utroque membro *ἡ* adhibuit *אשתו* uxorem suam *אשר* virum suum. Pariter Æthiops & Arabs. Ita Cl. Heinsius existimat, Apostolum 1. Thef. iv. 4. *τὸ ἑαυτῶν σκεῦϑος* vocare uxorem, quod sit *σκεῦϑος ἰδίον* sicut 1 Cor. vi. 18. scortator peccare dicitur *εἰς τὸ ἰδίον σῶμα* in proprium corpus, quod idem est, ac si diceretur *εἰς τὸ ἑαυτῶν σῶμα*. Addit Arcuarius p. 147. Apostolum mandare, ut propter scortationem quæque uxor proprium virum habeat. Marito autem plures per polygamiam sibi jungente, uxorem non scortari. Quasi vero non eodem modo quisque maritus suam uxorem habere jubeatur, propter eandem scortationem, & is non scortetur plures ducendo.

VIII. Resp. ad 2. in loco allegato Joh. xx. 21. *Sicut misit me Pater* &c. reperiri *καθὼς* sicut, *καγὰρ* ita & ego. Eodem modo Joh. xvii. 18. Hic vero particulam *ὁμοίως* Similiter occurrere, quemadmodum etiam Matth. xxii. 26. xxvi. 35. xxvii. 41. Luc. x. 32. 37. Joh. v. 19. 1. Cor. vii. 22. 1. Pet. iii. 1. 7. & similibus locis. Accedit, quod quamvis non sit paritas personarum & auctoritatis Joh. xx. 21. in eo tamen similes Apostoli Christo dicantur, quod non nisi missi ire debuerint, sicut Christus a Patre missus est. Negat Athanasius, particulam *ὁμοίως* omnimodam & absolutam æqualitatem importare. An ergo Joh. v. 19. *Quacunque Pater facit, hac etiam Filius ὁμοίως* PARITER (vel similiter) *facit*, particula ista non infert absolutam æqualitatem? Credat illud, qui Deitatem Christi negat, nemo alius. Sic Luc. vi. 31. *Prout vos vultis vobis facere homines, ὁμοίως pariter vos facite eis*. Adde 1. Cor. vii. 22. Denique Apostolus 1 Cor. vii. 4. illud argumentum

Nn

non

non ex loco similibus, in quibus aliquando sunt dissimilia, sed ex loco repugnantium desumit: Qui non habet jus & potestatem sui corporis, sed illam contulit in uxorem, is non habet potestatem uxori adhuc viventi superinducendi aliam. Atqui maritus. Ergo. Falsum etiam est, Apostoli mentem hoc in loco esse, uxorem non habere facultatem a marito, nec maritum ab uxore, sed ab ipso Deo. Etsi hoc verum sit, & innuat Apostolus 1. Cor. XI. 11. 12. hic tamen ita non argumentatur, sed loquitur de potestate, quam vi pacti matrimonialis uxor confert marito, & vice versa.

IX. Resp. ad 3. Negari consequentiam, Maritus majorem habet potestatem, est Dominus mulieris, potuit inquirere in virginitatem sponsæ, potuit zelotypiam per aquam exercere, & repudiare uxorem, Ergo habet potestatem sui corporis, ut aliam uxorem, priore adhuc vivente, ducere, eique corporis sui potestatem per novum pactum facere possit. Ad 4. Resp. Etsi Paulus disertis verbis id non dicat, par tamen utriusque ratio est; *Cur enim non eundem sensum habeant, quæ eadem ratione prolata sunt*, ait Crollius *Comment. in 1. Cor. VII.* Dein Christus quoad rem hoc dicit loco ante exposito Matth XIX. 9. Ad 5. Resp. Negari, mulierem habere tantum potestatem in corpus mariti, quoad debitum conjugale, non item quoad aliam uxorem ducendam. Christus enim docet locis citatis, maritum etiam quando actu & de facto ab uxore sua se separavit, citra fornicationis causam non habere potestatem sui corporis talem, ut uxori alteri ejus copiam facere possit. Exemplum Abrahami plane contrarium docuit. Ad reliqua supra responsum.

X. Ad 6. Resp. Contractu sive pacto conjugali semel cum prima uxore inito, maritum non amplius habere potestatem sui corporis, sed uxorem, quod hic disertis verbis docet Apostolus. Contractus ergo cum altera, priore vivente, extra casum in Scriptura designatum, nullus est. Simile a filiis multis eodem jure gaudentibus petatum huc plane non quadrat. Quia potestas generandi in parentibus nullo jure ad unum actum determinata est, sicut potestas communicandi suum corpus, vi primæ Institutionis conjugii, determinata est ad unam personam. Ad 7. Resp. Discrimen nos facile agnoscere, quod Deus velit uxorem marito esse subjectam, inde tamen non inferendum, maritum habere potestatem sui corporis, ut aliam uxorem ducere possit, ante jam vidimus. Ad 8. Resp. Apo-

Apostolum in genere prohibere, ne se fraudent invicem conjuges, addita exceptione; atqui defraudat maritus uxorem, si plures superinducat. Excipit Apostolus casum jejunii & precum. Atque ita ad tempus plane abstinere suadet ab actu conjugali; & netentur a Satana, has duas personas iterum convenire jubet, quæ omnia repugnant polygamiæ.

XI. Denique D. Arcuarius eousque progreditur, ut non tantum licitam, sed & mandatam esse polygamiam, doceat *Par. IV. c. 111.* cum *Deut. xxv. 5.* tum *1. Cor. vii. 9.* Locum Mosaicum supra expendimus. Altera objectio ex Paulo pag. 197. vix responso indiget. Qui non plane cœcuit, facile videt, Apostolum cœlibatum & conjugium conferre, quid κρείσσον, γαμήσαι ἢ πυρᾶσθαι, an melius sit nubere, sive nuptias contrahere, quam uri. De polygamia altum silentium. Qui enim suadet abstinere plane a conjugio, etiam ab una uxore, quomodo ille potest præceptum dare polygamiæ? Adde, Apostolum suasionem uti, non præcepto vel imperio: τὸ δὲ λέγω κατὰ συγγνώμην, ἔ κατ' ἐπιταγήν.

CAPUT IV.

Polygamia simultanea improbat Eph. v. 23. seq. & 1. Tim. III. 2. 12. Ti. 1. 6. non successiva.

Considerationem etiam merentur verba ejusdem Apostoli *Eph. v. 23. sq. & 30. 31.* ubi repetit matrimonii institutionem ex *Gen. 11. 24.* Major hic ex instituto divino inter conjuges conjunctio docetur, quam inter parentes & liberos. Sicut igitur sponsus vel maritus unam sibi jungit sponsam vel uxorem, ita Christus Ecclesiam. Non enim singuli fideles sunt Christi sponsa, sicut sunt ejus membra, sed omnes simul sumpti, seu integra Ecclesia, propter unius ejusdemque spiritus communionem. Præterito autem cœtu infidelium & improborum, unum fidelium cœtum amat Christus, tanquam unicam conjugem. Nam fœdus Dei & nunc conjugale est, ut olim cum Israele, cui ita erat vivendum, ne alii Deo se jungeret, sed solius veri Dei cultui addictus maneret, quale propositum Iosue fuit *cap. xxiv. 15.* & 7000 illorum *1. Reg. xix. 18.* Quemadmodum uxor ea ratione viro adhæret, ut nullius præterea commercium habeat.

II. Si Apostolo polygamia licita visa fuisset, subjectionem uxorem

N n 2

rem

rem perapposite commendare potuisset com. 22. dicendo com. 23. Quoniam vir est caput uxorum, uti Christus est caput Ecclesiæ, sive fidelium. Item com. 24. Sicut Ecclesia se subicit Christo, ita & uxores suo viro se subiciunt in omnibus. com. 25. vir dilige uxores tuas, sicut & Christus Ecclesiam, & com. 33. Ita & vos suas quisque uxores ita diligit, ut se ipsum. At Apostolus ubique de viro & uxore in singulari, vel de viris & uxoribus in plurali loquitur, utrumque in pari collocans dignitate.

III. Tandem polygamix propugnatoribus loca illa Paulina opponimus, quæ occurrunt 1. Tim. III. 2. 12. & Tit. II. 6. *Δείξν τὸν ἐπίσκοπον ἀνεπίλετο ἔϊναι, μιᾶς γυναίκος ἄνδρα* Oportet igitur *Episcopum irreprehensum esse, unius uxoris virum.* & com. 12. *Διάκονοι ἔσωσαν μιᾶς γυναίκος ἄνδρες* Diaconi sint unius uxoris mariti. Requirit Apostolus, ut non plurium uxorum, sed *μονόγαμο* unius uxoris maritus tantum sit, si velit esse irreprehensibilis & sine nævo. Bigamus igitur vel polygamus culpa non caret, quia incontinentiæ suspicionem incurrit. Primum autem Episcopis & Diaconis interdicta est bigamia & polygamia, quia viguit inter Judæos & gentiles, Christianam fidem & religionem amplexos. Quod testatur Theodoretus, *Olim enim consueverant & Græci, & Judæi, cum duabus & tribus, & pluribus etiam uxoribus simul jungi lege matrimonii.* Cui *ὁμοψήφῳ* Chrysostomus, *Non hoc veluti sanciens dicit Apostolus, quasi non liceat absque uxore Episcopum fieri, sed ejus rei modum constituens. Indæis quippe licitum erat etiam secundo matrimonio jungi, & duas κατὰ τὸ αὐτὸ simul habere uxores.* Ex quibus insimul, falsissimum esse, liquet, quod Theophilus & Ath. Vincentius fingunt, in ministro Apostolam requirere, ut sit antea uxoratus, & specimina prudentiæ in gubernatione familiæ & liberorum educatione edat. Quia hæc non est mens Apostoli, qui non positive, quasi eligendus necessario uxorem habeat, sed negative intelligi debet, ne, qui præficitur, aut qui præest Ecclesiæ, plures habeat uxores, quam unam. *Non præcipit nuptias, sed excludit πολυγαμίαν*, recte docet ad h. I. J. Crocius.

IV. Age nunc expendamus, quodnam sit rationum in contrarium allatarum robur. Ad locum Pauli ad Timotheum excipit Th. Aletheus *Thes. LXXXVII. primo* numerum unitatis, dualis vel pluralis non exclusive positum, non semper excludere majorem pluralitatem, quemadmodum Psal. xxvi. 4. Prov. xxx. 7. Deut.

XIX. 15. Matth. xviii. 16. 19. 20. Commendati Episcopo matrimonium & imperari, ut ad minimum sit unius uxoris vir, seu maritatus, ad movendam suspensionem scortationis. 2. Ab Episcopo ad omnes homines argumentari, fas non esse. Idem Arcuarius p. 152. urget. 3. Sicut ex verbis 1. Tim. v. 9. *Vidua, qua fuerit unius viri uxor*, eligenda, non sequitur, polygamiam muliebre esse prohibitam, ita etiam non sequi, quando Episcopus debet esse unius uxoris vir, polygamiam virilem esse prohibitam. Eadem est objectio Grotii. 4. Excipit Athanasius Vin. *Unius dici non unicæ*. Confert loca Matth. 28. 1. Marc. 16. 1. Luc. 24. 1. Joh. 20: 1. ubi *μία σαββάτων prima sabbatorum* dicitur.

V. Ad quæ commenta responsiones sunt in promptu. Nam 1. Theophilus contradicit Paulo, qui ita commendat unitatem, ut pluralitatem excludat, fatentibus aliis polygamie patronis. Quod *ad minimum* esse debeat unius uxoris vir, non additur. Neque Apostolus imperare potuit Episcopo, ut sit maritatus, quia cœlibatum commendavit 1 Cor. vii. & voluit ac optavit, ut omnes homines essent sibi similes com. 7. Ostendant nobis adversarii unicum locum, ubi Scriptura ita de uno viro, vel de duobus conjugibus loquatur, ut dicat duos, tres, aut plures. In loco Deuteronomii citato unitas expresse excluditur. Ad 2. r. Episcopis a Deo potestate matrimonium ineundi æque concessa ac aliis hominibus, non immerito argumentari licet ab eorum matrimonio ad aliorum. Oportet saltem, juxta Theophili mentem, aliquid esse Deo displicens in bigamia vel polygamia, quod ferre nolit in Episcopo & Diacono, sive verbi Dei ministris, si vel toleret in aliis. Unde tamen perperam concludit D. Arcuarius p. 156. polygamiam sub initium N. T. ab Apostolis esse permissam. Quia, ut dictum, tunc erant polygami, inter Judæos & gentiles ad Christianam fidem conversos, qui tolerari poterant, quemadmodum & hodie, si Turca aliusve gentilis converteretur, qui ante conversionem duas uxores habuerit, tolerantie locus foret, sed ab eo, qui vult esse episcopus vel diaconus, rigide id exigit, ut sit *μονόγαμος*.

VI. Ad 3. Resp. 1. Tim. v. de vidua sermonem esse, hic vero de Episcopo. Illæ si sæpius nubant, levitatis suspensionem incurrunt. Penelope Homerica secundas nuptias detrectabat, hac etiam ratione inducta, ne a populo judicaretur levis, quod mulier,

lier, quæ sæpius nubit, primos conjuges sincere dilexisse non existimetur, ut pote quorum facile obliviscatur, quod inconstantia minimæ est laudandæ. Vid. *Hom. Odyss. lib. XVI.* Accedit, quod nec loco citato a vidua requiri videatur, ut non habuerit successively plures maritos, sed ne simul plures habuerit; cum fœminas pluribus maritis misceri apud Romanos, non insolitum fuerit. Vid. *Seneca de Benef. Cap. IX.* Cœlius apud *Cicer. lib. VIIII. Ep. fam. VII.* *Juvenalis l. II. Satyr. 6.* Nec male repositum ab Antipolygamo, quem Ath. Vincentius citat, fœminam quoque ratione minus honesta posse multorum esse virorum, scortando, uti *Joh. IV. 16-18.* Sicut Minutius in *Octavio* multiviram vocat eam, quæ numerare poterat adulteria. Deinde, fieri mulierem multorum virorum uxorem, si repudiato primo marito injuste, alteri nupserit, quod tum consuetum fuisse, probat Apostolus *I. Cor. VII. 10.* Conf. *Marc. X. 12.* Et hoc genus polygamia, cum repudiata uxore vir alteram duceret, vel uxor, repudiato priore viro, alteri nuberet, Doctissimus Camero utroque loco intelligit, nempe *I. Tim. III. 2. & V. 9.* Secundas autem nuptias, imo etiam tertias & plures licitas esse, probant loca *Rom. VII. 2. 3. I. Cor. VII. 2. 8. 9. 39. I. Tim. V. 13. 14.* Epiphanius *Licetum est*, inquit, *ut qui non possunt prima uxore contenti esse, secunda post prima mortem jungantur.* Vide Bezam de polygamia successiva, & *Joh. Crocium* in *I. Tim. III. 3.*

VII. Ad. 4. &. Similem esse Pontificiorum exceptionem ad *I. Tim. II. 5.* *unus est mediator*, non unicus. Cum tamen vocula *εἷς* non unum tantum, sed etiam unicum significet. Ut ibi unus Deus dicitur, ita unus mediator. Non nego, voces *εἷς* & *אחד* interdum sumi pro primo; sed hic locum non habet ista interpretatio, quia Paulus primævam Institutionem respicit *Gen. 11. 24.* quam citat *Eph. V. 31.* quod duo debeant esse caro una.

VIII. Denique Theophilus ex *I. Pet. III. 6.* fœminas monet, ut Saram imitentur, quæ Abrahamum vocans Dominum tua sponte ancillam suam subministrabat. Ast ex historia constat, Saram tum non vocasse Abrahamum Dominum, cum ancillam substitueret, sed cum Dominus apprensus Abrahamo & Saræ filium promitteret *Gen. XVII. 12.* Nec ratione substitutionis ancillæ, sed obedientia & virtutum descriptarum com. I. seq. Sara a Petro in exemplum proponitur. Ne dicam, quod hoc in negotio, quando Hagar substituta, non obedientia, sed suavis & impulsus Saræ eminuerit.

CA-

CAPUT V.

Nec denique Patres, Jus civile, Imperatorum, Regum, Principum, Comitum, Persarum, Turcarum, aliorumque exempla polygamiam confirmant.

TAndem Patres polygamiam, ceu peccatum contra legem naturæ vel moralem, vel Novum Testamentum, non taxasse & condemnasse, post Ochinum contendunt Theophilus & Athanasius *Thesi LXXXVIII.* Quibus addunt suffragia Lutheri, Ph. Melanchtonis & Joh. Calvini. Subjungunt *Thesi LXXXIX.* exempla Imperatorum, Constantis, Constantii, Commodi, Caroli M. Valentiniani, Lotharii, Principis Germaniæ, Comitis a Gleichen, Episcopi Anglicani, Civis Amstelodamensis, Persarum, Turcarum, aliorumque in Oriente & Occidente, (Quæ partim citat Arcuarius *Parte IV.*) *Thesi XC* & ultima ipsum jus civile favere polygamie, fingit Theophilus, cum concubinatum, seu possessionem secundariarum uxorum permittat. Quibus omnibus tandem Arcuarius clausulæ loco subnectit documentum, quo certo casu, Luthero, Melanchtoni, Bucero, aliisque gravissimis Theologis, polygamiam probatam esse, docet.

II. Ad illa omnia in genere respondemus, Sacram Scripturam solam esse regulam vitæ ac morum, non scripta humana, & legibus vivendum, non exemplis. Examinanda sunt Patrum scripta ad verbi divini normam. Patres non numina, sed lumina esse, quibus non nimis credendum, quia de facto errarunt, fatetur Athanasius. Quod Ecclesiæ veteris de polygamia iudicium fuerit, ex veteribus Canonibus, qui digamis benedici prohibent, petendum esse, monet Doctissimus Beza. Nonnulli Patres, quos inter Justinus contra Tryphonem, olim in V. T. polygamiam quidem permissam, nunc vero quemque lætari sub vite sua, hoc est, quemque habere uxorem suam, eamque unam, docent. Idem Rabbinos reprehendit, quod adhuc sibi permitterent plures. Epiphanius *de Conjugio, vir non duas uxores simul habeat, altera adhuc superstita.*

III. Lutherum in fervore disputationis contra sedem Romanam aliquando affectibus abreptum ab uno extremo ad alterum devenisse, nemo facile inficiabitur. Etsi, fatente Arcuario, nonnulla, quæ

quæ scripserat, paullo ante obitum, mutarit & emendaverit. Pariter Melanchtonis sententia variavit. In consultatione de Digamia Regis Angliæ scribit, Polygamiam non esse rem omnino inusitatam, nec esse contra jus divinum. Sed Petrus Martyr Loc. Comm. Class. 2. Loc. 10. docet, quod etsi in Ethicis suis dicat, Deum in Israelitis probasse polygamiam, tamen in lib. de Conjugio apertissime scribat, matrimonium esse oportere conjunctionem unius ad unam. In patribus autem ait, Deum eam imperfectionem tolerasse: illos enim etsi alioqui perfecti essent, tamen non caruisse suis navis. Sed idem de arbore consanguinitatis apertius ait, peccatum illud fuisse ignorantia. Iob. Calvinus plane contrariatur sententiæ Theophili cæterorumque polygamie fautorum. Audiamus eum ad Gen. iv. 19. de Lamecho: *Habemus hic polygamie originem in gente perversa ac degenerare: primum vero ejus authorem hominem sexum, & omnis humanitatis expertem. Cæterum immodice propaganda domus sue studio, ut elati homines & ambitiosi solent, an libidine impulsus fuerit, parum ad rem attinet: quia utroque modo violavit sanctam conjugii legem, quæ a Deo prodita fuerat. Statuerat Deus ut essent duo in carnem unam, atque iste perpetuus erat natura ordo: Lamech belluino Dei contemptu natura jura corrumpit. Dominus ergo legitimi conjugii corruptelam ex domo Cain prodire, & a persona Lamech incipere voluit, ut polygamos exempli puderet. Pariter ad Gen. xvi. Sarai concubii legem pervertit; lectum conjugalem, qui duobus dicatus erat, polluendo. Nec valet excusatio, quod concubinam uxoris loco esse voluerit: quia fixum illud manere debuerat, mulierem viro adjunctam esse, ut essent duo in carnem unam Nec culpa etiam vacavit Abram, quod stulto ac præpostero uxoris consilio obsequutus est. Ergo ut vitiosa fuit precipitantia Sarai, ita reprehensione digna est Abra facilitas.*

IV. Imperatores & Reges nonnulli vel concubinas habuerunt, vel unam uxorem repudiarunt, quia ex Jure civili utrumque licitum judicabant. l. 4. §. 1. D. de concubin. l. 3. C. de adult. l. 5. C. ad ad Sc. Orfician. Novell. Iuliani 18. De repud. uxore vid. Dig. lib. 24. Tit. 2. de Divortiiis & Repudiis. Inde tamen male colligit Theophilus, Jure Civili polygamiam approbari. Contrarium liquet Instit. l. 1. Tit. 10. *Duas uxores habere non potes.* Adde l. 1. D. de rit. nupt. l. 15. §. 4. D. de manum. vindict. l. 1. l. 13. §. 1. D. de his, qui notantur infam. l. 2. C. de incest. nupt. l. 5. C. de donat. ant. nupt. De Valentiniano vid. supra Sect. 11. Cap. iv. Th. xxiii. Et constat, Theodosium

dofium, Arcadium, & Honorium, post Valentiniani filios Imperatores, ipsis quoque Judæis polygamia interdixisset. 7. *C. de Judæis*. Et ex Constantini constitutione nemini licuit, constante matrimonio, concubinam penes se habere. *l. unic. C. de Concub.* Justinianus & uxorum & concubinarum multitudinem prohibuit *Novell. 18. Cap. 5. Novell. 89. cap. 12. §. 6. §. 7. Instit. de nupt. l. 3. C. comm. de manumiss.*

V. Denique Germ. Principi gravissimi illi Theologi, ab Arcuario citati, Lutherus, Melanchton, Bucerus, Corvinus, Adamus F... Leningus, Winther, Melander, dissuaserunt alteram uxorem, ad primam Institutionem provocantes, quemadmodum ex eorum *Consideratione ab Arcuario producta* videre est: *Suadere non possumus*, ajunt, *ut introducatur publice & velut lege sanciatur permissio, plures, quam unam, uxores ducendi...* Deus matrimonium instituit, ut tantum duarum, & non plurium personarum esset societas, si natura non esset corrupta; hoc intendit illa sententia, erunt duo in carne una, idque primitus fuit observatum. Sed Lamech in matrimonium pluralitatem uxorum invehit, quod de illo Scriptura memorat, tanquam introductum contra primam regulam. Apud infideles tamen fuit consuetudine receptum; postea Abraham quoque & ejus posterius plures duxerunt uxores. Cerium est, hoc postmodum lege Mosis permissum fuisse, teste Scriptura *Deut. 21. ut homo haberet duas uxores; nam Deus fragili nature aliquid indulget.* Cum vero Principio & creationi consentaneum sit, unica uxore contentum vivere, hujusmodi lex est laudabilis, & ab Ecclesia acceptanda, nec lex huic contraria statuenda. Nam Christus repetit hanc sententiam. erunt duo in carne una *Matth. 19.* & in memoriam revocat, quale matrimonium ante humanam fragilitatem esse debuisset. Certis tamen casibus locus est dispensationi. Si quis apud exterarum Nationum captivus ad curam corporis & sanitatem inibi, alteram uxorem superinduceret, vel si quis haberet Leprosam, his casibus alteram ducere cum consilio sui pastoris, non intentione novam legem inducendi, sed sue necessitati consulendi, hinc nescimus, qua ratione damnare liceret. Tandem tamen variis rationibus inducti & coacti quasi in eas nuptias consensere, quemadmodum documentum ab Arcuario appositum testatur; an inde inferre licet, gravissimis illis Theologis polygamiam esse approbatam?

Qua poena afficienda Polygamia?

THesi XC. & ultima queritur Th. Aletheus, Carolum V. in-
 stinctu Nunciorum Apostolicorum primum capitale poenam
 in polygamos promulgasse, a Concilio Tridentino postea Ana-
 themate confirmatam. Clarissimus Carpzovius *Par. II. Pract. nov.*
q. 66. num. 15. seq. varias refert Doctorum opiniones, qua poena
 coercendum sit *de Jure civili* crimen digamiae & polygamiae. 1. quos-
 dam opinari, stupri poena afficiendos esse digamos, quae sit publi-
 catio dimidiae partis honorum, in personis honestis; castigatio vero
 corporis cum relegatione, in aliis vilis conditionis personis. 2. ali-
 os existimare, in bigamos, sive sint viri, sive foeminae, capitaliter
 animadvertendum, eosque gladii poena afficiendos. 3. alios arbitrio
 judicis relinquere, quam poenam pro facti & personarum qualitate
 decernere velit, quia certa poena de jure civili definita non est. 4.
 quosdam arbitrari, in crimine bigamiae poenam adulterii obtinere;
 eamque ducenti duas uxores, vel nubenti duobus viris, infligen-
 dam esse. Uxorem duos viros habentem, virgis caesam in mo-
 nasterium detrudendam, virum vero bigamum fustigandum &
 relegandum esse. Quod probat ex *Novell. 117. Cap. 11. A. h. ho-*
die: C. de repud. Sed poena mortis afficiendos solummodo viros
 cum alienis uxoribus conjugatis concumbentes, non uxores adul-
 teras nec maritos ad foeminas solutas prolapsos. Huic sententiae ut
 verissimae subscribit Carpzovius.

II. Addit tamen, hodie in Imperio Romano-Germ. sanctione
 Carolina bigamos capitaliter puniri, non modo poena corporis
 afflictiva, sed mortis supplicio & poena gladii; nec eo tantum casu
 poenam capitale locum habere, si quis alterius uxorem priori su-
 perinduxerit, juxta Matt. Wesenbec. sed & si quis solutam superin-
 duxerit; & hanc sanctionem Carolinam in foro Saxonico etiam ob-
 servandam esse. Fallere tamen hoc, dicit, 1. in bigamis, viro &
 uxore, qui conjugate adhuc superstite, cum aliis matrimonium contra-
 xerunt, & per benedictionem sacerdotalem perfecerunt, copula
 tamen carnali non subsecuta. 2. fallere, in persona deserta. 3. fallere
 in persona, quae conjugate ex justa causa absente, quem decessisse
 probabiliter credidit, secundum matrimonium contraxit. 4. fallere
 hoc

hoc in foemina soluta, quæ cum marito, qui uxorem habet, matrimonium contrahit & concumbit. Tandem fallere in viro juvene, aut foemina soluta, qui quæve cum conjugata persona scienter quidem sponsalia contraxit, nondum tamen cum eadem concubuit. In hisce cessare pœnam gladii, dicit.

III. Ita Clarissimi Viri Brunnemannus & Strykius *de Jure Ecclesiast. lib. 11. Cap. XVI. §. 1.* In imperio Romano huic crimini gladium dictari, probant *Crim. Artic. 121.* adeo ut intercessio & remissio Conjugis innocentis bigamos ab hoc supplicio non liberet *Carp. Prax. Cr. q. 66. n. 39.* Graviorem autem dubitationem videri, An concubitu nondum secuto, licet copula sacerdotalis intervenerit, gladii pœna cesset, ex mente Caroli V. Dubitat. Cl. Strykius. Graviorem autem dubitationem videri, addit, an ex gratia Principis ultimi supplicii pœna bigamo remitti possit? plerisque ad casus non dispensabiles hoc referre, cum gravius adulterio crimen bigamiam vocet Carolus V. Henricus Brouwer *de Jure Connub. Lib. 11. c. v. §. 21. sq.* non improbandam judicat Caroli V. criminalem constitutionem, eamque nonnullis Belgii provinciis placere, ex Ant. Matthæo probat.

IV. Ne & hic ἀσυμβολῶς esse videar, etsi tacente Scriptura, vix quidquam adferri potest, quod huic difficultati occurrat, ad pœnam gladii tamen festinandum non esse, absque necessitate, existimo. Mortis supplicium hic locum non habere, *Primo* probari posse videtur ex eo, quod Levit. xx. ubi pœnæ incestus & reliquorum scelerum ac illicitarum nuptiarum commemorantur, nulla facta sit mentio pœnæ, qua affiendi sint transgressores commatis 18. Lev. xviii. quod supra etiam ben Mosche Karæum observasse, vidimus. *Secundo* pœna capitis ab ipso Deo in adulteros statuta est Lev. xviii. 20. xx. 10. Deut. xxii. 22. Joh. viii. 5. sed polygamia tolerata Unde diversam utriusque criminis rationem esse, liquet; etsi polygamia vii. præcepto annumeretur. Ita inter alia Rev. J. Sylvio respondit Cl. Coccejus *Epistola xcvi. ad casum divortii: non nihil movet, quod Deus in lege toleravit polygamos, & viros pellicem habentes vel concubinam, eisque pœnam capitis non irrogavit neque jussit ab eis uxores recedere: at uxoribus adulteris pœnam capitis proposuit.* 3. Quia Apostoli, ut supra probatum, gentiles polygamos, ad Christiana Sacra accedentes, tolerarunt. Certe non tolerassent, si crimen foret, gladii vel mortis pœna affiendum.

V. Jus Hebræorum polygamos a Deo toleratos nulli pœnæ subjecit

jecit. Si illis æque ac nobis pro peccato habita fuisset, procul dubio flagellis eam puniendam judicassent. Ita Maymonides *Tract. Sanhed. Cap. XIX.* teste Seldeno *de Synedriis lib. II. Cap. XIII. §. 8.* docet, *concumbentem cum uxoris sorore Lev. XVIII. 18.* (quam legem de polygamia exposui,) item *cum meretrice; virginem comprimentem, eamque divortio ejectam non recipientem; Infamiam uxori quasi divortio ejecta inferentem, nec eam recipientem; & Regem multiplicantem sibi uxores, hos omnes verberandos & flagellis puniendos fuisse.* Conf. Maym. *Ifuri Biah. Cap. I.*

VI. Hac igitur similive arbitraria pœna, pro ratione circumstantiarum, meo iudicio polygamia quoque affici potest. Et tantum abest, ut ex gratia Principis ultimi supplicii pœnam bigamo remitti posse, dubitem, ut solam polygamiam, nisi alia crimina accesserint, morte puniendam non esse putem. Quemadmodum *Facultas Juridica Viadrina*, hac de re consultata 28. Jan. 1670. pœnam bigamiæ capitalem, non esse juris divini, & quæ jure divino non est dictata, remitti posse, accurate respondit; quod Responsum Celeb. Strykius l. c. subnectit.

Primæ Dissertationis Finis.

SOLI DEO GLORIA ET GRATIÆ.

INDEX

Locorum Scripturae, quae in hac Differtatione
vel citantur vel explicantur.

G E N E S I S.		Cap. Verf.	Pag.	Cap. Verf.	Pag.	Cap. Verf.	Pag.	
		4. 3. 4.	137	3. 133, 160, 215	5. 9.		168	
		12.	206	5. 241, 261	6.		133	
1. 1.		14.	41, 206	6.	33	8. 9.	134, 176	
11. 12.		15.	162	10, 11, 13.	161	19.	162, 167	
20.	45, 56	17. f.	38, 133	21.	156	18. 20, 21.	133	
26.	31, 40, 45 56, 59, 81.	19.	134, 142, 227	17.	162, 259	25.	72, 133, 134	
27.	6, 26, 35, 36 40, 56, 274	22.	144	9.	41	27, 28.	134	
28.	6, 15, 16, 21, 23, 34, 35, 36, 40, 59, 60, 67, 5. 69, 77, 143, 146, 235, 274	23.	134, 142,	15.	133	30. 31.	96, 134	
29. 30.	35. seqq.	25.	133, 137	18.	261	1.	168, 207	
2.	36, 39, 65	26.	150	18. 9.	ibid.	2.	168, 242	
3.	65	1. 137, 139, 141	275	12. 40, 164, 286	19.	168	3-10.	134
5-8. & 9, 12, 15, 16,		2.	26, 275	19.	168	18.	168	
15-22. 21, 24, 28,	6.	3.	145	8.	255	20.	134	
35, 36, 37, 52, 56, 59, 63, 68, 69, 81, 163, 193, 262, 274, 275	1-5.	21.	41	29.	165	22. 23.	168, 169	
23, 24. 19, 22, 23, 32, 39, 42, 44, 7. 45, 63, 65, 66, 8. 68, 74, 75, 77, 78, 95, 100, 130, 146, 147, 156, 165, 168, 181, 187, 217, 218, 260, 262, 9. 265, 269, 274	1-5.	23. 28.	ibid.	20.	151, 152	27.	170	
25.	12, 76	32.	140	2. 3. 133, 134, 206	5.	206	31.	167
29. 30.	274	1.	38	6.	242	7.	242	
1.	10, 13	2.	196, 202	7. 11.		11. 12. 13.	112	
8. seq.	72	3.	21, 38	12. 14, 17.	133, 134, 153, 168, 206	14.	169	
15.	37, 38, 41, 42, 72, f. 12. 157, 259,	5.	150	18.	133, 168	15.	170	
16.	23, 40, 67, 73 f. 77, 81, 93, 95, 107, 201	7. 8.	41	10. 11.	161, 166, 261	17.	134	
17.	23, 73	9. 10.	140	18.	162, 259	39.	260	
20.	41, 66, 67	18.	133 21.	10. 11.	161, 166, 261	44.	170	
21.	41, 46	15.	151	21.	133, 201	50.	134, 170 184, 206	
4. 1.	11, 13, 41, 73, 133, 137, 141, 142	16.	162	21, 22.	259, 261 32	53.	134 167	
		1.	133	18.	259	14. 15.	170	
		6.	229	24.	134, 165	22.	134 167	
		9.	148	19.	133 33.	1. 2.	134	
		16.	151	14.	200	5.	171	
		15.	160 27.	16.	200	6.	134	
		2.	151	6. 7, 21, 115 24.	60, 65, 112, 166, 234 34	11.	112 196	
		13-16.	162	7.	234	3.	28	
		1.	133, 261	7.	122	4. 8.	133	
		1-5.	134	29. 31.	133	8-11.	199	
				133, 151, 152 153, 206	22.	71, 242	12.	133
				16.	165	12.	134	
				19.	140	22.	167	
				22.	71, 242	2. 6.	134	
				26.	167, 200	10.	18, 134	
				8. 9. 10. 11.	133, 35, 206 36,	24.	47	
				31.	206	2.	154, 200	
				34.	134, 167	29.	167,	
				7. seq.	201 37.	1.	172	
				48.	ibid. 38		202	
				28.	167, 198, 263		2. 6.	
				1, 2.	133, 168, 201			

Cap.	Verf.	Pag.	Cap.	Verf.	Pag.	Cap.	Verf.	Pag.
2.6.	133,184	2.	174	10.	91,153	8.	174,209,219	175
7.	229	3.	201	17.	133,209	19.	174,209,219	198
8.	33	4.	183	21.	204	10.	12,23	168
26.	154	9.	249,252	33.	120	22.	12,23	28
39.	7.8.	10.	278	7.13.14.	17,27, 12.	24.	174,280	151
9.	84,133	13.	224	18.	31	30.	174,280	57
12.	171	15.	193	24.	14	6.	174,176	120
19.	133	16.	196	23.	43	13.	14,15.	157
40.	15.	17.	201,203	25.	206	15.	12.	33
41.	12.	19.	227	14.16.	206	17.	14.1.	38,228
45.	59,133,202	20.	82	25.	232	17.	174,210,	174,210,
42.	21.1eq.1	22.	227	39.1.	82	15.	16.1eq.	216,220
27.	255	16.	183,187,189	46.	206	19.	15.	222,243,
44.	27.	17.	194,227	9.	151	20.	5.6.7.	246,1eq.
46.	171	17.	194.1eq.	21.	252	21.	10.	285
8.	140	5.	33,38	NUMERI.		11.	11.	174
10.	172	26.	48	46.	173	15.	96,177,215	216,226
15.	10	26.	186	11.	92,97,217	6.	6.	48
19.	169	5.	225	12.	31,174	10.	10.	227
48.	14.	5.	200	22.24.	218	13.	174,217.1eq.	174,217.1eq.
49.	3.	26.	205	31.	218	15-19.	15-19.	194
4.	171,242	3.2.33.	38	10.	43	22.	22.	187,217
31.	133	5.	198	11.	115	23.	92,175,196,	219,324
30.	15.	16.	148	11.	173	24.	24.	224
20.	115	9.	148	21.	254	28.29.	28.29.	187.1.191
EXODUS.		39.	9.	7.	155	197.1eq.	197.1eq.	197.1eq.
1.	1.	LEVITICUS.	10.	4.	206	196.1.203	196.1.203	196.1.203
7.	7.	1.	10.	13.	242	53	53	224
2.	1.21.22.	4.13.22.	11.	21.	53	256	23.	237
3.	19.	1.	214	7.	164	164	3.1eq.	157
4.	13.	1.	115,224	4.	172	172	18.	227.1eq.
20.25.	133	2.	9	23.	174	174	1.	174,186,217,
6.	15.	2.	10	13.	261	261	219,227,270	219,227,270
20.	134	16-31.	107	18.	201	201	4.	220
23.25.	135	11.	234	5.6.	198,199	198,199	5.	174
7.	26.	11.	57	25.	224	224	1.	216
8.	26.	41,80,174	24.	12.	227	227	4.	48
10.	23.	3.	125	59.	174	174	5.	174,176,204
25.	242	7.8.	204,205	18.	261	261	228,283	228,283
12.	5.	10-17.	204,205	2.	201	201	10.	34
23.	242	11.	208	25.	224	224	27.	119
25.	173	12.	129	30.	221	221	6.	174,253
13.	17.	14.	208	5.6.	227	227	28.	148
18.	2.5.6.	15.	241	25.	227	227	32.	186
19.	15.	16.	204,205	24.	178	178	27.	196
56.	175	10.	230,236	26.	31	31	7.	196
20.	38,183	17.	241	27.	178	178	JOSUA.	
1.	224	18.	93,122	27.	178	178	10.	239
4.	33	5.	156,178,	4.	108,255	108,255	6.	217
9.	75	19.	187,203,	2.	157	157	25.	217
11.	65	19.	216,220	3.	202,246,	202,246,	10.	148
12.	198,201	19.	225,265	17.	263	263	13.	148
14.	178,179	19.	208	18.	178	178	18.	148
15.	192	19.	115,206	18.	178	178	18.	148
16.	224	19.	47	18.	178	178	18.	148
17.	178,224	20.	41,80	18.	178	178	18.	148
21.	33,38,6	21.		18.	178	178	18.	148

I N D E X.

295

Cap. Verf.	Pag.	Cap. Verf.	Pag.	Cap. Verf.	Pag.	Cap. Verf.	Pag.
14. 15.	283	19. 11. &	174	14. 2.4-6.17.	175	4. 2.	178,250
JUDICUM.		20. 16.	49	15. 3.	248	29. 2.	157
1. 25.	239	21. 5.6.	174	11.14. 31.	165	31. 3.	82
3. 16.	169,239	24. 11.	241	35,248	34.	22.	175
17. & 28.	239	3. 14.37.	174	175	E S R A.		
4. 24.	174	42-44.	177	238,249	270		
5. 24.	ibid.	2.3.5.	225	17.	249	2. 61.	175
7. 30.31.	177	18.22.	113,174	19. 18.	283	4. 20.	31
8. 27. 15.6,19,23,25	235	18.22.	177	20. 13.	249	5,6.7.10.&11.	264
30.32.	235	21. 5.7.	175	23.	241	NEHEMIAS.	
10. 3.4.	235	22. 34.	28	175	28		
11. 9.	242	43.	165	6. 8.	175		
12. 7-9.13.14.	174	II. SAMUEL.		7. 63.	ib.		
13. 2.	185,235	2. 177	II. REGUM.		9. 6.	39	
14. 2.	174	7. 193	16. 149	13.	16.	115	
4. 256	184	2-5. 177,222,	27. 28				
10. 205	236	223,238	8. 82	ESTHER.			
18-20.	236	4. 124,177,5.	7. 206				
15. 1.2.	174,226	223,238,6.	7. 115	1. 175		178	
3. 236	6. 7.	242 7.	8. 208	2. 249		52	
6. 174	23. 1.	115 8.	10. 250	1.6.7. 248,249	2. 202	69	
16. 1.4.	236	23. 1.	246	1.2. 202	3. 178,221,251	178	
18. 4.	241	13.14.15. 2.27.	174,241	2.3. 175	4. 178	251	
19. 20.& 21	174	12. 3.	177,222	9. 249	7. 178	ib.	
R U T H.		8. 237,238, 12.	240,243	19. 222	8. 178	ib.	
1. 174	9.10. 163,177	25. 18.21.	264	18.21. 264	12. 17,178	69	
14. 28	11. 124,177	I. PARALIP.		3. 11.	ib.		
2. 8.	28	242	1.2. 137	5. 10.14.	175		
3. 176	13. 89	1. 1.2. 178	32. 178	13. 13.	ib.		
4. 267	15.24.25.164,177	60. 175	9. 175		44		
5.10.12.	174	174 2. 174	9.21.24. 233	JOBUS,			
6. 210	13. 4.	158	26.36.46.48.175				
11. 169	7. 177	178,233	2. 9.	9. 133			
I SAMUEL.		16. 20.	23,242 4.7.&8.	178,233. 9. 12.			
1. 1.2.	177,237	21. 124,177	9. 35.	175 13. 7.	115		
4.5.	96,177	5. 177	13. 1.	82 14. 1.	43		
6. 207	20. 3. 124,177,214, 14.	3. 178	19. 17.	133,278			
19. 144,169	216,238	17. 13.	20. 28				
2. 20.	174	177 23. 14.	234 24. 21.	144			
29.32.	186	I. REGUM.		29. 10. 28			
4. 19.	174	2. 241	2. 17.	31. 1.9.10. 133			
8. 7.8.	161	17. 174	11. 18.21.23.178,248	38. 10. 236			
11. 38	1. 2.	13,113 13. 21.	ibid.	39. 12. 60			
9.&10.	161	230 16. 1.	242 41.	40. 20. 53			
12. 17.	228	175 17. 11.	170	53			
13. 14.	115	113 18. 33.	28				
14. 5.	174	113 20. 21.	82	PSALMI.			
15. 115	29 34.	113 20. 21.	82				
16. 6.	200	113,246 21. 14.	178,249	8. 2. 75			
18. 2.	49,242	82 22. 2.3.	249				
20.21.26.27.174,	12. 6.8.	11.	175				
237							

P 2 16. 10.

Cap. Versf.	Pag. Cap. Versf.	Pag. Cap. Versf.	Pag. Cap. Versf.	Pag. Cap. Versf.
16. 10.	242 18. 22.	175 22. 18.	227 3. 13.	Pag. 206
17. 3.	85 24.	28 27. 16.	164 16	176
19. 13.	238 19. 14.	175 37. 6.	200 18. 6.11.15.	176
20. 2.	75 20.	82 40. 5.	31 22. 11.	ib.
25. 11.	148 26.	175 13.14.	73 23.	ib.
27. 4.	284 21. 9.19.	ib. 41. 7.	28 24.	17
32. 9.	57 24. 16.	252 8.	227 18.	176
33. 9.	36 32.	246 42. 6.	242 23.	206
35. 13.	239 27. 24.	175 45. 8.	6 33. 26.	176
40. 7.	185 27. 15.	ib. 49. 8.	242 30.	206
41. 5.	34 30.	68 15.	30 36. 26.	15
45. 10.	148 2.	61 50. 1.	175 44. 22.25.	176
45. 11.	29,175 7.	284 51. 1,2.	40,259	
49. 13.	175 31. 1.	247 54.	175	DANIEL.
49. 21.	12,53,59 3.	109,176 1. seq.	49	
51. 5.	57 10. seq.	222, 223 58. 7.	31 1. 7.	59
63. 9.	84 10. seq.	175 61. 10.	175 5. 2.3.23.	178,251
66. 9.	28 28	62. 4,5.	ib. 9. 9.	148
68. 6.	242 ECCLESIASTES. 65. 7.	66. 3.	239 11. 6.17.	176
71. 3.	186 17.18.	58 7.8.	60	
71. 15.	ib. 1. 17.18.	104 17.	175 HOSEAS.	
76. 3.	148 3. 5.	19,20,21. 52,57.	255	
79. 12.	186 19,20,21. 52,57.	49	1. 2.3.	176
89. 50.	239 4. 9.	116	10.	151
90. 14.	ib. 6. 3.	10,81 2. 2.32.	2.	175
102. 6.	186 7. 29.	77 3. 7.8.	175 2.	176
104. 14.	28 9. 5.	106,175 9.15.	262 16.	176,238
107. 17.	39 9.	261 20.	176 19.	51
115. 38.	161 11. 9.	57 6. 11.	262 3. 1.	176
116. 11.	151 12. 9.	21. 21.	176 4. 14.	179
127. 4.	6 6 CANTICUM, 8. 1.	12. 12.	230 10. 10.	185
128. 3.	164 68,168 1. 5.6.8.17.	175 13. 14.	55 12. 13.	176
136. 6.	161 2. 2. seq.	ib. 16. 2.	262	
139. 21.22.	175 175 14. 1.	175 17. 1.	230 JOEL.	
PROVERBIA.	157 4. 1. seq.	175 2.	83 1. 8.	176,100
1. 32.	5 5.	ibid. 25. 26.	176 2. 16.	176
33.	5 5.	ibid. 29. 6.	206	
2. 16.	222 7. 2.	51. 31. 4.	198 AMOS.	
16-19.	157 8. 1.	251 14.	96 3. 4.	186
17.	262 5.6.	175 22.	176 7. 17.	176
5. 18.	106 7.	96,177 33.	83	
19.20.	175,176 8.	51 34.	206 M I C H A.	
6. 26. seq.	175 1. 3.	175 35.36.	23	
8. 22.	39 3. 5.	ib. 33. 20.	ib. 7. 5.	176,241
9. 13.	222 18.	37. 20.	250	
11. 14.	82 4. 1.	38. 22.23.	178 HABAKUK.	
16.22.	175 5. 22.	25.26.	250	
12. 4.	175 7. 14.	55,57 41. 1.	230 1. 13,14.	53
10.	48 8.	206 48. 10.	106 2. 3.	193
25.	259 20.	251	3. 7.	234
13. 19.	82 10. 6.	178,251		
14. 1.	175 19. 2.	149	THRENI.	
		176 1. 12.	148	ZACHARIAS.
		17	3. 9.	201
		121	7. 3.4.5.	44
		243	8. 18,19.	44
		206 1. 9.		
				M A.

Cap. Verf.	Page	Cap. Verf.	Page	Cap. Verf.	Page	Cap. Verf.	Page
MALEACHI.				JOHANNES.			
1. 1-5.	259	3.	266,270	11.	279	3.	77,106,181,
2.	112,227	4.	23,37,39,41, 16.	14.	31	7.8.	268,276
3.	112,227	5.	22,266	16.	281	19.	89,121,152
6.	30	6.	210,266,275	29.	267	21.22.	61
6-14.	260	7.	23,41,68,266	4.	267,8.	44	52
1-10.	157	8.	186	16-18.	267,8.	7.	60
8.	260	9.	33,97,186,	18.19.	281	16.	84
10.	251	10.	224,227	5.	267	19.f.	48
11.	264	11.	77,276,282	34.	60	32.	279,281.
13.	254	12.	266	10.	44	1.	84
13-16.	264,265	20.	14,277	11.	164,9.	4.5.32.33.	58
14.	28,93,156,	21.	14,17,79	17.	281	7.	58
176,180,251,	20.	29.	266	18.	267	2.	121
254, 21.	31.	15.	86	19.	285	13.	183
262	22.	31.	76	20.	281	25.	38
15.	156,161,176,	24.	231	21.	61	4.	279,280
180,200,220,	24-28.	24.	266	18.	61	9.	178,182,216
251,254,256,	26.	30.	281	11.	227	13.	31
262	30.	36,37.38.	10	11.	281	25.	38
16.	254	91,216	17.	18.	281	14.	279,280
3. 6.	72	27	19.	25.	267	4.	279,280
4. 4.	246	21.	39	20.	285	29.	79
TOBIAS				ACTA.			
Et reliqui Apocryphi				I. 25.			
videantur. p.176. &				279			
177				79			
27. 41.				115			
28. 1.				267 I.			
28. 1.				281 2.			
28. 1.				ib. 4.			
28. 1.				285 5.			
MATTHÆUS.				MARCUS.			
1. 18.	219	12.	1.	12.	1.	29.	79
18.25.	266	15.	19.	15.	19.	2.	267
19.	219	32.	273	20.29.	48,153,	9.10.	277
25.	208	2.	268	48,153,	221.	15.	240
5. 157,165,268	10.	3.	271	17.	11.	16.	31,76,78,
23.	77	6.	39	26.	24,6,66	18.	31,281
27.	179	6-12.	267	18.	267	7.	75,80,172,
28.	181,269	11.	181,276	20.	281	210,267,277	
29,30.	15.	12.	181,220,286	21.	1.4.	1.	15,16
31.32.	266,276	29.	267	24.	267	2.	268,286
7. 12.	93	19-21.	267	ROMAN.			
9. 1.	279,280	16. 1.	271	1.	121	4.	80,82,181
6.	94	285	285	5.	221	5.	220,281
15.	267	LUCAS.				7.8.	15,16,267
12. 33-37.	114	5,6.	267	20.	84	9.10.	267,283,
15. 2.3.	271	25,4	168	26.27.	26	286	286
4.	193	1.	285	4.	72	11.12.	81,267
19.	58	31.	281	12.	87	22.	281
16. 17.	32	38.	239	14.	85,154	26.28.32.34.35.37	
18.	59	32.37.	281	15.	2,60,83,84	38.	17,101,198
18. 16.19.20.	285	7.	31	1.2.	54	39.	202,286
25.	266	16.	79	4.	58	5.	200
19. 18,35,66,75	11.					115	9.3.
80,157,268	12.					8.	

